

Bernardini Ramazzini ... Opera omnia medica et physiologica. In duos tomos distributa ... / Accessit vita autoris a Bartholom. Ramazzini ... scripta.

Contributors

Ramazzini, Bernardino, 1633-1714.

Placentinus, Jacobus, 1673-1762. De barometro dissertationes duae.

Publication/Creation

Neapoli : Expensis Josephi Ponzelli, P. & I. Vaillant, 1739.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nmarsne7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

42908/B

Handwritten text in a cursive script, likely a signature or name, written in dark ink on aged, stained paper. The text is oriented horizontally but appears to be written upside down relative to the page's orientation.

BERNARDINI RAMAZZINI

CARPENSIS PHILOSOPHI AC MEDICI,

OLIM IN MUTINENSI ACADEMIA

Primi Professoris, postremo in Patavino Lyceo Practicæ
Medicinæ Professoris Primarii,

OPERA OMNIA MEDICA ET PHYSIOLOGICA

In duos Tomos distributa.

EDITIO QUARTA.

A C C E S S I T

VITA AUTORIS A BARTHOL. RAMAZZINO

Med. Doct. ejus ex Fratre NEPOTE scripta.

CUM FIGURIS, ET INDICIBUS NECESSARIIS.

TOMUS SECUNDUS.



LONDINI M. DCC. XXXIX.

APUD PAULUM ET ISAACUM VAILLANT.

OPERA OMNIA
MEDICA ET PHYSIOLOGICA

EDITIO QUINTA

301685

VITA AUCTORIS A BARTHOLOMAEO RAMAZZINO



LONDINI MDCCLXXII

APUD PABLIUM ET ISAACUM VALENTIUM

INDEX CAPITUM DE PRINCIPUM VALETUDINE TUENDA.

Cap. I.	A d publicam felicitatem plurimum conferre bonam Principis Valetudinem; ideoque peculiari diligentia custodiendam. 147
II.	Qualis debeat esse Medicus, cui vere Archiatri nomen conveniat, quidve in Principis Persona desideretur. 149
III.	Aeris naturam, & supra viventium corpora potestatem, nulli aetati magis innotuisse, quam nostrae; rectum propterea illius regimen, pro Sanitatis tutela, instituendum. 153
IV.	Non bene inter se convenire Principum mensas, & bonam Valetudinem; victu parco & simplici facile obtineri sanitatem cum longaeuitate; quid sit cibi attritio in stomacho apud Galenum exponitur; neminem in seipso, etiamsi caveat, determinare posse justam cibi mensuram. 158
V.	Cibaria, quae ad bonam Valetudinem sunt minus apta, Principibus magis usui esse; de cibis primae, & secundae mensae quaedam adnotantur; quid sit apud Hippocratem, carnes esse leves ad stateram, quid apud Aristotelem vinum ethi- cum. 161
VI.	Nemini magis, quam Principi pro conservanda Valetudine necessariam esse quotidianam corporis exercitationem. 167
VII.	Regulam inversam somni & vigiliarum, Principum Aulis valde familiarem, ad tuendam Valetudinem minime aptam esse. 171
VIII.	Excretionum naturalium, quae reliquiae sunt coctionum in nostris corporibus, rationem habendam, ut rite fiant, ac ne una alteri impedimento sit. 174
IX.	Ex nulla re magis, quam Animi affectibus periclitari Principum Valetudinem, nihilque esse, cui minus succurrere possit Ars Medica. 177
X.	Quale debeat esse in Principibus Literarum Studium, ne bona Valetudini inferatur noxa. 179
XI.	Quale esse debeat in senili aetate Valetudinis regimen. 183
XII.	De nimia obesitate, & corpulentia Principibus non minus insalubri, quam indecora. 186
XIII.	De praeservatione a quibusdam morbis, quibus magis obnoxii sunt Principes. 190
	XIV.

INDEX CAPITUM.

XIV.	<i>De regimine Valetudinis Principum in Militari Expeditione, & Castris.</i>	193
	<i>Annotationes Auctoris in Librum Ludovici Cornelli de Vita Sobria Commodis, &c. cum ejus Libro.</i>	197

III.		
IV.		
V.		
VI.		
VII.		
VIII.		
X.		
XI.		
XII.		
XIII.		
XIV.		

INDEX

CAPITUM SECUNDI TOMI.

INDEX CAP. DE MORBIS ARTIFICUM DIATRIBÆ,

Ejusque Supplementi, & de S. Virginum Valetudine tuenda.

Cap. I.	D E Morbis, quibus obnoxii sunt Metallorum Fossore. p. 5	
II.	De Morbis Inauratorum.	10
III.	De Jatraliptarum Morbis.	13
IV.	De Chymicorum Morbis.	15
V.	De Figulorum Morbis.	16
VI.	De Stannariorum Morbis.	18
VII.	De Vitriariorum & Speculariorum Morbis.	19
VIII.	De Pictorum Morbis.	20
IX.	De Morbis, quibus tentari solent Sulphurarii.	22
X.	De Morbis, quibus obnoxii sunt Fabri Ferrarii.	23
XI.	De Gypsariorum, & Calcariorum Morbis.	24
XII.	De Pharmacopæorum Morbis.	27
XIII.	De Morbis Foricariorum.	29
XIV.	De Morbis Fullonum.	32
XV.	De Morbis, quibus obnoxii sunt Olearii, Coriarii, aliique sordidi Artifices.	38
XVI.	De Morbis Tabacopæorum.	42
XVII.	De Vespillonum Morbis.	45
XVIII.	De Obstetricum Morbis.	47
XIX.	De Nutricum Morbis.	50
XX.	De Morbis, quibus obnoxii sunt Oenopæi, Cerevisiarii, & Zythopæi.	60
XXI.	De Pistorum & Molitorum Morbis.	66
XXII.	De Morbis eorum, qui Amylum conficiunt.	70
XXIII.	De Morbis, quibus Frugum Cribatores, & Mensores vexari solent.	71
XXIV.	De Lapididarum Morbis.	73
XXV.	De Lotricum Morbis.	74
XXVI.	De Morbis, quibus Lini, Cannabis, ac Sericearum Placentarum Carminatores tentari solent.	75
XXVII.	De Balneatorum Morbis.	77
XXVIII.	De Morbis eorum, qui in Salinis operantur.	78

INDEX CAPITUM.

XXIX.	<i>De Morbis, quibus tentari solent Statarii Artifices.</i>	80
XXX.	<i>De Sedentariis Artificibus, ac illorum Morbis.</i>	82
XXXI.	<i>De Morbis Judeorum.</i>	84
XXXII.	<i>De Cursorum Morbis.</i>	86
XXXIII.	<i>De Morbis Equisonum.</i>	88
XXXIV.	<i>De Bajulorum Morbis.</i>	91
XXXV.	<i>De Athletarum Morbis.</i>	93
XXXVI.	<i>De Lepturgorum Morbis.</i>	94
XXXVII.	<i>De Morbis, quibus tentari solent Phonasce, Cantores, aliique huius generis.</i>	96
XXXVIII.	<i>De Agricolarum Morbis.</i>	98
XXXIX.	<i>De Piscatorum Morbis.</i>	103
XL.	<i>De Morbis Castrensibus.</i>	104

DE LITTERATORUM MORBIS DISSERTATIO.

De Artificum Morbis Supplementum.

Cap. I.	D E Typographorum Morbis.	119. & seq.
II.	D E Scribarum & Notariorum Morbis.	121
III.	<i>De Morbis eorum, qui apud Aromatarios varia Plantarum Semina saccharo condiunt.</i>	123
IV.	<i>De Textorum, & Textricum Morbis.</i>	124
V.	<i>De Morbis, quibus obnoxii sunt Fabri Aerarii.</i>	125
VI.	<i>De Lignariorum Morbis.</i>	127
VII.	<i>De Morbis eorum, qui Novaculas, & Phlebotomos ad eodem acuunt.</i>	128
VIII.	<i>De Morbis Laterariorum.</i>	128. & seq.
IX.	<i>De Puteariorum Morbis.</i>	130
X.	<i>De Nautarum & Remigum Morbis.</i>	132
XI.	<i>De Venatorum Morbis.</i>	134
XII.	<i>De Suponariorum Morbis.</i>	137

De Virginum Vestalium valetudine tuenda Dissertatio.

XXIII.		139
XXIV.		
XXV.		
XXVI.		
XXVII.		
XXVIII.		
XXIX.		

SERIES OPERUM ONNIUM BERNARDINI RAMAZZINI

- I. O *Rationes Jatrici Argumenti.*
- II. O *Constitutiones Epidemicæ annorum quinque . Accedit Dissertatio Epistolaris de Abusu Chinæ Chinæ.*
- III. *De Fontium Mutinensium admiranda scaturigine Tractatus Physico Hydrostaticus. Accedit Libellus Francisci Ariosti de Petroleo Montis Zibinii , seu Petroleo Agri Mutinensis ab Oligero Jacobæo manuscriptus , in Bibliotheca Regia Hafniensi repertus.*
- IV. *Ephemerides Barometricæ cum Disquisitione causæ adscensus ac descensus mercurii in Torricelliana fistula . Cum tota controversia, quam Autor habuit cum D. C. Gunthero Schelhamero in Kiloniensi Lyceo Medicinæ Professore . Hisce omnibus accedit nova Epistola ejusdem Autoris ad Nob. Virum D. Lucam Schræckium A. N. C. Præsidem , cum solutione problematis ex invento C. V. Domini V. G. Leibnitzii.*
- V. *De Morbis Artificum Diatriba Mutinæ olim edita . Nunc accedit Supplementum ejusdem Argumenti , ac Dissertatio de Sacrarum Virginum valetudine tuenda .*
- VI. *De Principum valetudine tuenda , Commentatio.*
- VII. *Annotationes in Librum Ludovici Cornelii de Vita sobriæ Commodis , cum ejusdem Libro.*
- VIII. *Jacobi Placentini D. Tarvisini Dissertationes duæ de Barometro .*

ACCESSIT

Vita Bernardini Ramazzini a Bartholomæo Ramazzino Med. Doct. ejus ex Fratre Nepote scripta .

INDEX ORATIONUM JATRICI ARGUMENTI. BERNARDINI RAMAZZINI.

O *Ratio I. in Solemni Mutinensis Academiæ instauratione. pag. 1*
Oratio II. Secularis, quam Autor primam habuit in Patavino
Lyceo die 12. Decemb. Anno MDCC.
Tom. I. Oratio 9

I N D E X

<i>Oratio III. Felicius errari a Medico popularem gentem, quam Nobiles, & Principes Viros.</i>	17
<i>Oratio IV. Verum Februm Theorium & Praxim inter ea, quæ adhuc desiderantur, esse recensendam.</i>	26
<i>Oratio V. Medicam Artem Navigatoria similem esse.</i>	32
<i>Oratio VI. Multum conferre Practico Medico, nosse, qualis sit de se communis hominum opinio.</i>	39
<i>Oratio VII. Antiquitatis, & Novitatis studio Medicam perfici.</i>	44
<i>Oratio VIII. In Medicina facienda remediorum simplicitatem operosa compositioni præferendam.</i>	50
<i>Oratio IX. Theorica medicina nullum jus esse, ut supra Practicam dominatum affeâet.</i>	56
<i>Oratio X. De Medicina a sacris literis eruenda.</i>	63
<i>Oratio XI. Hyemalis Constitutio algidissima, Anni 1709.</i>	72
<i>Oratio XII. Medicina cœpisse negligi, cum magis erat æstimanda.</i>	79
<i>Oratio XIII. De Contagiosa Epidemia, quæ in Patavino Agro, & tota fere Veneta ditione in Boves irrepsit, habita in Patavino Lyceo die 9. Novemb. 1711.</i>	85
<i>Oratio XIV. Medicam valetudinarium aptiorem esse ad Medicinam faciendam, quam ulterum inculcata valetudine degentem.</i>	96
<i>Oratio XV. De Peste Viennensi, habita in Patavino Gymnasio die 20 Novemb. 1713.</i>	101
<i>Oratio XVI. Medicam peregrinationem, si non necessariam, saltem perutilem ad artis peritiam, & nominis existimationem comparandam.</i>	

INDEX CONSTITUTIONUM EPIDEMICARUM, &c.

<i>Constitutio Epidemica Ruralis, Anni 1690.</i>	113
<i>Constitutio Epidemica Urbana, Anni 1691.</i>	135
<i>De Constitutionibus trium sequentium Annorum 1692. 1693. & 1694.</i>	152
<i>De Abusu Chinæ China Dissertatio Epistolaris</i>	170

INDEX CAPITUM DE FONTIUM MUTINENSIVM, ADMIRANDA SCATURIGINE.

<i>Cap. I. Structura, qua fieri solent hi fontes describitur; nec non curiosiora, quæ in eorum fossione apparent, & dum aqua emergit annotantur.</i>	186
--	-----

D E

B A R O M E T R O

D I S S E R T A T I O N E S D U Æ

JACOBI PLACENTINI D. TARVISINI,

Quarum Prima continet examen hypothesi D. G. Christoph.
Schelhameri, Altera interpretationem Leibnitianæ,
adjectis aliis circa motus Barometri conjecturis.

L E C T O R I B E N E V O L O S.

More passim recepto, qui de re aliqua scribere aggrediuntur, ii initio statim ejus rei utilitatem, jucunditatemque si qua sit, nec non præcipuum eorum insitutum, uno quasi prospectu ob legentium oculos ponunt. Itaque in hoc tenuissimo vigiliarum nostrarum fructu veterem consuetudinem secuti utrumque præstabimus. Agendum nobis de Barometro, deque admirandis motionibus, quas pro variis alterationibus aeris in eo observamus. Harum causas pro virili parte inquirentes nonnulla de aere, nec non de fluidis in universum dicemus. Barometri utilitatem indicare, hoc præsertim seculo, supervacaneum videtur: quippe satis constat, quos naturalis Philosophia per hoc instrumentum progressus fecerit. Quam fructuosa vero Physicis sit, ac plane necessaria fluidorum cognitio, ii facile pervident, qui animadvertunt, nihil Cælo, Terra, Mari esse, quod ad consistentis, aut fluidi corporis genus non referatur: idcirco nihil a nobis percipi, nihil cognosci posse, nisi ipsorum naturam, proprietates, affectionesque prænoscamus. Duas nos fluidorum affectiones, quantum quidem vires nostræ ferunt, asserere conamur; alteram, quam Galilæus ille, de quo nulla unquam ætas conticescet, tutatus est in libro, cui titulus de Galleggianti, quæ tamen nostri ævi Philosophis non probatur; alteram, cujus occasionem dedit Leibnitius, Vir cum de omni doctrina, tum de Mathematicis disciplinis meritißimus in Epistola, quam jampridem ad eruditissimum Ramazzinum miserat. Utraque fortasse alicui usui futura in Philosophia, si rem acutè tetigi, sin minus, nullam, ut opinor, satis dignam reprehensionis causam præbitura: quando in iis rebus, quæ adhuc ignotæ Physicis sunt, cum maxima hominum parte falli, in magno admodum discrimine ponendum non videtur. Caterum quemadmodum opus ingenio certe non defuit; ita non diffitemur, ingenium operi plurimum defuisse; spem tamen capimus fore, ut nullum de voluntate nostra tibi dubium sit, quam pro tua benignitate æqui, bonique consules. Vale.

D E

B A R O M E T R O

D I S S E R T A T I O P R I M A.



Postquam Evangelista Torricellius, Vir cum omni laude dignissimus, tum in Mathematicis excellens, celebre illud tubi experimentum instituit, in quo mercurium notavit ad viginti octo ferme pollicum altitudinem ab aeris pondere suspendi; barometri, seu baroscopii usus innotuit, quo pondus aeris, ejusque variationes metiri Physices Cultores potuerunt. Quot, quantosque ex hoc uno instrumento naturalis Philosophia fructus cepit, nemo prorsus ignorat: quos tamen multo uberiores cepisset, si omnia illius prænomina initio fuissent perspecta, quorum magna pars adeo in naturæ arcanis reclusa, ut omnem fere eorum conatum fefellerint, qui in illorum pervestigatione laborarunt. Inter hæc vero principem locum

illud habere visum est, quod perspicuo aere, & borealium ventorum afflatu, mercurius adscendat, cœlo nubibus obducto, & nimbo, aut ventis ab austro spirantibus deprimatur: id quod nemo antequam periculum faceret, suspicatus esset; quando, & humorem aere graviores esse constat, & caliginosum aera eodem humore magis foetum esse, sensus ipse testatur, quam sicum, & serenum. Super hoc argumento multus doctorum, & intelligentium Virorum sermo fuit, præsertim vero eruditissimi Ramazzini Medicinæ Praxeos Patavii Professoris Primarii, qui publicatis multis ante annos Ephemeridibus Barometricis, a se per annum singulari diligentia observatis, nec non Borelli errore detecto, hypothesin suam literato orbi proposuit, non semel pro singulari sua, modestia professus, se conjecturas tantum exhibuisse, & vice cotis se functum, ut alios acueret. Non multo post lucem prodiit Epistola D. Guntheri Christoph. Schelhameri in Academia Kilon. Medicinæ Professoris Primarii, cujus titulus, *Solutio Problematis, cur mercurius in tubo Torricelliano pluvioso tempore descendat*: in qua Ramazzini sententia ingeniose admodum excussa, phænomeni causam per hydrostatica principia demonstrasse sibi visus est. Hinc inter doctos viros literaria lis orta, qua in foro D. Lucæ Schroëkii Academiæ n. c. Leopoldinæ Præsidis meritiissimi contestata, in utramque partem magna cum laude disputatum est. Nam, & Ramazzinus causam suam abunde tutatus, Adversarii demonstrationem oppugnavit, & Schelhamerus rem ab altiore principio repetens, geometrico pulvere, & abaco instructus nullum lapidem non movit, quo illius hypothesin infirmaret, & suam restitueret. Verum ob adversam Ramazzini valetudinem, quæ per decem ferme annos ejus cor, & pectus invaserat, nunc vero marcorem pene oculis inducit, res tam longo silentio transacta, ut omnis nobilissimæ controversiæ memoria vix tantum non in totum interciderit. Interim vero cum novum solvendi Problematis modum haberet, quem olim a præstantissimo Leibnitio acceperat, ac nullus prorsus in Italia essent exemplaria de ipsorum controversiis, ratus se in commune bonum peccaturum, si & tam nobili invento diutius lucem distulisset, & nos privasset notitia eorum, quæ utrinque disputata sunt: statuit demum omnibus in unum collectis, quandam quasi barometri historiam contexere.

Et quamvis multas quidem ei in promptu essent, Schelhamero quæ reponeret; decrevit tamen omnia æquissimo legentium iudicio permittere. Animadvertens Igitur ego præstantiam, atque utilitatem argumenti, rem haud injucundam lectori facturum me judicavi, si Ramazzini partes sumens, quæstionem de barometro jam pæne dimissam, cum Schelhamero renovarem, exponeremque Leibnitii sententiam, meis qualibuscunque super eodem argumento conjecturis propositis: quorum alterum in hac dissertatione præstabitur, cætera duo in sequentem reservantur. Placuit vero rem ipsam a Schelhameri hypothesi ordiri, tum quod putem, ejus sententiam altioribus principiis innixam, quam quis ex postremæ ejus epistolæ lectione judicaret, quæque funditus examinari non potest, quin perdifficilis quæstio circa fluida corpora in universum tractetur: tum ne forte legentium fides sub Postulatorum, Lemmatum, Propositionum auctoritate periclitaretur, quibus titulis visis, erit fortassis, qui judicet, profligatam a Schelhamero quæstionem omni ex parte fuisse. Non est vero quod doleat clarissimus Vir, me in ejus sententiam curiosius inquirere, causa satis honesta, qui aliorum placita non semel sugillavit mordaci lotus aceto. Legimus enim in Actis Eruditorum Lipsiæ an. 1709. p. 317. de nitro cum veterum, tum nostrorum commentationem sub ejus nomine prodiisse, in qua libellus de salibus multum convellitur, quem olim edidit Præceptor noster D. Dominicus Gulielmini magno cum bonorum omnium dolore, proxima, quæ præcessit, æstate nobis ereptus; cujus de ea re doctrinam, extra teli jactum positam esse, existimamus. Sed minus fortasse dolebit, cum perspiciet, me in hac quæstione haud aliter facere, quam ingenuum hominem decet, qui candide omnia, ac simpliciter, nihil insectandi, nihil oblatrandi studio proferam, sed solo veritatis amore, ad refutandum alios minime proclivis, multo libentius refutaturus ipse me, si admonitus fuero. Sed ad rem ipsam aggrediamur.

Schelhameri igitur hypothesi, quantum quidem mihi ex repetita utriusque ejus Epistolæ lectione assequi datum est, duas habet partes: in altera explicat, cur aer humidior factus minorem super barometro pressionem exerceat: in altera motus barometri ad hydrostaticam suam (cujus scientiæ nova planè fundamenta jacit) revocare contendit.

Primam hoc loco placet exponere, secunda alio commodius rejecta: est vero ad hanc ferme sententiam. Aerem hunc, in quo versamur, ab humore, quem pluvioso cœlo plurimum imbibit, adeo lentescere, inspissari, cogique, ut consistentis corporis speciem quodammodo referat. Ejus densitatis, corporisque ex haud dubio nubium argumento duci conjecturam posse, quæ cum loco tantum a caliginoso aere differant, ita, & solem obumbrant, & figuram suam tuentur, ut oculis ipsis solidæne, an fluidæ sint, judicari non possit. Ab hujusmodi igitur aere, ubi telluris fundamento fulcitur, ita incumbentis atmosphæræ onus, ceu quodam fornice sustineri, ut a mercurio, qui in barometri vase continetur, aliquam ejusdem oneris partem intercipiat; inde fieri, ut altera pars mercurii, quæ in tubo suspenditur, prævalente ejus pondere nonnihil descendat. Cum vero sudum sit, aerem, ubi primum humoris sarcinam deposuerit, recuperata fluiditate, minus atmosphæræ oneris prohibere a mercurio, & in causa esse, cur mercurius altius adscendat in barometro.

Vides igitur, quo potissimum fundamento ejus sententia superstruatur, fluida nimirum, ubi lentorem, & viscositatem contrahunt, aliquam saltem incumbentis aeris pressionem arcere posse a corporibus, quæ in ipsis immersa sunt. Quare eam excurrentibus nobis id onus incumbit, ut hujus propositionis falsitatem ostendamus; quod convenientius fieri non posse videtur, quam si propositio ipsa ad sua principia redigatur. Quæstio igitur, an fluida in universum tueri possint corpora, quæ in illis immersa sunt, contra incumbentis gravis pressionem, seu an impedire valeant, quo minus eadem pressio subiectis omnibus eorundem fluidorum partibus tota communicetur; quæstio, inquam, hæc ad priorem aliam redigitur, an fluida ullam partem adhesionem habeant. Duplex autem adhesionis species esse videtur: altera, per quam partes intestino motu actæ, seu celeri, seu tardo, nullum inter se habent firmum, stabilemque contactum; sed solum a sui massa, vel a corporibus, quæ immediate tangunt, ob circumprimens aliquod, quod postea dispiciemus, ægre divelluntur: altera, per quam omnes ita adherescunt inter se, ut non solum a sui massa divelli, verum etiam a dispositione, ordine, configuratione, in qua sunt, non sine aliqua difficultate dimoveri possint. Prima partium adhesio cum intestino earun-

dem motu concipi potest: secunda cum sola quiete, & conatu aliquo ad consistendum a nulla potentia superato, sive iste conatus partium a sola ipsarum quiete, ut olim Carresio placuit, sive a positivo aliquo nascatur. Quærenti vero causam, ob quam trabes, fornices, atque alia hujusmodi, tuentur subiecta corpora contra incumbentium gravium pressionem, non alia certe probabilior occurreret, quam partium ad partes adhesio secundo modo accepta, per quam una ex alia nexa, atque omnes ita inter se aptæ, colligatæque sunt, ut nulli earum secundum incumbentis oneris directionem moveri datum sit, quin una omnes moveantur. Quare si fluida corpora id unquam præstare possint, hanc partium adhesionem, quantulatunque ea demum sit, habeant necesse est. Hinc controversiæ summa vertitur in eo, ut quæramus, an fluidorum partes non solum ex sui natura consistant; verum etiam vim habeant ad consistendum, & ad conservandam dispositionem configurationemque, in qua sunt, a nulla potentia superatam. Enim vero si fluida, ubi saltem lentorem acquirunt, ab hac adhesionem non eximuntur; fieri saltem poterit, ut eorum partes ita inter se disponantur, atque ordinentur, ut Schelhameri fornix efficiant, in quo veluti conclusæ partes reliquæ ab incumbentium gravium pressione muniantur; hinc veri saltem simile videbitur, ab inferno hoc aere, in quo versamur, ubi præsertim ob liquoris missionem lentescit, incumbentem atmosphæram aliquo saltem in loco impediri posse, quo minus super barometro omnem suam gravitationem exercent.

Id, inquam, veri saltem simile videbitur. Nam etsi experimento Acad. Florent. satis vulgato constat, hydrargyrum in barometro de statione sua non decedere, ubi barometrum vitrea Campana coopertum sit, quæ inclusi aeris cum externo communicationem omnem prohibeat, & hydrargyrum ipsum tueatur ab onere incumbentis atmosphæræ: tamen illud etiam experimento notum est, hydrargyrum ipsum de statione sua non decedere, quandiu inclusus aer cum barometro eandem elasticitatem conservat. Ea enim remissa, hydrargyrum descendere perspicuum est, & eam ob causam descendere, quod vitrea campana atmosphæræ onus sustentat.

Iccirco hanc mihi Schelhameri sententiam falsam ostensuro, *cohesionem*, non omnem quidem, sed hoc sensu acceptam, cui illa quasi

quasi fundamento, nititur, aeri non inesse demonstrandum est, ac in universum probandum, fluida omnia, quemcunque lentoris, & viscositatis gradum habeant, hac partium adhæsione, resistentiaque carere. Id vero quam sit difficile probatu, doctissimus Galilæus argumento esse potest, qui etsi propositionem hanc multis & rationibus, & experimentis ostendere conatus est in libro *de Galleggianti*: tamen neminem Scriptorum inveni, quantum ego quidem videri potui, qui ab eo non dissentiat. Omnes enim, qui post eum hac de re sermonem instituerunt, in fluidorum phænomena diligentius inquirentes, perexiguam quidem his corporibus partium adhæsionem tribuerunt (idest contactum partium cum quiete, & nisu aliquo ad eum conservandum) eam tamen, quam sensibus non carentes negare non possunt. Eo demum perventum, ut inter probatissimos etiam Viros non defuerint, qui nulla habita distinctione, dicere non dubitaverint, *esse delirantium somnium, humidum, seu fluidum nullam habere resistentiam ad divisionem*. Eas igitur nobis partes sumimus hoc in loco, ut experiamur, an tanti Viri sententiam confirmare valeamus, quod prosperene, an secus cessurum sit, aliorum iudicium esto. Itaque eum disputationis ordinem designamus, ut primum hanc partium adhæsionem, cum fluidorum natura convenire non posse, deinde eam hydrostaticis experimentis repugnare ostendamus; illas postremo difficultates amoliri conemur, quæ ipsi Galilæo propositæ non fuerant, quibus effectum, ut ab eo de scitum sit. Si id erimus, ut spero, affectui Schelhameri hypothesi e suis fundamentis sublata nobis videbitur, quo facto alteram ejus partem, in qua barometri motus per hydrostaticam suam explicat, paucis examinabimus.

Ajo igitur primum, eam, quam diximus adhæsionem, videlicet contactum partium, cum quiete, & nisu quantulocunque ad eum conservandum, fluidis corporibus adeo esse contrariam, ut, ea posita, omnis fluidi natura tollatur. Fluidum, si nomen ipsum interpretemur, illud dicitur, quod per se, aut ex interno quovis principio aptum est ad fluendum. Huc fere omnes fluidi definitiones spectant, id fluidum esse, quod nullam per se figuram conservat, quod omnem ab ambiente suscipit, quod interminabile proprio termino, facile terminabile alieno existit. At ego non videam, qui id corpus flue-

re per se unquam possit, cujus partes ita cohererent inter se, ut eam dispositionem, atque ordinem, in quo sunt, per se vel minimum tueri valeant. Habeat nimirum fluidum aliquod hanc partium adhæsionem, quantulacunque demum ea esse dicatur: eam constet vi cuiuspiam motrici æquipollere posse; ergo & ponderi cuiuspiam. Sit primum pondus paucaram ejusdem fluidi partium; igitur si vel in cilindri, vel cubi, vel alterius cujusvis corporis figuram componantur, formam, quam primum induerunt, non amittent, licet cubico, aut cilindrico vase non contineantur. Rursus horizontaliter complanari, aut circa telluris centrum conglobari per se haud poterunt. Sit deinde id pondus alterius cujusvis corporis; tale igitur corpus ita super fluido natabit, ut nulla sui parte mergatur. Quæ omnia quoniam convenire non possunt cum corpore, quod per se fluendi vim habet; sequitur, hoc quaecunque fluidum ita de natura sua decessisse, ut non amplius fluidi, sed consistentis, aut duri etiam corporis vires obtineat. Difficultas enim, quam ejus partes habere dicuntur ad descendendum e suo loco, non solum earum quietem ponit, sed talem etiam continuitatem, quæ corporis cuiuspiam vim, impressionemque sustinere valeat. Rursus fluida omnia intestino motu moveri nemo inter Philosophos non admittit. Neque vero eo cogimur, ut quæramus hoc in loco, an in eo fluiditatis ratio ponenda sit, ut Cartesio, & Boyleo placuit, an ipse sit necessaria quædam fluiditatis affectio, ut alii maluerunt. Satis enim ad rem nostram videtur, si dicamus, omnes fluidorum partes intestino motu moveri necessitate quadam, id quod ad eorum phænomena attendentes negare non possunt. At vero in hac motione id saltem requiri constat, ut motarum partium adhæsio, si qua sit, ab interno movente, quicumque is demum fuerit, perpetuo tollatur, motu saltem aliquo, seu celeri, seu tardo. Nam patet, fluidorum partes ita secundum omnes loci differentias moveri, ut earum configuratio perpetuo mutetur. Contra autem in ipla partium adhæsione id necessarium videtur, ut nulla earum a sua sede pellatur, atque situm mutet: cum id solum alteri adhærere dicatur, quod ab eo non discedit. Non est igitur, cur dicamus fluida corpora hac partium adhæsione gaudere, quando ea posita, vel omnis fluidi notio, vel saltem necessaria ejus affectio tollitur.

Hydrostaticis vero legibus, ac experimentis

etiam ipsis hanc fluidorum adhæſionem adverſari, aliquot argumentis oſtendam, quorum tamen vis tunc ſolum apparebit, cum ad Adverſariorum objectiones respondebimus. Primum conſtat, ſolida corpora, quæ graviora, aut leviora in ſpecie ſunt fluido, poſita fluidorum adhæſione, in quolibet ejus loco manſura; id quod Archimedes prius experientia falſum eſſe deprehendit, mox propoſitione texta, & ſeptima primi libri de inſidentibus humido falſum pronuntiavit. *Solidæ enim magnitudines, inquit, humido leviores in humidum demerſæ ſurſum feruntur tanta vi, quanta humidum molem habens magnitudini æqualem gravius eſt ipſa magnitudine.* Item, *ſolidæ magnitudines humido graviores demerſæ in humidum feruntur deorſum, donec descendant, & erunt in humido tanto leviores, quanta eſt gravitas humidi molem habentis ſolidæ magnitudini æqualem.* Adhæreant enim, ſi fieri poteſt, fluidorum partes inter ſe, & configurationem ſuam vel minimum tueantur. Immeſſo igitur corpori, quod in ſpecie gravius eſt fluido, duæ vires opponantur neceſſe eſt, pondus fluidi mole æqualis, & adhæſio partium ejusdem: item fluido, quod in ſpecie gravius eſt ſolido, duæ vires obſiſtent, ſolidi immerſi gravitas, & adhæſio partium fluidi. Quare cum duas hæſce vires ſimul conjunctas valentiores eſſe conſtet, quam aut ſolam fluidi gravitatem, aut ſolam gravitatem corporis immerſi; ſequitur utrumque ſolidorum contra hydroſtaticas leges conſiſtere in fluido poſſe. Rationes, quæ contra adduci queunt, ſolida nimirum tum graviora, tum leviora in ſpecie fluidis, ubi in minutiffimas partes diviſa ſunt, a fluidorum adhæſione ſuſtineri; nec ſecus corporibus ſenſibilis magnitudinis accidere ſolere, ſed quia eorum pondera in exigua admodum differentia ſunt cum æquali mole fluidorum, ideo eam nos metiri non poſſe; has, inquam, & hujusmodi alias rationes pauliſper quæſo differant adhæſionis Fautores, dum in hoc argumento verſamur, quæ quanti roboris ſint, poſtea diſpiciemus. Conſtat rurfus, admiſſa fluidorum adhæſione, unum, idemque ſolidum nunc majore, nunc minore ſui parte ſupra idem fluidum extare poſſe, quod itidem falſum eſſe liquet ex eodem Archimede propoſitione quinta, ubi habet: *ſolidarum magnitudinum quæcunque levior fuerit humido, demerſa in humidum uſque eo demergitur, ut tanta moles humidi, quanta eſt partis demerſæ,*

eandem, quam tota magnitudo, gravitatem habet. Si enim tale ſolidum nunc magis, nunc minus in eodem fluido mergatur, quam ſpecifica ejus gravitas requirit, facile eſt oſtendere, adhæſionem fluidi impedimento futuram, quo minus ad eam præciſe altitudinem ibi adſcendat, hic vero deſcendat, in qua pars fluidi æqualis parti demerſæ omne ejus pondus æquet; ac propterea effecturam, ut id nunc majore, nunc minore ſui parte ſupra idem fluidum extet. Fingamus primum eam ſolidi partem intra fluidum conditam eſſe, cui æqualis moles fluidi minus gravitet, quam totum ſolidum. Cum duæ vires ulteriori ejus merſioni obſiſtant, fluidi nimirum gravitas, & ſuarummet partium adhæſio, hæ vires ſimul conjunctas plus roboris habere conſtat, quam ſolam fluidi gravitatem. Itaque, ſi gravitas fluidi eam tantum ſolidi partem, intra ſui ſubſtantiam condi ſinit, cui æqualis moles fluidi toti ſolido æquiponderet; gravitas, & adhæſio ſimul, minorem adhuc ejusdem ſolidi partem intra ſui ſubſtantiam condi ſinent. Fingamus rurfus, eam ejusdem ſolidi partem intra idem fluidum mergi, cui æqualis moles fluidi plus ponderis habeat, quam ipſummet ſolidum. Cum fluido illud ſurſum pellenti duæ vires obſiſtant, ſolidi gravitas, & adhæſio partium fluidi, hæ utique ulteriorem ejus emerſionem impendient. Ex quo liquet, idem ſolidum in eodem fluido poſitum modo majore, modo minore ſui parte ſupra idem fluidum extare poſſe; ac propterea Archimedis propoſitionem veram, non futuram. Neque vero dicant adhæſionis Aſſertores, id ab adhæſione ipſa minime expectandum, cum ea ſemper inſenſibilis ſit; nam eam ſenſibilem reddi poſſe, ſi modo ulla in iis eſſet, ex inferius dicendis conſtabit. Præterea inter omnes fere Scriptores convenit, viſcoſitatem, & lentorem fluidorum ab ea, quam diximus, adhæſione non diſtingui. hinc fluida, quæ cæteris lentiora, viſcoſioraque ſunt, majorem habere adhæſionem, per quam eorum partes e ſua ſede, & loco, in quo ſunt, turbari magis repugnant. Maneant hæc omnia, (in quo enim lentor, & viſcoſitas fluidorum poſita ſit, quæremus poſtea) inde ſequitur, ut in hiſ fluidis, quæ viſcoſiora ſunt, multo etiam graviora, aut leviora in ſpecie ſolida conſiſtant, quam in hiſ, cæteris paribus, minori viſcoſitate afficiuntur. Quod proſecto quam alienum a vero ſit, experientia demonſtrat. Notum enim hydroſtaticas leges in omnibus ad unum fluidis

dis absolvi, hoc solum discrimine, ut motus solidorum segnius sequatur in iis, quæ cæteris paribus majori viscositate donantur. Neque vero Archimedem ipsum, ubi hydrostaticas leges statuit, de uno, vel altero fluido speciatim, sed de omnibus in universum, locutum constat. Demum, ut alia multa præteream, non difficile probatu videtur, hac adhæensione, omnem hydrostaticis viam intercludi, per quam fluidorum, solidorumque corporum specificæ gravitates cognoscantur. Fluida omnia viscositatem, & lentorem aliquem habere phænomena ipsa luculenter ostendunt; at lentor, & viscositas, ut suis quidem auctoribus videtur, a tali partium adhæensione pendet, per quam configurationem suam vi a nulla potentia superata tuentur. Conveniens igitur est, ut qua ratione eorum lentorem, ac viscositatem augeri dicunt, vel imminui, eadem prorsus adhæensionem ipsam, a qua hæ affectiones pendent, augeri simul, vel imminui concedant. Contra vero constat, lentorem, ac viscositatem fluidorum eandem rationem inter se minime habere, ac eorum specificas gravitates. Nam in oleo olivarum major viscositas, quam in aqua deprehenditur, aqua tamen levius esse omnes norunt: vinum aquâ levius apparet, quod tamen viscosius esse, vel ex eo liquet, quod si cartæ bibulæ, aut linceo panno superinfundas, aqueæ particulæ ab ejus mistione separatæ multo celerius per ea diffunduntur: aqua salita gravior dulci est, eâ tamen minus viscosam multis experimentis cognovisse se ait Geminianus Montanari in libello, cui titulus, *Risposte ad alcune obbezioni*. Si ergo adhæensiones partium fluidorum eandem inter se rationem habent, ac eorum viscositates: si viscositates ipsæ non eandem inter se rationem servant, ac eorum specificæ gravitates; sequitur reperiri fluidum, quod & levius in specie sit altero, & majorem habeat suarummet partium adhæensionem. Possibile igitur erit, ut vel hydrostatica libella multo altius in fluido graviore mergatur, quam in leviore, & magis viscoso; vel si unum idemque solidum in diversis fluidis expendatur, multo quidem in leviore, quam in graviore, & minus viscoso præponderet. Ex quibus rebus perspicitur, admissa fluidorum adhæensione, nullam Hydrostaticis viam patere posse, per quam solidorum, fluidorumque corporum specificas gravitates cognitæ habeant.

Paucis hisce (multa enim de industria missa facimus) Galilæi propositio constabit, si

ad ea responderimus, quæ ab Adversariis obijciuntur. Quoniam vero tanti ea ponderis sunt, ut, & doctissimos Viros ab eo discedere coegerint, & hypothesim Schelhameri magnopere confirmassent, si eis auctor uti voluisset; operæ pretium nos facturos judicavimus, si majorem in iis removendis, quam in stabilienda Galilæi sententia operam poneremus. Horum autem summa est: lentor, & viscositas fluidorum: sustentatio minutissimorum corporum in fluidis, quæ graviora, aut leviora in specie ipsis sunt: grandiorum etiam corporum innatio in fluidis levioribus: liquorum guttæ, filamentaque illa fluida, ac prælongi funes, quos inter cadendum liquores componunt: bullæ, quæ ex agitatissimis liquoribus gignuntur: liquorum adscensus supra libellam tum circa quorundam corporum superficies, tum per tubulos ipsos; atque alia hujusmodi. A primo igitur initium sumamus, quod aliorum fundamento esse videtur, quærentes quid fluidorum lentor, & viscositas sint, & à quibus causis producantur.

Duæ potissimum, ut mihi videtur, affectiones sunt, per quas fluida corpora lenta, & viscosa dicuntur, altera, quæ in externis eorum partibus, ac ad superficiem prorsus spectantibus apparet, altera, quæ in iis præterit quæ interiorem eorum substantiam componunt. Prima est repugnantia quædam, quam habent eorum partes ad divulsionem tum a massa, tum ab aliis corporibus, quæ mædificiunt: secunda repugnantia non ad fluendum quidem, (hoc enim nomine a consistenti corpore non differrent) sed ad prompte, facileve fluendum. Harum igitur rationem allaturi Scriptorum plerique judicaverunt, adhæensionem, quondam in his corporibus admitti oportere, atque eam adhæensionem per quâ eorum partes non solum consistent, verum etiam configurationem suam vi a nulla potentia superata tueantur. Ejus vero causam alii glutini cuidam retulerunt acceptam; alii flexioni ipsarummet partium, quæ vermium in morem mutuo vinciantur. Alii contra lanugini cuidam flexibili, & resiliendi, quæ earum superficiebus adnata, eas inter se conjungat. Ingeniose quidem omnes: an vero apte ad id, quod volunt, explicandum, ambigitur. Nam si adhæensionis causas primum consideres, quas ipsi attulerunt, quemadmodum constat, nullam earum ad consistentiam, duritiemque corporum inducendam valere; ut celeberrimus P. Malebranchius in Tractatu de inquirenda veritate lib. 6. Cap. ultimo patefecit; ita fluidorum adhæensionem

nem per eas explicari non posse, iisdem principiis facile fortassis ostendi valeret. Quod vero ad adhæSIONEM ipsam attinet, ea certe, quam illi fluidis corporibus attribuunt, concedenda non videtur. Nam si id solum fluidum esse convenit, quod per se, vel ab interno quovis principio aptum est ad fluendum; si præterea nullum internum fluxioni impedimentum inesse potest in corpore, quod per se fluere debet, seu nulla partium adhæSIO, per quam impediuntur, quo minus vel prompte, facileve, vel segniter admodum fluant; sequitur, corpus, tale habens impedimentum, consistentis, autetiam duri corporis naturam habere, fluidi nomen obtinere non posse. Quærendum itaque, an hæ fluidorum affectiones, aliunde explicari, salva eorum natura, melius possint; quod si procedet nobis ex sententia, ea, quæ plurimum Galilæi asserto negotii facessere videtur, sublata ratio erit.

1. Principio igitur constat, multa inter nos fluida corpora reperiri, quæ & textura, & magnitudine, & figura partium inter se plurimum differunt. Notum enim, cum multa, ac varia phænomena Physicis explicanda essent, alios præter fluida, quæ sensibus objiciuntur, divisisse aerem in varias species, alios, quibus tot aeris species ad nimis pauca sufficere videbantur, subtilius adhuc fluidum excogitasse, æthera nimirum; alios demum, cum neque id satisfacere omnibus posset, ad tenuissimam materiam confugisse, quæ facile per cuncta meabilis nullius non corporis poros penetraret.

2. Quidquid vero de hoc ultimo sentiendum sit, dubium non videtur, quin crassiora fluida ita cum tenuioribus misceantur, ac temperentur, ut in horum substantia innatent. Vis aeris elastica, calor, lumen denique ipsum, quod per eum diffunditur, manifesto indicio esse possunt, partes aeris in multo saltem æthere innatare. Magnæ, illæ ac frequentes bullæ, quæ in aqua excitantur, ubi vel incumbens aer exantletur, vel ipsa incalescat, ostendere videntur, multum ætheris, tenuiorisque aeris in ejus substantia contineri. Quamquam vero, dum crassiora fluida in tenuioribus innatare dicimus, absurdum quibusdam admisisse videamur; tamen non erit id absurdum auribus eorum, qui ne sibi aditum ad quamplurima explicanda clauderent, primigenium aliquod vel fluidum, vel liquidum, vel spirabile corpus admittunt, a quo reliquorum fluiditas sit, sive ejus natura a tenuitate partium, ac figura plane sphaerica oriatur, sive partim a materiæ proprietate, cu-

jus prima, ac simplex notio esse videtur, ut ejus partes nulla inter se adhæSione cohæreant, partim ab impresso motu, per quem quoquo versus diffunditur.

3. Quemadmodum autem tenuiora fluida, cum crassioribus miseri, multa quidem nobis ostendunt; ita perspicuum videtur, crassiora, pleraque, ne inter se commisceantur, sibi invicem mutuo impedimento esse. Sic crassior aer, oleum, ac cætera hujus generis fluida, cum aqua non facile temperantur, sive id fiat ob diversam componentium partium magnitudinem, figuram, & motum, sive ob æqualem pressionem, quam unum eorum circa alterum exercet, per quam illius partes cuneorum æque distributorum in morem sibi viam intra hujus substantiam intercludunt, seu ob interjectum aliud tenuius fluidum inter utriusque partes, quod eas ad se propius accedere non permittat, seu alia demum de causa; experientia certè nullam de hac re dubitationem relinquit. Aqua enim in syphonibus, ac tubis ad triginta trium circiter pedum altitudinem non ascenderet, neque mercurius ad viginti octo ferme uncias, nisi a crassioris aeris pondere in eisdem tubos adigerentur; neque ad eam altitudinem adigi certe possent, si idem aer eorum substantiam pervaderet. Neque alia fortassis de causa, ubi hæc fluida à tenuiore aere expurgata sunt, ad multo majorem altitudinem ascendunt in tubis, nisi quia eorum partes, quæ ante a solo crassiore aere premebantur, qui eorum substantiam penetrare non poterat, tunc tenuiore etiam detracto, interceptoque ejus ingressu, ab utriusque pondere urgentur.

4. Notum præterea, fluida omnia ad eandem altitudinem non attolli, sed quædam eorum altius, quædam humiliter certam sibi sedem, ac terminum in hoc orbe adspectabili constituere. Sic aqua supra telluris superficiem non eminet: crassior aer paucorum miliariorum altitudinem non excedit: qui tenuior est, multo etiam elatior: tenuissimum omnium ad aliquot centena milliaria assurgere, multa ostendere videntur: ætheris tandem profunditas omnium maxima; adeo ut si lumen ac pleraque cœlorum phænomena explicanda sint, tantam ætheri saltem altitudinem concedamus oportet, quanta vortici in quo versamur implendo sufficiat, fateamurque eum non solum ab errantibus stellis agitari, premique, verum etiam a fixarum vorticibus, qui eum circumplectuntur. Rursus attendenti tum ad barometrum, tum ad lumen

men a sole; cæterisque stellis ad nos usque transmissum, tum ad admiranda magnetis phænomena, &c. quæ certe sine impressione modo ætheris, modo subtilioris, crassiorisque aeris ad nos usque communicata, explicari non possunt; constabit fluida omnia vim aliquam, impressionemque suscipere a superioribus suis partibus, quæ eorum sphaeram componunt. Ex quibus consequitur, ætheris partes, quæ apud nos sunt, præditas esse vi pene infinita, tum ad penetrandum, tum ad movendum sublunaria omnia; subtiliorem vero aerem minore quidem, permagna tamen, instructum esse; inferiora autem fluida successive minore, ea nimirum, quæ & suarum sphaerarum altitudini quodammodo respondeat, & altitudini eorum, a quibus penetrari non possunt.

5. Ex pluribus tandem observationibus liquet, ob id solum quædam corpora componentium partium unionem, seu veram, seu apparentem servare, quod ab ambiente fluido circumprimantur, quod cum eorum interstitia penetrare non possit, pro suæ activitatis modo easdem partes, cohibet, cogitque. Contra vero alia constat ob id solum in pulverem resolvi, liquari, dispergi, quia fluidum, in quo continentur, vel omne, vel majore sui parte eorum substantiam pervadit. Hinc oritur magna illa corporum adhæsiō, quæ ob lævorem suum se se fere immediate contingunt. Hinc duo hæmisphæria intus cava, & unita, ex quibus aer exhaustus sit, difficile separantur. Hinc etiam est, cur alia corpora non solum minime cohæreant, sed etiam ubi conjuncta fuerit, se se invicem expellant.

Ex his duæ illæ affectiones, a quibus fluidorum lentor, & viscositas pendent, multo aptius explicari posse videntur, quam per illam partium inter se cohærentium quietem, perque illum conatum ad consistendum a nulla potentia superatum, quem Adversarii in iis supponunt. Illud enim initio constat, eorum partes nullam inter se conjunctionem, adhæsiōemque servare. Nam si illas in tenuiore materia natare, & multa phænomena ostendunt, (n.2.) & ratio ipsa convincit, (n.4.) si præsertim ad maximam illam ætheris, subtiliorisque aeris vim tum penetrandi, tum movendi attendamus; necesse est, easdem partes eam inter se adhæsiōem, illumque firmum, stabilemque contactum habere non posse. Constat deinde easdem partes, etsi inter se minime adhærescunt; repugnare ta-

men quo minus & a sui massa divellantur, & a corporibus, quæ madefaciunt. Nam licet ab intercurrente ætheris, subtiliorisque aeris, materia perpetuo disjungantur; tamen cum earum interruptio tanta non sit, quanta ambienti fluido crassiori admittendo sit satis, (n.3.) hoc, via omni interclusa, gravitate sua eas ita cogit, (n.5.) ut apparentem unionem acquirant inter se, & cum solidis corporibus, valideque retineant. Constat demum unius cujusque fluidi partes ita ab universalibus hisce causis determinata velocitate intestine moveri, ut celeriori motui a quavis alia causa suscipiendo resistent. Cum enim fluida, omnia (n.1.) & textura, & magnitudine, & figura partium inter se plurimum differant; sequitur, alia majorem, alia minorem ætheris, subtiliorisque aeris substantiam intus susceptas majori in his materie movendæ quantitati, quam in illis applicari; demum majores, crebrioresque partium affricus in istis, quam in illis sequi. Ob quæ fieri profecto non potest, quin unumquodque fluidum, & peculiari velocitate intestino motu moveatur, & celerius moveri ab alia quavis causa repugnet. Per hæc, si rem satis percipio, quæ illæ affectiones, ob quas fluida corpora, lenta, & viscosa vocantur, salva eorum natura, explicari possunt; quæ certe per suppositam illam adhæsiōem partium, perque firmum illum, stabilemque contactum, non possunt. Ex his etiam planum videtur, eorum viscositatem, ac lentorem, quandam esse suarummet partium repugnantiam, tum ad amittendam, non veram quidem, sed apparentem illam unionem, quam habent inter se, & cum solidis corporibus, quæ madefaciunt, tum ad suscipiendum intestinum motum majorem eo, quo ab internis principiis cientur: quæ partim a circumprimente corpore gignitur, partim a textura, magnitudine, figuraque partium, ex quibus componuntur. Ex his demum intelligere licet, per easdem affectiones non probari, fluida eam habere partium adhæsiōem, per quam non solum natura sua consistant, verum etiam a configuratione sua dimoveri vel minimum repugnent. Reliquum esset, ut de viscositatis, & lentoris effectibus, sigillatim ageremus, quærentes, num his fundamentis explicari omnes queant. Sed quoniam de iis aliis in locis dicere necesse est, cum ad cæteras objectiones respondebimus, eorum tractationem in præsentiarum omittendam ducimus, ut brevitati, quantum possumus, consulamus.

Inter ea, quæ Galilæo obijciuntur, vim demonstrationis habere videntur minutissima illa corpora, quæ etsi multo graviora, aut leviora in specie sunt fluidis; tamen in eorum substantia continentur. Nemo mortalium nescit, sales, terras, metalla, quæ graviora sunt aqua, vegetabilia omnia, quorum magna pars leviora sunt, aerem denique ipsum horum omnium levissimum, in aqua consistere; ubi hæc corpora in minutissimas partes divisa sunt. Nec lecus fieri constat in aere ipso in quem corpora omnia migrare quotidie cernimus, ac in eo contineri. Quoniam vero hujus phænomeni probabiliorer rationem afferri nullam posse putant Physicorum plerique, quàm adhæsiorem fluidorum, talem nimirum conatum partium ad manendum in eo loco, & situ, in quo sunt, quem minutissima illa corpora per illas dispersa vincere non valent: ea re fit, ut id tanquam certissimum ejus affectionis fluidorum indicium assument. Horum igitur rationem paucis complectamur. Lentor, inquit, ac viscositas, in universum nihil aliud est, quam adhæsiore partium corporis illius, quod viscosum, & lentum vocamus; ob quam eo inter se glutine continentur, ut unaquæque a vicinarum contactu, atque omnes a configuratione sua dimoveri ægre possint. Quoniam vero sustentatio minutissimorum corporum in fluidis manifesto indicio est viscositatis, lentorisque eorundem fluidorum; in dubium revocari non potest, quin fluida omnia hanc partium adhæsiorem habeant. Quod si ab iis quæramus, qui unquam fiat, ut adhærentes inter se fluidorum partes minutissimorum corporum omnem plane motum cohibeant, majorum non item; paucis quidem præsuppositis ad sensum usque rem demonstrant. Initio constat, corporum similia, ac homogeneorum id, quod minus est, majorem, præ suo pondere, superficiem habere, quam majus. Nam si intelligatur series laterum decrescens; certum est, si per eam descendamus, eorum cubos magis immitti, quam quadrata. Quoniam vero corporum similia; & homogeneorum pondera sunt inter se ut cubi laterum homologorum, superficies autem ut quadrata tantum; sequitur, eorum pondera, per seriem ipsam descendendo, magis semper decrescere, quam superficies, ac propterea corpora, quæ minora sunt, majorem habere superficiem quam majora, si cum suis ponderibus conferantur. Rursus notum est, ejusdem fluidi resistentiam eadem prorsus ratione augeri, qua corporum

superficies, quæ in eodem fluido moventur. Ratio itidem manifesta. Nam si ubi corpora in fluido moventur, fluidi partes loco cessuræ, motum non solum suscipere debent, ut Galilæus aiebat, verum etiam divelli, distrahi, ac filamenta, ut ita dicam, quibus neſuntur, perrumpi: si rursus quo major est superficies, qua corpus in fluidum offendit, eo etiam major movendarum, evellendarumque fluidi partium numerus occurrit; consequens est, ut fluidi resistentia tanto major fiat, quanto major est superficies corporum, quæ in eo moventur. His positis, si consideremus, inquit, corpus quodcunque gravius in specie fluido, quemadmodum ubi in minorem molem redigitur, minori etiam velocitate id moveri perspicimus, quod ob auctam ejus superficiem major ei obijciatur fluidi resistentia: ita continuata imminutione ad eam tandem molis parvitatem perveniat necesse est, in qua, facto inter ejus vim, & fluidi resistentiam æquilibrium, omni prorsus motu privetur. Concipiamus v.g. sphæram aliquam ex materia quadruplo graviore aqua conflata. Eam constat, si aquæ viscositas non obstarer, descensum molituram vi quatuor graduum. Intelligatur resistentia aquæ, ea nimirum, quæ ab adhæsiore suarum partium gignitur, æqualis 1. Erit vis sphære ad aquæ resistentiam, ut 4. ad 1. Si ex eadem materia sphæram subquadruplam fingamus, certum est, hanc niti in descensum vi 1. subquadrupla nimirum: & quoniam ejus superficies est subdupla fere superficie sphære præcedentis; non in subquadruplam aquæ resistentiam, sed in subduplam offendet, nimirum, in $\frac{1}{2}$; ac propterea erit vis ejus ad resistentiam aquæ fere ut 1 ad $\frac{1}{2}$. Fingamus rursus ex eadem materia sphæram aliam subquadruplam præcedentis. Constat ejus vim æqualem futuram $\frac{1}{4}$ subquadruplam nimirum; superficiem vero subduplam tantum superficie ejusdem. Quare cum in subduplam aquæ resistentiam incurrat, idest in $\frac{1}{4}$; sequitur æquilibrium inter oppositas vires futurum, & per consequens sphæram eandem in quolibet situ aquæ mansuram.

In hunc ferè modum ab adhæsiore Fauto-ribus disputatur, quibus tamen, si propositionem suam his rationibus demonstratam putent, multis de causis assentiri non possum.

Primum enim viscositatem, ac lentorem eam esse volunt partium adhæſionem, quantula-
cunque ea ſit, quæ non ſolum abſolutam earum quietem ponit, verum etiam conatum aliquem perſiſtendi in eo loco, in quo ſunt, a nullo interno movente ſuperatum: id quod quantum fluido corpori repugnet, pluribus eo loco oſtendere conati ſumus, quo fluidi viscoſitatem, & lentorem explicuimus. Præterea eorum ratio hoc fundamento nititur, quod minutiffima illa corpora, quæ in fluidis continentur, omni ferme motu careant: quod verumne, an falſum ſit, inteſtinum fluidorum motum conſiderantibus, eo ſaltem tempore, quo fruſtulum ſalis in aquam injectum diſſolvitur, ſolutæque ejus partes per aquam ipſam diſperguntur, perſpicuum eſſe poteſt. Supponunt etiam, prædicta corpuscula id ſolum præſtare, ut cum majorem, præ mole ſua, ſuperficiem fluidis opponant, quam corpora majora; minus apta reddantur ad fluidorum adhæſionem ſuperandam, *nimirum ad ſolvendam gluten, ad filamenta illa perrempenda, quibus ipſorum partes neſtuntur*. Quod proſecto, admiſſa etiam ea fluidorum adhæſione, quam volunt, unice verum non eſſet. Nam præter id fieri etiam poteſt, ut corpuscula ipſa vel ob eandem majorem ſuperficiem multo facilius vim, impreſſionemque ſuſcipiant a motricibus illis cauſis, quæ in fluidis nunquam deſunt, vel ob molis parvitatem inæqualem ſenſibilius uno, eodemque tempore impreſſionem juxta omnes directiones ſuſcipiant a fluido, in quo continentur, vel ob aliam hujusmodi cauſam id fiat: cujus beneficio, ea etiam ſublata fluidorum adhæſione, quam volunt, ſuſtineri in iis valerent. Quod vero ad propoſitionem illam ſpectat, reſiſtentiam fluidorum augeri in ea ratione, qua corporum ſuperficies, quæ in iis moventur, eſſi hæc vera utique eſt; ei tamen reſiſtentia attribui non poteſt, qua fluida carent, aut certe, num careant, quæſtio eſt. Cum enim eorum partes dupliciter conſiderari poſſint, vel tanquam in quiete poſita, & configurationem ſuam tuentes, vel tanquam inteſtino motu actæ, ſed cum determinata velocitate; certum eſt, utrovis eas modo conceperis, reſiſtentiam aliquam habere; primo quidem ad inteſtinum motum ſubeundum; ſecundo ad eum ſubeundum cum majore velocitate, quam ab interno principio moveantur. Conſtat præterea, utramque reſiſtentiam in ea, quam diximus, ratione augeri; proinde ta-

men non ſequitur, primam fluidis corporibus eſſe tribuendam. Quibus rebus perſpicuum plane videtur, id ab adverſariis ſumi, quod in quæſtionem cadit, fluida nimirum eam habere partium adhæſionem, quæ controvertitur. Hinc licet intelligere, ſuſtentionem minutiffimorum corporum in gravioribus, aut levioribus fluidis, nihil contra Galilæi rationem valere. Verum quoniam iſdem principiis, quibus adverſarii uſi ſunt, reſelli fortaffe poſſunt; in iis & nos paulisper immoremur, & admittentes fluida omnem horum corpusculorum motum adhæſione ſua cohibere poſſe, videamus quid inde ſequatur. Quod ſi abſurdum eſſe apparuerit, tum propoſitionis, tum aſſumptorum falſitas innoteſcet.

Antequam vero id facimus, animadverti maxime velim, nemini adhuc contigiffe, ſolida invenire ſenſibilis magnitudinis, quæ cum fluidis exquiſite librentur; dummodo tamen liquores non imbibant, aut intus aerem non contineant, qui dilatari, comprimi, exprimere per omnes gradus poſſit. Conditiones hæc addere volui, quod ſciam reperiri quædam corpora, quæ per aliquod tempus in fluidis conſiſtunt; quia nimirum liquores ita ſenſim imbibunt, ut contentus aer per inſenſibiles differentias comprimi, vel exprimi queat: quod præſertim piſcium maxime proprium eſt, quibus Sapientiſſimus rerum omnium Opifex Deus veſiculas, natatorias dictas, indidit, quas dilatare, & comprimere pro re nata poſſunt, omni in aquæ loco manere. Si hæc, inquam, excipias, nulla plane corpora ſenſibilis magnitudinis invenies, quæ cum fluidis exquiſite librentur: argumento fluidorum æquilibrium cum ſolidis corporibus adeo eſſe exquiſitum, ut in indiviſibili proriſ conſiſtat. Nunc vero duo mihi ex adverſariorum propoſitione deduci poſſe videntur, quæ huic experientia plurimum repugnant: alterum, manere in fluidis poſſe ſolida in magna admodum mole, licet graviora, aut leviora in ſpecie iſdem ſint: alterum, manere in iſdem poſſe ſolida in mole aliqua, quorum pondera in quacunque data differentia ſint cum æquali mole fluidorum.

Quæ ut magis appareant, Problema præmittamus. Datis tribus magnitudinibus heterogenies, ſimilibus, & æqualibus A.B.C., data differentia ponderis inter A, & C, nec non inter B, & C, mutare oportet magnitudines B, & C in D, & E, prioribus ſimiles, & æquales inter ſe, ita ut differentia pon-

ponderis inter A, & C sit ad differentiam ponderis inter D, & E, ut superficies magnitudinis A ad superficiem magnitudinis D.

Fiat ut differentia ponderis inter B, & C ad differentiam ponderis inter A, & C; ita reciproce radix magnitudinis data A ad quartam proportionalem. Hæc erit radix magnitudinis D habentis conditionem quaesitam, ut consideranti patebit.

Sit (placet enim notis vulgaribus uti) magnitudo A 1. differentia ponderis inter A, & C. 1. Differentia ponderis inter B, & C $\frac{1}{1000}$, & fiat $\frac{1}{1000} : 1 :: 1 : 1000$. Erit 1000 radix quaesita magnitudinis B in D mutati. Nam erit A ad D :: 1 : 1000000000. Et quoniam hæc corpora sunt similia; erit superficies A ad superficiem D in duplicata ratione suarum radicum, nimirum :: 1 : 1000000. Cum præterea differentia ponderis inter A, & C sit 1: mutatisque B in D, & C in E. prioribus similes, & æquales inter se, differentia ponderis inter D, & E sit $\frac{1}{1000} \times 1000000000 = 1000000$: erit differentia ponderis inter D, & E :: 1 : 1000000. igitur in eadem ratione, ac ipsorum superficies.

His positis non erit difficile probatu id, quod primum proponebamus, nimirum, si adhæsiō fluidi, si gluten, si *filamenta*, quibus ipsorum partes *nectuntur*, in causa sunt, quare fluida sustentent solida in specie graviora, aut leviora, in parva admodum mole, hanc eandem adhæsiōnem, gluten, si *filamenta eadem*, eff. *Etiam etiam*, ut fluida sustentent solida tum graviora, tum leviora in specie, in mole satis magna, ac plane sensibili.

Age porro adhæsiō partium aquæ sustineat granulum salis A in specie gravioris. Adhæsiō aquæ æquipollebit, si modo non præpolleat, excessui ponderis A supra pondus æqualis molis ejusdem aquæ. Sit pondus specificum salis ad pondus aquæ :: 2 : 1, quale nimirum deprehendit expertissimus Boyle pondus salis marini in tractatu de falsedine maris. Sustineatur ab adhæsiōne aquæ in mole. 1. Erit vis A, quæ adhæsiōni aquæ opponitur, æqualis. 1. Concipiamus modo materiam aliquam, cujus pondus se habeat ad pondus aquæ in eadem mole :: 1 $\frac{1}{1000}$: 1. Et fingamus ex hac materia factum corpus B simile, & æquale ipse A. B igitur in hac mole superaret æqualem molem aquæ C $\frac{1}{1000}$ illius

ponderis cuius A. 1. superabat. Idcirco erit vis B, quæ opponitur adhæsiōni aquæ ad vim A, quæ eidem adhæsiōni apponitur :: $\frac{1}{1000}$.

1. Si ex eadem materia fiat corpus D simile habens rationem ad ipsum A :: 1000000000. 1., ac per consequens excedens æqualem molem aquæ E 1000000: ^{is} partibus, quarum

A æqualem aquæ molem C 1: ^a superabat : ajo tale corpus in eadem aqua sustentatum iri. Id vero ex præcedenti Propositione perspicuum est. Nam erit ut vis A, 1. ad vim D, 1000000, ita superficies ejusdem A. 1. ad superficiem D 1000000: sed ut ipsarum superficies, ita resistentia aquæ ab adhæsiōne suarum partium orta, ex adversariorum suppositione: Igitur si adhæsiō partium aquæ sustinet A 1, quod *filamenta*, quibus aquæ partes *nectuntur*, perumpere non valet; ob eandem causam sustinebit etiam D 1000000000, excedens æqualem aquæ molem E 1000000: ^{is} partibus, quarum A æqualem ejusdem aquæ molem C 1: ^a superabat.

Idem ostendetur accidere corporibus, quæ leviora in specie aqua sunt. Nam si pro excessibus ponderum A, & B supra æqualem aquæ molem C, sumantur eorundem defectus, & dicamus aquam (cujus specificum pondus sit ad A :: 2 : 1. idest quæ in data mole excedat A pondo 1) dicamus, inquam, aquam adhæsiōne suarum partium continere posse idem A in mole. 1: ostendetur, eandem aquam, cujus pondus se habet ad B æquale ipsi A :: 2 : 1 $\frac{999}{1000}$, idest quæ in data mole

excedit B $\frac{1}{1000}$, posse continere B in D transmutatum in mole 1000000000.

Neque opponant adversarii, corpus D five gravius, five levius in specie aqua, in eadem tantum mole, quam diximus, in eadem aqua manere posse. Facile enim est ostendere, illud in aqua mansurum, cujuscumque magnitudinis fuerit; dummodo hæc ipsius magnitudo inter 1, & 1000000000 posita sit. Nam si fingamus corpus B æquale ipsi A gravius, aut levius, esse aqua in eadem mole C $\frac{1}{1000}$: & ex eadem materia intelligamus factum corpus D, cujus magnitudo sit tantum 1000000; erit differentia ponderis inter D, & æqualem molem aquæ E $\frac{1}{1000} \times 1000000 = 1000$.

Iccirco vis A ad vim D erit :: 1 . 1000 . Cum vero superficies A sit ad superficiem similis corporis :: 1 . 10000 . vis A i majorem rationem habebit ad vim D 1000, quam superficies ejusdem A i ad superficiem D 10000 . Quare si A i sustineatur ab adhæsione partium aquæ i multo magis D 1000000 ab eadem adhæsione sustineretur .

Ne illud quidem obijciant , ponderis differentiam , quæ inter corpus D consistens in fluido , & æqualem molem fluidi E intercedit , insensibilem semper esse . Nam illud ostendi potest , quod secundo loco nobis probandum sumpsimus , nimium id etiam absurdum ex ipsorum suppositione nasci , ut in eodem fluido solida consistere oporteat in mole aliqua , quacunque data ponderis differentia , inter ipsa , & æqualem fluidi ejusdem . Ad id autem ostendendum satis est invenire mediam proportionalem inter differentiam ponderis , quæ inter A , quod in fluido consistere supponitur ob adhæsionem fluidi , & æqualem molem ejusdem fluidi C ; & inter differentiam ponderis quæcunque , quæ inter aliud simile corpus D , & æqualem molem ejusdem fluidi E , intercedit . Unitas exprimat tum magnitudinem A , tum differentiam ponderis inter A , & C . 1000000 , aut alius numerus quantumvis major exprimat differentiam inter pondus D , & E . Si inter has quantitates inveniatur media proportionalis 1000 , fiatque ejus cubus 1000000000 , hæc erit magnitudo , quam habens corpus D , in fluido consistet in data ponderis differentia inter ipsum , & molem fluidi æqualem . Erit enim superficies corporis A ad superficiem corporis D in duplicata ratione radicum , hoc est :: 1 . 1000000 . Sed eadem ratio est inter differentiam ponderis A , & C , D , & E ex hypothesi ; Igitur si A consistit in fluido ob adhæsionem partium fluidi , etiam D in eodem consistet in mole aliqua , & data ponderis differentia 1000000 inter ipsum D , & idem fluidum .

Ex quibus plane perspicitur , si ea fluidorum adhæsiō , quam adversarii volunt , in causa esset , quare solida , tum graviora , tum leviora in specie fluidis , ubi in tenuissimas partes divisa sunt , in iisdem fluidis consistent ; sequi , non solum , ut solida in iisdem consistent in magna admodum mole , verum etiam quacunque data ponderis differentia inter ipsa , & molem fluidi æqualem . At nunc quæro , an hæc , & similia portenta , cum Galilei , aliorum Hydrostaticorum doctrina , & experimentis convenient ; a quibus doce-

mur , fluidorum æquilibrium cum solidis corporibus adeo esse exquisitum , ut nullo labore , nulla adhuc industria corpus sensibilis magnitudinis repertum sit , quod cum fluidis exquisite libretur ; adeo ut eorum æquilibrium in indivisibili positum esse , judicatum ab iis sit ? Quæ si ita sunt , jam satis constat , objecta illa minutissima corpora , quæ in fluidis consistere dicuntur , nihil valere ad probandam fluidorum adhæsionem , hoc est contactum partium cum quiete , & nisu aliquo , quantulumcunque is esse dicatur , ad eum conservandum , quando illorum corporum sustentatio ei minime accepta referri queat . Cæterum ejus causas inquirere nec nostri muneris est , nec necessarium videtur ; cum præsertim a Dominico Gulielmino id plane præstitum sit in dissertatione de salibus n. 61 . , & sequentibus , ubi omnes hujus phænomeni causas accuratissime investigavit . Et quanquam fluidorum adhæsionem in earum numerum ab eo referri vides ; tamen eam minime indicavit , quam nos refutavimus (constat enim præstantissimum Virum primas in hoc munere detulisse intestino motui fluidorum) sed eam tantum intelligi voluit , per quam fluidorum partes intestinum motum suscipere renuunt majorem eo , quo ab æthere , calore , cæterisque motricibus causis cientur , a qua nos eorum viscositatem , lentoremque oriri supra monuimus . Hanc vero inter adiutrices hujus phænomeni causas locum aliquem habere vel ex eo liquet , quod etsi ipsa per se motum solidorum corporum in fluidis penitus cohibere non potest ; eum tamen plurimum retardat . Constat enim , tum unum idemque solidum in fluidis viscosioribus , tum in uno eodemque fluido tenuiora solida , si cætera paria sint , segnius moveri ; adeo ut minutissima arena ad semiulnæ spatium descensu peragendum quinque , aut sex etiam dies , ut Galilæus notavit , consumat .

Ad fluidorum adhæsionem probandam plurimum valere videntur , tum magna illa corpora , quæ super levioribus fluidis natant , metalla puta , ubi præsertim in bracteis ducta sunt ; tum liquorum guttæ , quæ vel a solidis corporibus pendent , vel eis insunt ; tum prælongi illi funes , in quos quidam eorum inter cadendum se componunt ; tum demum bullæ , quas excitant . Quæ profecto tam manifesta adhæsionis secundo modo acceptæ indicia esse ejus assertoribus persuasum est , ut eos , qui majus adhuc testimonium requirunt , sensibus carere putent . Hæc omnia

experimentis amolliri malo, quam rationibus, tum quod eorum causas ex dictis in universum de lentore, & viscositate fluidorum perspicui posse credimus; tum quod ea suppetunt experimenta, quæ quæstionem fortasse diriment; tum demum quod judicamus adversarios nostros refelli aptius non posse, quam si eosdem illis sensus objiciamus, quos nobis opponunt, quorumque testimonio standum esse contendunt. Antea quam vero id facimus, videamus, quæso, in quo potissimum oppositionis vis posita sit.

Principio igitur si ad lamellas illas metallorum respexeris, quæ aqua, aut alio liquore supernatant, apparebit, nihil eas virium contra nostram rationem habere. Cum enim observatione constet, ubi hæc corpora aqua maduerint, supernatare amplius non posse, in quæstionem revocandum non videtur, utrum sustineantur ab adhæsiōne partium aquæ, an vero ex eo, quod difficile incumbens aer, aut tenuius aliquod fluidum, amittere potest apparentem illam unionem, quam cum suprema lamellarum superficie habet. Si quis autem hanc difficultatem adhæsiōnem vocare voluerit, non recusabo; dummodo hac voce non intelligat nisi quendam partium fluidi ad consistendum, & ad configurationem suam conservandam, a nulla potentia superatum. Quemadmodum enim ex dictis de viscositate, & lentore abunde constat, fluidorum partes inter se minime coherere, quæ intestino motu perpetuo moventur; ab ambiente autem, aut incumbente alio fluido ita cogi, & in apparente unione conservari, ut a sui massa ægre divelli queant; ita dubitari non potest, quin partes eadem ab eadem causa, & eodem prorsus modo apparentem unionem cum solidis corporibus acquirant, quæ difficile tollatur, atque eo difficilior, quo fluidum ipsum majorem solidi superficiem attingit. Hinc si natantem metalli laminam spectemus, quoniam crassus, vel etiam subtilis aer contiguus, magnam admodum ejus superficiei partem contingit; fieri profecto non potest, quin difficilior aliquanto eam deserat, quam ut a circumstantibus aquæ monticulis ejus difficultas superari queat.

Porro si consideremus funes illos fluidos, quos liquores inter cadendum effingunt, hos nullius momenti adversus nos esse, constabit. Nam si fluidorum partes ægre distrahuntur a sui massa, & ab apparente illa unione, quam inter se habent, quod ab ambiente aliquo, & circumprimente corpore in se invicem adi-

guntur: preterea si amittere renuunt configurationem suam, non quomodocumque, sed velociori motu, quam ab internis principiis tollatur, ut fufius a nobis probatum est; patet eundem funium effectum consecuturum, qui haberetur, si eam adhæsiōnem haberent, per quam configurationem suam immotæ servarent. Quocirca cum id adversariis onus incumbat, ut ostendant, fluidorum partes eam adhæsiōnem habere, per quam configurationem suam immotæ tueantur, quantulacunque ea sit; id certe ex funibus, quos liquiores componunt, cum certa ratione conicere non possunt. His etiam adde continuandorum funium causam sane non spernendam. Nam cum corpora quæque ab eodem ambiente premantur in eadem ratione, in qua sunt eorum superficies; cum præterea aliunde constet, eandem fluidi quantitatem, quæ primum in guttam conformata erat, deinde vero in fluidum funem producta, majorem superficiem acquirere; sequitur, idem fluidum, ubi cadere incipit, majori vi circumprimi, & in apparentem unionem validius adigi: id quod ad continuandum funem conferre plurimum valet.

Quod vero ad bullulas ipsas attinet, haud sane intelligo, quid roboris habeant ad eam, quam diximus, fluidorum adhæsiōnem probandam. Constat enim explicari bullulas posse per solam fluidorum repugnantiam ad majorem suarum partium divulsionem subeundam, quam quæ ab intercurrente ætheris, subtiliorisque aeris materia inferatur. Fingamus, crassioris aeris partem in sphaeram compositam, præssamque per aquam adscendere, ac ubi ad superficiem aquæ pervenerit, in tenui ejusdem liquoris membrana involvi. Imminuta igitur aquæ pressione dilatari nitetur. At quia aquea membrana ex pluribus stratis contextitur, dilatabitur primum absque ulla fissione, aqueis particulis supra se facile discurrentibus. Pergat aer se iterum dilatare, donec liquoris membrana ad extremam usque tenuitatem perveniat. Quoniam vis aeris se expandendi eo minor redditur, quo ipse aer magis expansus est: cum præterea aqueæ membrana adeo attenuata est, ut majorem extensionem subire non queat, quin ejus partes a se invicem sensibiliter divellantur (cui divulsionem eas resistere ob circumprimentem vim antea probatum est) ea re fit, ut aer eadem expansionem acquirat, ut vis se ultra expandendi partim cum circumprimente crassiore aere, partim cum ea, quam diximus aquæ

aëreæ membranæ repugnantia, in æquilibrio maneat. Idcirco aërea bulla per aliquod saltem tempus non dissiliet.

Ex his perspicuum videtur, omnem controverfiam in guttis positam esse, in quibus cum manifesta quies, si oculis fides habenda, deprehendatur; tanta saltem fluidorum adhæfio inde inferri posse videtur, quantam pondus guttularum, quæ ex ipsis fluidis fiunt, superare non valet; hinc tamen ejus assertores video in duas partes divisos. Alii enim in ea sunt opinione, ut putent, omnes guttæ partes ea inter se adhæfione conjugi, quæ omne ejus pondus sustinere possit. Alii contra omnes quidem fluidi partes adhæfionem inter se aliquam habere tuerentur, eam tamen, quæ sustinendo guttæ oneri par minime sit; hinc omnem externis guttæ partibus provinciam assignant. Volunt itaque liquorum partes lanugine nescio qua flexibili, ac resiliēti, malorum coroneorum in morem, obduci, per quam eo inter se fortius colligentur, implicenturque, quo validius a vi aliqua distrahantur; hinc externas guttæ partes, cum ab internarum pondere gravantur, lanuginis beneficio rete veluti quoddam componere, a quo omne guttæ pondus sustinetur. Contra utroque experimentis agendum breviter existimo. Primo igitur pendentem aquæ guttulam ob eorum oculos ponamus; neque enim vereor, ne non eam tali partium adhæfione carere concedant. Applicent guttæ apici salis granulum, quæ aquam colore aliquo inficiat, vitrioli puta e Cipro. Cernent eundem salem per universam guttæ substantiam leniter diffundi. Applicent eidem guttæ corpuscula tum graviora, tum leviora aqua. Cernent graviora ad imum guttæ ferri, adscendere leviora, atque in suo quæque loco manere; si autem inde styli apice removeantur, in eundem locum se se statim recipere. Neque vero putent, hos motus in internis tantum guttæ partibus fieri, non vero in iis; quæ ab aere terminantur. Si enim guttæ admoverint aut scobem suberis, aut cæcæ membranulam, utramque perspicient per guttæ superficiem adscendere, & quod caput est, perspicient, membranam præsertim altera sui parte, qua aërem contingit, nullo prorsus humore madentem a guttæ mucrone ad basim ferri: Præterea idem semper evenire cognoscent, si hoc unum caverint, ne membranulæ ejus magnitudinis sint, ut earum partium pondus, quæ extra guttam sunt, vim pellentis aquæ superet, a quo in guttæ apice

detineantur. Guttulâ deinde vel brasicæ foliis, vel anseris pinnis insistentem illis objiciamus; neque in ea aliter fieri observabunt. Si enim cerea membrana superficiem guttæ prope basim applicetur, ea statim ad guttæ mucronem adscendet, nulla in superiore sui parte humiditate contracta. Objiciamus tandem metalli laminam, quovis liquore innatantem, in cujus medio aquea guttula sita sit. Applicent guttæ lateri bacillum perpendiculariter erectum, videbunt haud injucundo spectaculo, laminam ipsam ad bacillum propius accedere, ac post varios itus, & reditus, servata semper guttæ figura, sisti tandem, ubi bacillus ad medium guttæ pertingit; in quo quidem loco semper consistet, dummodo gutta in medio laminæ sita non magna admodum sit.

Nunc vero dicant velim, quid de fluidorum adhæfione sensuum testimonio comperit illis sit: nimirum de illo fimo, & stabili contactu partium fluidi, de lanugine flexibili, & resiliēte, de glutine, de filamentis denique illis, quibus ipsorum partes nectuntur, quibus tantum perruptis, hydrostaticæ leges observantur, & sine quibus guttæ aqueæ se non sustinerent, sed in subiectum planum defluerent. Si talem dissolvi, dispergigue per omnem guttæ substantiam perspiciunt; qua unquam ratione negabunt guttæ partes perpetuo motu moveri? Quod si ita est; quem igitur nexum, quam unionem, adhæfionemque unaquæque earum cum proximis habebit? Si sal per omnem guttæ massam diffunditur, idest si inter aquæ partes ita discorsit, ut omnem earum contactum solvat; qui unquam fiet, ut ita inter se, aptæ colligataque illæ sint, ut universum guttæ pondus adhæfione sua sustineant? Quod si dicant intestinum aquearum partium motum tunc solum haberi, cum salis solutio peragitur, ea vero perfecta, easdem quietas manere: concedant oportet, tunc saltem, cum sal ipse dissolvitur, nullam earum vicinis adhærescere. At si ita est, quo unquam modo universum guttæ pondus ab adhæfione illa partium sustinebitur, quæ in solutione salis longe ab iis abest? Quod si ad corpuscula illa respiciant, quæ sive graviora, sive leviora aqua intra guttam per hydrostaticas leges moventur; alterum profecto de duobus affirmare necesse est: vel internas guttæ partes inter se minime coherere, vel hac eas intelligentia pollere, ut adhæfione omnem suarum partium motum cohi-

cohibeant, tenuissimorum vero corporum, quæ in gutta continentur, non cohibeant. Si rursus ad scobem suberis, aut ad ceræ membranam oculos convertant, quæ per guttæ superficiem arentes prorsus adscendunt, non dubito, quin sint ejus quoque superficiem ab hac adhæsiōe liberaturi. Nullum sane corpus fluidum adscendit, quod a præpollente fluidi pondere non pellatur. At vero quis unquam in animum inducat credere, illas guttæ partes, quæ ad ejus superficiem spectant, vim gravitatis contra hæc corpora exercere, quando eas inter se adeo colligari, implicarique supponunt, ut reticulum componant tantæ firmitatis, ut omne guttæ pondus sustinere valeat? An fieri unquam potest, ut grave, quod totum sustinetur, vim gravitatis in contiguum exerceat? Neque dicant prædicta corpora ab internarum guttæ partium pondere sursum adigi; nam absurdum magis erit, quod inde sequetur; superficiales scilicet guttæ partes, totum ejus pondus sustinere posse, exiguum vero suberis, aut ceræ membranæ non posse; quæ sursum adigi non valent, quin reticulum disrumpatur. Tandem si ad varios illos innatantis laminæ motus oculos convertant, haud sane intelligo, quodnam majus a suismer sensibus testimonium requirant. Metallica illa lamina, cui aquea gutta insitit, ad bacillum guttæ erectum accedere propius, atque ab eo recedere variis motionibus non potest, quaecunque id ob causam fiat, quin guttæ reticulum a bacillo scindatur, solutis, perruptisve filamentis, quibus contextitur. Verum si hoc reticulum tantæ consistentiæ est, ut prohibere valeat, quo minus guttæ partes diffluant, & complanentur; cur scissioni, quæ a bacillo fit, non resistet? cur omnem innatantis laminæ motum consistentiâ, ac firmitate sua, non cohibebit? Ex his omnibus perspicuum plane videtur, tantum abesse, ut aquæ guttula, in qua totum fere objectionis momentum positum erat, fluidorum adhæsiōnem probet, hoc est contactum partium cum quiete, & conatu ad eum conservandum; ut si eadem guttula paulo diligentius inspiciatur, adhæsiōnem hanc in fluidis non reperiri plane demonstret. Constat enim hydrostaticas leges in omnibus guttæ partibus, & quod caput est, in ipsa superficie non secus servari, quam in fluido, quod intra vas asservatur: argumento omnem earum formam ambienti corpori, quodcumque id demum fuerit, acceptam referendam

esse. Superest, ut fluidorum adscensum supra libellam consideremus, quæramusque, an nullam ab eo hujusce adhæsiōis indicium haberi queat, ut multi docti Viri judicaverunt.

Notum est, si fistula vitrea satis angusta, ac utrinque pervia, liquorem, a quo vitrum medefit, altero sui extremo tetigerit, liquorem ipsum ad notabilem altitudinem attolli, atque eo altius attolli, quo fistulæ cavitas angustior. Notum præterea, non secus accidere solere, si liquor in vase contineatur, quod ab eo humescat, vel aliud quodcumque corpus contingat; nam ejus partes, quæ vasis, aut corporis illius superficiebus propiores sunt, altius assurgentes, quam quæ ab iis longius distant, cuneorum in morem circa ipsa aggerantur. Quæcunque igitur causa fuerit, cur quædam liquoris partes supra cæterarum libellam adscendant, ob id solum fieri putant nonnulli, ut eas proximæ sequantur, quod cum omnes adhærescant inter se, adscendentes illæ, has, ceu fune quodam colligatas, trahunt. Fluidorum partes ita inter se cogi, & in apparente unione detineri, ut unaquæque, & a sui massa, & a solidis corporibus, quæ madefaciunt, divelli ægre possit, interea dum omnes subtili materia innatantes intestino monu moventur, sæpe a nobis dictum est; & qua ratione id fiat, satis, ut puto, explicatum. Aio vero tantum abesse, ut fluidorum adscensus supra libellam probet, fluida eam partium adhæsiōnem habere, per quam ordinem, dispositionem, configurationem, quam habent, quoquo modo tueantur, ut ea posita nullus eorundem fluidorum adscensus sequeretur.

Dominus Carrè Borello in lib. de mot. nat. a grav. pend. cap. 8. vestigiis insitens, novis experimentis, & rationibus (comment. Acad. Reg. Scien. Paris. ann. 1705.) ostendit humorum partes, quæ in tubulis continentur, ob id solum attolli, quod ab internis tuborum parietibus, quos madefaciunt, ita fulciuntur, ut minore vi fundum vasis premant, interea dum aliæ, quæ extra tubum sunt, hoc fulcimento carentes, majore vi super fundum ipsum gravitant; ea re fieri, ut in tubo existentes ab iis, quæ extra tubum sunt, sursum pellantur, atque eo usque pellantur, dum inter ipsas æquilibrium restituantur. Rem omnem mechanico Borelli principio explicat. Nam si sit sphaera D, quæ aquæ v. g. particulam repræsentet, & verticali parieti utcumque alpero altero sui axis extremo B nitatur, al-

tero vero E sustineatur a vi qualibet, ostendit Borellus, vim sustentantem in E ad sphaeram D pondus eandem rationem habere quam semiaxis DB ad totum axem EB, ut ex vete perspicuum videtur.

His ita constitutis, ut ad adhaesionis fautores veniamus, quibuscum negotium nobis est, consideremus primo eas fluidi partes, quae tubi superficiem tangunt. Illud, puto, non negabunt sphaeram D, quae unam earum refert, si ad fistulae parietem adhaerescat, alterutro modo eidem adhærere. Vel enim ab eo ægre divellitur, intera dum super eum facile discurrit (quemadmodum faceret dentata rota, aut angulosum corpus, quod a vi aliqua versus asperum parietem prematur, circumvolvaturque) vel qua parte parietem tangit, ita ad eum quasi agglutinatur, ut non sine aliqua difficultate excurrere possit. Si primo modo adhæreat, constat adhaesionem in simplex fulcimentum converti, ac propterea ex allato mechanices principio sphaeram D facile attolli posse. Si secundo, quis non videt ejus adscensum difficiliorem adhaensione fieri; ut si ea demum tanta sit, quanta sphaerae D sustinendae sufficiat, nullus fieri queat? Nam si vis adhaesionis, quam D habet ad tubi parietem AC, cum ejusdem pondere æquilibratur, si concipiatur D parieti tantum adhærere, & non gravis, patet, vim in E tantam in ea sublevanda difficultatem pati, quantam pateretur, si D gravis esset, & non adhærere, idest ex suppositis, eam difficultatem, quae ad sphaerae adhaesionem paulo majorem rationem haberet, quam DB ad EB. Igitur si D & gravis, & adhærere sit, vis in E, quae ei sublevandae sufficiat, paulo majorem rationem habere debet ad gravitatem D, & adhaesionem simul, quam 2 DB, seu EB ad se ipsam. Itaque si vis attollens in E ponderi sphaerae D æqualis sit, ut re vera supponitur, constat sphaeram D ab eadem vi extolli nequaquam posse supra cæterarum libellam. Hinc sphaera D ita ad tubi parietem agglutinata in causa erit, cur sphaerae aliae, quae ei subiciuntur, eadem vi fundum vasis premant, ac reliquæ partes, quae in vase extra tubum continentur.

Sed sphaera D fistulae parieti adhæreat hoc modo nec ne, parum interest; aliarum enim adscensus, ea etiam ita adhærere, sequi posse videtur. Consideremus igitur sphaeras alias remotiores, quae in eodem sphaerae D plano horizontali posita sint, & adhaesionem habeant, tum cum D, tum inter se, eam scilicet,

per quam a dispositione, & configuratione sua turbari difficile patiantur. An non eadem ratione constabit, earum adscensum eodifficiliorem futurum, quo majore illarum inter se adhaensione colligantur? Liquet enim, quantum est difficultatis, ut unaquaque a sua sede removeatur, tantundem causae subesse, cur spæræ, quae ei subiciuntur, fundum vasis premant. Ex quibus perspicuum videtur, adeo falsum esse, liquorum adscensum supra libellam, eam, quam diximus, adhaesionem probare, ut ea posita, illum ægrius fieri constet.

At inquires, in id nos revolvî, quo minime volebamus: si enim liquorum adscensus in tubulis nullam suarummet partium adhaesionem probat, quorundam adscensus minor quam aliorum in iisdem tubis, eam certe probabit. Ex pluribus observationibus constat, fluida fere omnia minus in uno eodemque tubo attolli, quam aquam. Oleum v. g. olivarum in quibusdam tubis ab subduplam, in aliis, prout exiliores fuerint, ad minorem, etiam altitudinem adscendit. Id non alia certe de causa evenire autumant adhaesionis fautores, nisi quia oleum olivarum multo viscosius aqua est, quod perinde videtur, ac si diceret, quia olei partes multo majorem inter se, & cum tubi parietibus adhaesionem, habent, ac firmum stabilemque contactum. Rem ita esse, non improbabili conjectura assequi nos posse putant. Ex mechanico enim Borelli principio ostendi posse videtur, oleum ad majorem altitudinem adscensurum, quam aquam, nisi ab adhaensione prohiberetur. Particulas olei magis sustineri a tubi parietibus, quam particulas aquae, facile omnes vident, qui animadverterint, vitrum difficilius abstergi si ei oleum, quam si aquam adperseris, quod illarum majori sui parte in poros vitri inferantur, quam istarum. Quare si sphaera D quae particulam olei repræsentat, a tubi parietibus magis sustinetur, quam particula aquae; vis eam attollens majorem rationem habebit ad ipsius pondus, quam vis attollens particulam aquae ad pondus ejusdem aqueae particulæ. Ex quo consequitur, oleum ad majorem altitudinem in uno eodemque tubo adscensurum, quam aquam. Verum cum id autopsia falsum esse constet, consequens est, majus in oleo impedimentum esse, quam in aqua. Cum itaque nullum rationabilius afferri posse videatur impedimentum, quam partium adhaesio, tum inter se, tum ad parietes tubi; dicendum, olei

olei adscensum ab adhæsione prohiberi, ab ea nimirum, per quam ejus partes dispositionem, atque ordinem, in quo sunt, quodammodo tuentur. Quoniam vero id, quod de oleo dictum est, de cæteris etiam liquoribus dici posse videtur; rationi valde consonum est dicere, nullum eorum adhæsione partium carere.

Hæc quidem magni momenti objectio est: sed si eam introspexeris, minus fortasse valebit, quam in speciem videtur. Ajo enim adhæsionem ipsam in causa non esse, cur oleum olivarum minus adscendat in uno, eodemque tubo, quam aqua: iccirco aliud rationabilius impedimentum afferri posse. Experimentum experimento objiciamus. Olei olivarum guttæ a quovis corpore pendentes, & ad maximam, quoad ejus fieri potest, magnitudinem redactæ, minores sunt aqueis guttis, quæ ab eodem corpore, in ea, qua possunt, magnitudine pendent: ut cuilibet experiri primum est. Si igitur minor olei, quam aquæ adscensus in uno, eodemque tubo pendet ab adhæsione suarum partium; quæro ego, qui unquam fiat, ut gutta ejusdem olei, quod & minus grave est aqua, & majorem partium adhæsionem habet, non multo major sit aquea gutta, sed minor? Enim vero si major suarum partium adhæsio impedimento est, quo minus in uno, eodemque tubo adscendat ad eandem altitudinem, ad quam aqua attollebatur; eadem certe satis magnum suarum partium, numerum sustineret, quæ formarentur in guttam majorem ea, quam aqueæ particulæ effingere possunt. Sed ne multa, si major adhæsio minoris olei adscensus causa est; cur igitur oleum olivarum magis adscendit in eodem tubo, quam spiritus vini, aut oleum terebinthinæ, quæ multo minus viscosa sunt? Constat enim ex observationibus laudati Caricæ, illud adscendisse ad altitudinem quinque linearum in tubo, cujus diameter erat $\frac{1}{3}$: linearum, in quo hæc quatuor linearum altitudinem non excefferant. Falsum igitur, minorem adscensum quorundam liquorum in iisdem tubulis majorem suarum partium adhæsioni referendum, ac propterea liquet, rationabiliori impedimento illum attribui oportere.

Hujus phænomeni causam data opera inquirere ad institutum nostrum non pertinet; fortasse ad majorem olei, quam aquæ &c. raritatem, nec non ad mechanicum ejusdem Borelli principium attendentibus, non in-

concinna ejus ratio succurret. Nam si rarior olei, quam aquæ textura est, ut multa nobis ostendunt, nimirum si ob majorem ætheris, subtiliorisque aeris intercurrentem materiam, minus asperitatibus suis, aut simili de causa, se se mutuo excipiunt, idest magis a se invicem distant (id quod ejus lentiori minime officit) rationi consonum videtur, ejus partes, quæ a tubi parietibus remotiores sunt, minus fulcimentum acquirere ab iis, quæ a tubi parietibus immediate sustentur. Quemadmodum enim, ubi sphaera D minore sui parte parietis A C lacunam ingreditur, minus ab eo sustentetur, quod fulcimentum ab ejus gravitatis centro magis distat; ita subsequens sphaera, quo minus inæqualitatibus suis excipitur, vel excipitur a sphaera D, subtiliore materia interjecta, eo minus etiam ob eandem rationem ab eadem sphaera D sustinebitur, ac propterea majorem supra fundum vasis gravitationem exercebit.

Hinc ratio reddi fortasse poterit, cur oleum tartari, alique sales in aqua soluti minus adscendant in eodem tubo, quam aqua dulcis. Nam cum horum corporum mixtura plus ætheris, subtiliorisque aeris admittat, quam aqua simplex, ob dissimilitudinem præsertim, quæ inter aquæ, solutorumque salium partes intercedit (id quod majori eorum specificæ gravitati non obstat) inde fit, ut horum liquorum partes, quæ in tubo continentur, vel minus ejusdem tubi asperitatibus inferantur, vel minus ad se invicem accedant. Hinc vel minus inter se solum, vel inter se, & tubi parietibus sustæ, ad minorem altitudinem attolluntur ab earum pondere, quæ extra tubum sunt. Hinc forte etiam est, cur oleum olivarum magis adscendat in eodem tubo, quam spiritus vini, terebinthinæ, aliæque volatiles substantiæ, quæ oleo rariores textura sunt. Hinc demum patere potest, cur oleum ipsum in minores guttulas componatur, quam aqua minus viscosa, & gravior; cur aqua in minores, quam mercurius, minores, inquam, si cum suis ponderibus conferantur; cur spiritus vini terebinthinæ, petroleum, similesque liquores in minores adhuc guttulas formentur. Cum enim alia fluida rara admodum textura sunt, alia densiore, idest alia plus ætheris, subtiliorisque aeris admittunt, alia minus; necessariū videtur, ut ea, quæ rariora sunt, in minores guttas a circumprimente debiliore adigantur. Sed verane, an falsa sit hæc qua-

si cunque conjectura nostra de vario liquorum adscensu in iisdem tubulis, non admodum refert; satis enim muneri nostro fecisse videbimur, si ostensum a nobis fuerit, eam fluidorum adhæSIONem, quam adversarii comminiscuntur, tum ex liquorum adscensu supra libellam, tum ex minore quorundam adscensu, majore aliorum, non probari.

Ex his, quæ a nobis dicta sunt, satis, ut opinor, apparet, fluida corpora, quocunque lentore, & viscositate afficiantur, ea, quam diximus, adhæSIONe carere. Satis etiam ex dictis confirmatam puto Galilæi sententiam, fluida haud omnino sistere posse motum immerforum, quæ aut graviora, aut leviora in specie ipsis sunt; tamen eum plurimum retardent: ad eum omnino sistendum requiri adhæSIONem primo modo sumptam, hoc est contactum partium cum quiete, & conatu ad eum conservandum: sufficere autem ad eum retardandum adhæSIONem secundo modo acceptam, nimirum repugnantiam partium fluidorum ad intestinum motum recipiendum velociorem eo, quo eadem partes ab internis causis moventur: illam solidorum propriam esse, notioni fluidi, ac hydrostaticis legibus repugnare: ab hac ipsorum viscositatem, & lentorem nasci: fluidorum phænomena, quotquot sunt, illius quidem adhæSIONis indicia non esse, sed hujus: iccirco ad explicanda haud recurrendum *ad lanuginem, ad gluten, ad filamenta, quibus ipsorum partes nectantur*, nisi id per similitudinem fiat; quando præsertim constat, in gutturam substantia, & quod caput est, in ipsarum superficie, hydrostaticas leges servari. Quæ si ita sunt, universa Schelhameri machina (sic enim hypothese suam vocat) quam Ramazzini objectionibus, & demonstrationibus suis, adeo munivit, ut æternum mansura videretur, fundamento sublato, corruat necesse est. Nam si ei quidem corpori, quod contra prementem vim subiectum aliud corpus tueri debet, ea partium adhæSIONe opus est, per quam nulla ipsarum secundum prementis directionem moveri queat, quin una omnes moveantur; si præterea fluida hanc partium adhæSIONem habere non queunt, fieri profecto non potest, ut aer, quem inspiramus, licet ob humoris mixtionem plurimum lentescat, eam firmitatem acquirat, per quam fornix figuram induens contra incumbentis atmosphæræ onus munire mercurium queat, qui in barometro continetur.

Multa, quæ in suæ hypothese confirmam-

tionem Auctor adducit, missa libenter facimus, qualia sunt infernum aerem arcuat, tum opus esse, terræ, ac atmosphæræ formam intuentibus perspicuum videri: eundem aera solidi corporis rationem habere, satis ex nubibus constare, quæ speciem habent corporis a solido non multum diversam: probatum fuisse ab Anonimo Auctore Anglo Londini 1693. fluida neque in se ipsa, neque in alia corpora, quæ circumfluunt, admodum gravitate; quia nimirum se ipsa ita sustinent, ut arcuatum opus fingant: putamina ovi, & tenera admodum insecta, in arenæ, vel tritici, vel globulorum plumbeorum acervo locata, magnum pondus absque ulla noxa sustinere: nos omnes pondus aeris; urinatores vero incumbentis aquæ non sentire, non, ut vulgo dicunt, ob æqualem pressionem, obscurum per æquæ obscurum explicantes, sed quia eorum pondus a circumpositis suis partibus removetur: ab aqua, ubi continua est, & fundamento stabili sustinetur, omne aeris pondus prohiberi ab immerfis: non aliud requiri in corpore in media aqua suspendendo, quam æqualitatem molis, & ponderis ejusdem aquæ; nil ergo aeri in id potestatis esse, nam si esset, veniret in computum: nisi pondus aeris per aquam, removeretur fieri non posse, ut corpus mobile, & pondere æquale in stagnis lacubus &c. consisteret: Robertum Boyle in paradoxis suis hydrostaticis solius aquæ incumbentis immerfis corporibus pondus expendisse, non vero aeris; ergo aquam, ubi continua est, pondus aeris sustinere: Tandem si lagena vitrea machinæ pneumaticæ aptetur, atque ei aqua infundatur, exhausto ab antlia aere, eam minime desiliere, quod libero aere utique fieret, non ob aliam causam, nisi quia aqua sustinet pondus aeris, ne premat lagenæ superficiem. Hæc omnia, & sexcenta hujusmodi, missa, inquam, libenter facimus. Neque enim eo adducimur, ut credamus, hæc doctissimum Virum serio, judicatoque scripsisse, sed vel per jocum, & ludum, vel ab aliis temere ejus operi inserta fuisse. Sequitur ut alteram ejus hypothese partem consideremus, in qua motum barometri per hydrostaticam suam explicat. Vellem tamen hic majorem ab eo perspicuitatem servatam, quæ cum in omnibus necessaria est, tum maxime in iis, quæ a communi hominum sensu abhorrent. Eas enim quasi de industria suis sen-

senfis tenebras obducit, ut quid per verborum ambages designare voluerit, nisi Sybilla venerit, interpretari alium posse reor neminem. Utcunque sit, eam ego, quantum quidem capere potui, enarrabo, idem fortasse, quod D. Ramazzinus, Auctoris iudicium lubiturus, non pervenisse me ad suorum scriptorum medullam, multorum sensum pervertisse.

Jam primo omnium hanc legem ex Hydrostaticis sumit: *quæ in fluido leviori merguntur, adscendunt in graviore, & quæ in leviori consistunt, ubi id gravius factum est, altius adscendunt*; cujus sane legis eam quidem causam adducit, quam nemo hydrostaticorum prævidit. Corpora, inquit, quæ in fluido immersa sunt, a duabus fluidi columnis premuntur; altera, quæ a suprema ejus superficie orta, eo deorsum producit, donec fundum vasis attingat, indeque reflexa in immerforum base terminatur; altera, quæ idem habens principium, in eorundem vertice desinit, eisque perpendiculariter incumbit. Præterea vult, rectam hanc, & incumbentem fluidi columnam, tanto minus deorsum urgere immersa corpora, quanto brevior sit; adeoque reflexam alteram eo plus virium acquirere ad eadem corpora sursum pellenda. Cum itaque in prima suæ hypothese parte demonstratum ab eo sit, fluida, quo crassiora, gravioraque sunt, eo majus incumbentis atmosphæræ onus sustinere, prohibereque, quo minus super immerfis illud gravitet; ob eam causam fieri vult, ut hac oneris parte detracta, incumbens fluidi columna brevior reddatur. Hinc non aliam, inquit, ob causam, corpora illa, quæ in leviori fluido consistunt, adscendere debent in graviore, nisi quia, cum incumbens fluidi columna, ob sustentatum atmosphæræ onus, brevior reddatur, a reflexa altera majoris virtutis ea interne sursum pelluntur. Hanc novam hydrostaticam Schelhamerus in hunc fere modum ad barometrum applicat. Ea mercurii pars, quæ in subjecto barometri vase continetur in barometris vulgaribus, ea item, quæ in breviori ejus brachio suspenditur in barometris recurvis, nec non extrema ejus pars, quæ aerem tangit in barometris illis rectis, & exilioribus, quæ subjectum vas non habent, corpus est in aere consistens, vel quasi consistens, nimirum se habet tanquam corpus in fluido immersum, & cum eodem fluido in æquilibrio constitutum. Aer munere fungitur columnæ incum-

bentis, mercurius, qui in tubo continetur, & cum eodem aere æquilibratur, instar est columnæ reflexæ. Cum igitur humenti cœlo infernus aer ob humoris mixtionem nonnihil crassior, graviorque redditur, majus atmosphæræ onus sustinet, prohibetque, quo minus super mercurio pressionem exerceat; hinc ejusdem aeris columna mercurio incumbens brevior fit; ex quo sequitur, ut columna reflexa præpollens, mercurius scilicet, qui in longiore tubo continetur, eam ejusdem mercurii partem, quæ consistens erat, sursum pellat; ubi vero aer serenitatem induit, contrarium evenire necesse est.

Magnum huic hypothese negotium faceffere videbatur barometrum illud rectum, quod præ cæteris D. Ramazzinus Schelhamero objecerat; in quo sane barometro mercurius, totus quantus est, in humidis aeris constitutionibus descendit. Sit tubus rectus vel exilis admodum, vel saltem in altero sui extremo, quod pervium est, in exiguum foramen desinens. Si hic mercurio ad solitam altitudinem repleatur, & in situ perpendiculari positus sit, ne stilla quidem mercurii ab eo effluet; sed cœlo nubibus obducto, & nimbo, totus deprimetur: id quod per Schelhameri hypothese fieri, haud posset; quando extrema ejus pars, quam in aere consistentem vocavit, in humidis aeris constitutionibus adscendere deberet. Ut igitur ab hac difficultate se expendiat, ingeniosissimus plane Auctor est, atque ut Plautino verbo utar, versutior, quam rota figularis. Nam in hujusmodi barometro tum aeris, tum mercurii provinciam, quasi histrioniam faciant, mutari contendit. Aeris columnam, quæ in vulgari barometro recta, & incumbens erat, reflexam fieri vult, id est a summo aere in tellurem usque produci, indeque reflecti, donec in os tubi terminetur; columnam vero alteram mercurii, quæ reflexa in aliis barometris erat, rectam fieri, & incumbentem. Mirum inde, ait, minime videri, si ubi aer caligine offunditur, nos mercurium totum descendere putemus: reflexam aeris columnam diligentius intuenti dubium non esse, quin reapse adscendat, quando per reflexam aeris columnam adscendere mercurius non potest, quin viam reflexe ingrediat. In hanc ferme sententiam hanc hypothese partem redegit doctissimus Vir, ubi eam a D. Ramazzino impugnata vidit, quam novis suis hydrostaticis principiis superstructam, postulatis, lemmetibus, propositionibusque adeo per-

spicue, ut ipsi videtur, demonstravit, ut in ea acquiescere omnes posse contendat. Hæc omnia excutere non placet (esset enim id pene infinitum) sed capitalia tantum attingere, tum quod tantum operis consumere in re præsertim manifestissima, operæ pretium non videtur, tum ut cum Schelhamero, quod semper cordi erit, quam mitissime agamus.

Omnium igitur, quæ in hac hypothesis parte refutari possunt, primum occurrit reflexa illa fluidi columna, a qua immersa corpora sursum pelli autumat. Unde nam id commentum arripuerit, plane constat. Si ejus verba legamus, hausit a Roberto Boyle; in quo tamen nihil simile inveni. Voluit quidem expertissimus Vir, & cum eo hydrostatici fere omnes, duas in omni fluido columnas imaginatione concipi a nobis posse, alteram, quæ a superficie fluidi incipiens in immerfi corporis vertice terminatur; alteram, quæ idem habens principium, in eo horizontali plano terminatur, ad quod ejusdem corporis basis pertingit. Nemo tamen, quantum quidem videre potui, eo adductus est, ut crederet, alteram usque ad fundum vasis produci, indeque reflecti, demum in immerfi corporis base desinere, eo videlicet, ut ejusdem columnæ pondus impelleret. Enim vero si attendisset ad ea, quæ ab hydrostaticis communiter docentur; nimirum partem illam fluidi, quæ immerfi prismatis vertici incumbit, in æquilibrio esse cum suo laterali fluido; alteram vero partem, quæ ejusdem basi subjicitur, cum suo item laterali fluido æquilibrari: agnovisset facile, prismatis descensui solam illam fluidi partem opponi, quæ inter duo illa plana parallela continetur, a quibus prisma comprehenditur. Quod si eo loco, in quo prisma solidum positum erat, hoc detracto, prisma fluidum humori circumfuso homogeneous imaginatione conciperet, perfectum inibi æquilibrio futurum intelligeret, conjiceretque prismati solido contraniti, non reflexam illam fluidi columnam, quam ipse commentus est, sed fluidum eidem laterale, idque tanta vi, quantum pendet idem fluidum prismati æquale. Si in his, inquam, se plane Boetum non finxisset Schelhamerus, non dubito, quin a columnæ reflexæ commento abstinisset.

Alterum, cui in ejus hydrostatica subscribere non possum, illud est, in quo multus esse videtur: nimirum quo recta illa fluidi columna, quam rectam, & incumbentem

vocat, brevior est, eo minus aptam fieri ad contranitendum columnæ reflexæ; ac propterea eo facilius immersum corpus attolli. Atqui illud etiam latere se finxit, quod receptissimum in hydrostatica est, solidum corpus, quod in fluido totum immersum est, æquali momento sursum pelli a fluido eodem, sive suprema ejus superficies sit in eodem horizontali plano, ac suprema superficies fluidi, sive alte admodum sub ipsa positum sit: quod perinde est, ac si diceret, sive nulla, sive profundissima ei fluidi columna superincumbat. Profecto si communem Hydrostaticorum sensum secutus fuisset, non secus fluidis corporibus, ac vulgaribus libris accidere deprehendisset, quæ sive magnis admodum, æqualibusque ponderibus onustæ sint, sive nullis, semper æquilibrio servant. Sed Schelhameri opinio ex eo fortasse profecta, quod non probe distinxit fluidorum vim, quæ immersa corpora circumprimit, ab ea, quæ sursum pellit. Verissimum quidem est, quo altius corpora in fluido immersa sunt, eo magis premi ab eodem fluido, sed ab hac vi, neque sursum, neque deorsum, sed in se ipsa, ceu prælo quodam adiguntur. At illud æque verum est, quod ab Hydrostaticis demonstratur, solida, quæ in fluido tota immersa sunt, æquali semper vi ab eodem fluido sursum pelli, quæcunque demum altitudo mersionis fuerit. Quam sane veritatem Boylei saltem experimenta, & rationes, ei quidem ostendere potuissent, non solum in Paradoxis, sed etiam in Hydrostatica Medicina, ubi præsertim varias solidorum, fluidorumque corporum specificas gravitates inquirens, illa ad quancunque altitudine in his immersa, nullo facto discrimine, expendit; ratus solidum corpus, si in eodem fluido totum mergatur; æquiponderare, quæcunque fuerit mersionis altitudo: quod secus futurum constat, si quo altius illud immersum est, eo magis ab incumbente altiore fluidi columna deorsum urgeretur. Sed videamus, quid in ejus propositionis confirmationem afferat. *Quo profundius, inquit, corpus demersum est, eo difficilius attollitur; quoniam incumbens aquæ altior columna super ipsum gravior est.* Jam prope est, ut quæ in profundo demersa sunt, nulla humana vi educi posse contendat. *Patet ex eo, inquit, quod quo propius ad superficiem fluidi accedit corpus adscendens, eo velocius fertur; cujus ratio est, quia quo altior, eo brevior columna incumbens.* Quasi vero & illud quoque nesciverit, utrum

utrum tunc immersum corpus velocius feratur, quod brevior fluidi columna ei incumbit, an quod corpori sursum moto novus semper a fluido impetus addatur.

Sed neque illud Schelhamero facile concesserim, quod cum in prima epistola voluit, mercurii partem nescio quam, quæ in barometro continetur, esse corpus in aere consistens: tum in secunda, sive sententiam suam interpretari, sive emendare studens, contendit, esse quasi in aere consistens. Dum enim ab iis difficultatibus, quas D. Ramazzinus ei obiecerat, expedire se adnititur, inquit, *nec statuere se, nec ab eo postulare, ut credat, mercurium esse absolute, & rigido sensu, corpus in fluido consistens*, mirum est, quibus se, & quam ineluctabilibus difficultatibus involvat. Primum nimis ne acute, an satis considerate, dixerit, nescio, *comparanda non eadem esse debere per omnia*. In eo enim, in quo comparatio minime cadit, id necessarium non esse, nemo negabit; in eo vero, in quo comparantur, unam, eandemque causam adducimus, quis ire audeat incipias? Cui enim incompertum est, corpora, quæ in fluido consistunt, neque ejusdem magnitudinis, & figuræ, neque ejusdem texturæ, cæterarumque affectionum esse oportere, quæ ad æquilibrium faciendum cum fluido minime spectant? Sed quis etiam est, quin nesciat, eadem in iis affectionibus convenire oportere per omnia, quæ ad consistendum in fluido necessaria sunt, quales sunt, quæ a D. Ramazzino in citata epistola enumerantur? At id certe, inquit, mercurius commune habet cum corpore in fluido consistente, *quod è vase non esluit*, quod per Schelhamerum aliud non est, *quam a fluido non emergere*; præterea *quod non adigitur in os tubi igne obsegnatum*, quod perinde est, *ac non mergi*. Verum si hæc facere unquam possunt, ut corpus in fluido consistat, non video, cur ipse clavus, a quo barometrum pendet, multo potiori jure in aere consistere non dicatur. Rursus cum ait, *duplici ratione corpus in medio fluido consistere posse, primo si ab eodem fluido sustineatur, secundo si sustineatur ab opposito pondere*, quemadmodum exemplo oneris fune suspensi, & cocleæ affixi explicat: quæro ego, num eo sensu dupliciter consistere queat, quo Hydrostatici volunt, quo rursus in ejus hypothese intelligi oportet? Si ita se res habet, jam prope est, ut pondera illa, quæ ope machinarum attolluntur, aut sustinentur, per hydrostaticam consistere, aut moveri affirmer. Sed hæc omnia mittamus:

an illud quoque non vidit, dum ingenua confessione fateatur, mercurium per similitudinem tantum vocari posse corpus in aere consistens, se hypothesim suam funditus evertere? Enim vero si mercurius, qui in barometri vase continetur, est corpus in sereno aere quasi consistens, quasi etiam hydrostatice adscendat necesse est, ubi caligo aeri offunditur. Quare ab hydrostatica petita ratio, vera, ac germana ratio non est, sed per similitudinem, tantum, ac per ludum verius conficta. Illud demum non vidit, quod ubi comparavit mercurium cum corpore, quod in fluido consistit, omne non solum barometri munus, sed nomen etiam ipsum delevit. Ex hydrostaticis constat, corpus in fluido consistens nullam habere rationem ad pondus, pressionemque fluidi incumbentis; nam sive nulla, sive profunda admodum ei fluidi columna incumbit, dummodo in eodem fluido totum immersum sit, consistere non desinit, nulloque prorsus modo movetur. Constat præterea, mercurium, qui in barometro continetur, rationem tantum habere ad pondus, pressionemque columnæ aeris incumbentis, atque eam quidem rationem habere, per quam barometri, vel baroscopii nomen ab auctore Torricellio obtinuerit, quod instrumentum metiendi pondus aeris, ejusque variationes significat. Quare si mercurius cum corpore in fluido consistente comparandus sit, id saltem cum eo commune habeat necesse est, ut vel aucta, vel imminuta incumbentis aeris columna, pressionemque, stationem suam non deserat. Hoc autem nisi omne non solum barometri munus, sed nomen etiam abolere est, quid sit, certe non video.

Agmen propositionum hydrostaticarum, Schelhameri claudat principium illud, quod & novum, & suum esse, citra tamen invidiam, concedimus; nimirum *corpora immersa in fluido crassiore multo facilius attolli, quam in tenuiore; quod crassius fluidum multo plus atmospheræ oneris sustineat, prohibeatque ab immersis, quam id quod tenuius est*. Fluida corpora quocunque lentore, crassitie, aut viscositate, affecta sint, nullum omnino incumbentis aeris onus arcere posse a corporibus, quæ in eis immersa sunt, multis suo loco ostendere conati sumus, ex quibus hujus asserti falsitas constare potest. Alterum hoc in loco aperire in animo est, propositionem aliam convenire non posse cum alia, quam pro fundamento suæ hypothese ex hydrostaticis arripuit: nimirum *que in fluido leviori*
mer-

merguntur, adscendunt in graviore, & quæ in leviori consistunt, ubi gravius id factum est, altius adscendunt. Ex quibus apparebit, ea non solum principia eum sumpsisse, quæ vera non sunt, sed etiam quæ secum pugnare videntur. Prætereo hoc loco primam suarum propositionum Archimedæ suppositioni plurimum adversari, qua ille universam olim hydrostaticam superstruxit; solam videlicet fluidorum, immerforumque corporum gravitatem in causa esse, ut hæc in illis moveantur, aut quiescant. A quo Schelhamerus plurimum dissentit, cum tenuitatem velit, crassitiemque fluidorum inter causas motus, & quietis solidorum numerari. Prætereo etiam illud, quod ubi immersa corpora facilius per fluidum crassius, quam per tenuius attolli vult, alterum etiam velit necesse est, facilius moveri corpora per medium magis resistens, quam per id, quod minus resistit: id quod verum non esse lusciosus, & cæcus etiam viderit. Flocci fiant hæc, atque omnia alia, quæ Schelhamero opponi possunt, firma, & inconcussa sit ejus propositio, *in fluido crassiore facilius attolli corpora, quam in tenuiore.* Si constet, reperiri fluidum crassius, quod simul levius in specie sit fluido tenuiore, confecta res erit, ostensumque, falsam in universum redidi propositionem alteram: *quæ in fluido leviori merguntur, adscendunt in graviore, &c.*

Tenue si vim nominis spectes, illud dicitur, quod subtilium partium est, crassum contra, quod ex majoribus componitur. Ita Aristoteles, & ii omnes, qui vocis significationem retinuerunt. Non defuere tamen, qui tenue, & crassum ab effectibus, quam a magnitudine partium æstimare maluerint, illudque judicaverint hujusmodi esse, quod angustos admodum corporum poros pervadit, vel minus etiam eorum motui resistit, hoc vero, quod vel resistit magis, vel majores tantum poros permeat. Quare cum hujusmodi effectus non a sola partium magnitudine pendeant, sed vel ab earum figura, combinatione, motu, aliisque fortasse de causis; hinc factum est, ut tenue, & crassum, cum magis, & minus lenio, viscidoque, aliisque similibus affectionibus, confundantur. Sed ut ut sit (utramque enim significationem tenemus, ut omne Schelhamero subterfugium eximamus) illud certe constat, crassum, & tenue, ita a magis, & minus gravi in specie distingui, ut utrumque illorum, cum horum utroque copulari possit. Nam crassities, & tenuitas, vel a sola partium

magnitudine, vel a figura etiam, si placet, combinationeque æstimatur. Major, & minor gravitas in specie a tali solum partium, textura pendet, per quam plus, minusve, sui saltem generis materiei in æquali corporum volumine continetur. Cum itaque aliunde constet, sub varia, diversaque magnitudine, figura, combinationeque partium, plus, minusve materiei sui generis contineri posse in dato volumine, nihil vetat, quo minus unum idemque corpus tenuius altero, & gravius simul in specie sit, vel contra. Sic aerem multo leviolem aqua esse constat; rationes tamen, & experientia non defunt, quæ si non omnem ejus substantiam, magnam saltem ejus partem ea crassiorem ostendunt, Pingues succi, ac pleraque olea, & leviora, crassiora aqua sunt: aquam salitam graviorem dulci esse liquet; ea tamen tenuiorem multis phænomenis ipsa se præbet: succi plantarum fermentatione subacti, cujus generis vinum esse liquet, crassiores aqua, levioresque judicantur. Demus itaque, ut ad Schelhamerum veniamus, duo fluida, quorum unum crassius simul, & levius in specie altero sit, oleum nimirum, aut vinum, si placet, & aquam. Quoniam fluidum crassius in causa est, cur in eo corpora facilius adscendant, quod atmosphæræ pondus magis prohibet ab immerfis, quam fluidum tenuius; sequitur, corpus saltem aliquod in vino demersum adscensurum esse, quod in aqua descenderet. Et quoniam vinum levius in specie aqua est; sequitur idem corpus in leviori fluido adscensurum, descensurumque in graviore. Ex quo liquet, principium illud hydrostaticum: *quæ in fluido leviori consistunt, adscendunt in graviore, &c.* verum in universum non esse, sed quandoque falsum reddi, & quod magis mirere, reddi falsum per hypothesein ipsam Schelhameri, cujus fundamento nitebatur.

Habui hæc doctissimo Viro quæ opponerem, quæ etsi omnia non sunt, quæ ei dem opponi possunt; ea certe esse videntur, quibus vel ipse perspiciat, suæ hypotheseis fundamenta neque tam vera esse, neque tam perspicue ab eo demonstrata, ut in eis nos acquiescere, ac in suam, ut ipse ait, sententiam pedibus ire merito confidat. Postulatorum, lemmatum, propositionum pompam quasi quandam, quam explicat, non attingimus; quid enim de iis futurum sit, sublati omnibus fundamentis, quibus superstruuntur, facile est intelligere. Missa facimus omnia, quæ ad suæ hypotheseis ornatum verius, quam

ad contextum facere videntur, qualia sunt, quæ de salium, & metallorum in fluidis sustentatione disputavit. Ad hanc nihil conferre majorem superficiem, quam hæc corpora, ubi in tenuissimas partes divisa sunt, acquirere dicuntur: conferre tantum inferiorem ejusdem superficiem partem, per quam illa a reflexa fluidi columna sursum pelluntur; hinc auri bracteas, & lamellas, aquæ horizontaliter incumbentes, in ea innatare, quæ si ad quadratas (sunt ejus verba) & cubicas reducas, etsi æquales superficies habent, non innatant, sed merguntur: falsum esse, quod Ramazzinus cum Galilæo suo dixit, minorum cuborum infernam superficiem majorem esse superficie interna majoris; nam facta divisione, æqualis foret portio omnium cuborum minorum ad cubum majorem, ex quo exculpi sunt; unus-

quisque enim eorum non minus est cubus primo illo majore, etsi minor, & hic æquali ad superficiem inferiorem pondere incumbit: Hæc, inquam, omnia, atque alia permulta ultro prætermittimus, quibus Geometriam plane novam, quemadmodum & Hydrostaticam, ut dictum est, cudit. Confer modo, Lector, si placet Ramazzinianam hypothesim cum hac. Non est apud me dubium, quin illam dignam reputes Viro summa & ingenuitate, & doctrina, qui aliorum studia promovendi causa eandem proposuit, veri similem nimirum, hanc vero tot licet demonstrationibus munitam; eam tamen, quæ cum tot, tantisque iugentis monumentis, quibus præclarum sibi nomen tum in physicis, tum in anatomicis adeptus est Schelhamerus, non plane consentiat.

D E

BAROMETRO

DISSERTATIO ALTERA.

SI quis unquam dignus Deo vindice notus, hic fortassis alicui videbitur, quem motiones barometri præbent. Enim vero cum omnium conatum, qui eum solvere tentarunt, in hunc usque diem irritum fecerit, nulla fere hominum industria explicabilis reputatus est. Hinc viri doctrina præstantes, inter quos præsertim Academici Parisienses non pauci, D. De La Hire, Maraldi, Amonton, Joannes Bernulli, nec non D. Marchio Joannes Poleni Astronomiæ, & Meteorum Professor Patavii, alique, multa quidem scitu digna circa hoc instrumentum magna cum laude protulerunt; de ejus vero motionum causis agere apud eos pene religio fuit, quod ipsos aliorum pericula cautos fecissent. Tandem aliquando optatus hic nobis vindex exortus videtur, præstantissimus nempe Leibniti, qui præcipuam nodi partem solvens, modum indicavit, quo totus solvi possit. Magnam vero hujus muneris partem acceptam referamus Eruditissimo Ramazzino, qui postquam ephemerides barometricas, una cum disquisitione causæ adscensus, descensusque

mercurii in Torricelliana fistula nobis exhibuit, de suo nos ditasse non contentus, aliunde etiam quæsitis operibus auxit. Amicissimum enim sibi Leibnitium, quid super eodem argumento sentiret, per literas rogavit, impetravitque. Quamobrem operæ pretium facturum me judicavi, si tanti Viri sententiam exponerem, ostenderemque, quibus principiis nitatur, quæque barometri phænomena inde explicari possint; ac demum meas conjecturas qualescunque super reliquis ejusdem phænomenis proponerem. Perdifficile sane opus aggredimur, cui fortasse vires nostræ non sufficiunt; novimus enim nobis quam sit curta suppellex. Sed laborem levabit, minuetque periculum Leibnitius ipse, cujus præclarum lumen tanquam ex sublimi quadam specula errantibus nobis viam indicabit. Placet itaque rem ipsam a phænomenis ordiri, quæ partim D. Ramazzinus, partim diligentissimus D. De La Hire, Maraldi, Amonton, alique Academia Regiæ socii notarunt, & cum aliis, quæ in diffisis terræ partibus uno, eodemque tempore observata fuere, contulerunt. Quorum præcipua hæc excerptimus.

1 Mer-

1 Mercurium in barometro plerumque altiore esse cœlo fudo, ac sereno, quam nubibus obducto, & pluviolo.

2 Flantibus ventis borealibus in Hispania, Italia, Galliaque ut plurimum attolli, australibus vero deprimi.

3 Hyeme nonnihil altiore esse, quam æstate: id quod aliter eventurum judicaretis, qui animadverterit, mercurium a frigore condensari, & in specie graviores reddi. Constat enim ex observationibus D. Amonton (Acad. Reg. Scient. Paris. an. 1704.) columnam mercurii, quæ Parisiis in summo æstu 29. pollices alta sit, ob impensum hyemis frigus, collabentibus suis partibus, tribus ferme lineis fieri brevior. In regionibus item septentrionalibus, nisi quid obstitit, altiore esse, quam in iis, quæ ad meridiem magis vergunt. (Maraldi mem. 1603.)

4 Et si hyeme plerumque altior esse solet, maximas tamen ejus depressiones, quæ circa hoc anni tempus contingunt, majores ut plurimum esse maximis depressionibus, quæ fiunt per æstatem. Liquet enim ex observationibus D. De La Hire per plures annos institutis, maximas mercurii motiones intra Novembrem, & Februarium menses, vix primis Martii diebus contigisse. Præterea in regionibus septentrionalibus multo majores ejus depressiones haberi, quam in meridionalibus. Nam in Suetia intra decimam tertiam fere barometri partem ejus motiones continentur, in Gallia intra decimam septimam, inter Tropicos, & Æquinoctiale versus, intra quinquagesimam tantum. (Marald. ibid.) Rursus majores barometri motiones contingere notatum est Vestmonasterii in Anglia quam Lutetiæ Parisiorum, quæ urbs meridionaliter est, majores Lutetiæ Parisiorum, quam Genuæ, quæ itidem meridionalior, majores Genuæ, quam Massiliæ, quæ etiam magis meridionalis existit (Idem mem. 1709.)

5 Hyeme etiam ejus motiones non solum majores, quam æstate, sed etiam crebriores (Ramazzinus, & Marald.)

6 Eadem ferme die in locis ab invicem admodum distitis, Hispania, Italia, Galliaque attolli, eadem etiam deprimi, cum præsertim ejus motiones magnæ, & subitæ fiunt (Maraldi ibidem.) Ex observationibus ejusdem Maraldi Parisiis, & Marchionis Salvago Genuæ factis, collatisque inter se, comperit, magnum reperiri motionum baro-

metri consensum in utraque civitate, five motiones ipsæ magnæ, ac subitæ sint, five parvæ, ac lentæ: five iidem spirent venti, five diversi, five etiam contrarii. Idem mem. 1709.

7 Præterea ex observationibus ejusdem Maraldi (Hist. 1699.) Parisiis, & D. Valian Descan Vestmonasterii in Anglia annorum 1699., & 98. factis constat, ubi mercurius in utraque civitate deprimebatur, humiliorem stationem habuisse in ea, in qua imbres cecidere, quam ubi cœli serenitas servaretur. Cum vero in utraque attollebatur, altius proportionaliter adscendisse in qua cœlum perspicuum fuit, quam in ea, in qua nubibus obductum.

8 Quemadmodum majores barometri motiones apud nos contingunt hyeme, quam æstate, majoresque in locis septentrionalibus, quam in meridionalibus, ita majores habentur in locis humilioribus, quam in iis, quæ supra maris superficiem magis elata sunt; in Tigurino enim pago apud Helvetios, qui Genua, & Massilia septentrionalior est, hac tamen 480. exapedis altior, motiones barometri minores, quam in illis urbibus, observatæ fuere. (Idem Marald. mem. 1709.)

9 Multas tandem barometrum anomalias patitur. Nam aliquando flante borea, servataque cœli serenitate, deprimitur; spirante austro, cœloque nubibus obducto, & nimbo, attollitur, non raro, nulla facta in nostrate aere alteratione sensibili, insignes motiones subit, in quibusdam etiam regionibus australium ventorum afflatu adscendere, borealium vero deprimi solet.

Ut igitur horum omnium rationem aliquam reddamus, supponimus tantum aerem gravem, fluidum, dilationi, compressionique obnoxium, quibus rebus affectum esse, nemo non perspicit. Eorum autem nonnulla per solam ejus gravitatem, fluiditatemque explicari posse videntur; alia vero elastica etiam vi in partem vocata. Dum vero id facimus, non idem prorsus sentimus cum iis, qui putant, elasticitatem aeris, prout intenditur, vel remittitur, vim ejus premendi super barometro multum augere, vel imminuere per se posse. Quam sententiam probare conatus est R. P. Laurentius Gobart in tractatu physico de barometro Amstelodami ann. 1703. Judicamus enim elasticitatem aeris id quidem, sed ex occasione facere posse: nimirum ob id solum, quod pro sui dilatatione, contractio neque

neque in causa est, quare majus aut minus atmosphaerae onus nobis incumbat. Quippe satis constat, elasticum corpus, ubi liberum spatium habet, per quod dilatari, & constringi queat, tantum premere subjecta corpora, quantum faceret, si grave tantum esset, atque omni elasticitate careret. A simplicioribus itaque initium sumentes, ea primum phaenomena aggrediamur, quae per solam aeris gravitatem, fluiditatemque explicari possunt. In horum autem numerum primum, & septimum potissimum referuntur, quae Leibnitiis verborum quidem parvus, sed rerum, ut sui moris est, sacundissimus, ostendit, cujus mentem, quantum in nobis erit, interpretari adnitemur. Hoc perfecto, super reliquis phaenomenis, quae difficiliorem explicationem habent, conjecturas nostras proponemus.

Doctissimi igitur Viri hypotheseis tribus potissimum propositionibus constat, quarum duae, etsi prima fronte paradoxa videntur, re tamen perspecta, verissimae judicabuntur.

1. Non minorem semper aquae copiam in perspicuo aere, ac ad sensum siccissimo, contineri, quam in caliginoso, & humenti.

2. Ubi humoris partes unum cum aere corpus componunt, aerem ipsum tanto graviores facere, quanta per ipsas materiae accessio facta est.

3. Ubi vero ab aeris mixtione separatae depluunt, eum minus gravem reddere; & ut suo loco probabimus, ab aqueis guttulis deciditibus aerem tantundem ferme gravem fieri, quantum esset, si earundem guttularum spatia aer ipse occuparet.

Si haec tria ostendero, satis, ut opinor, constabit, in humidis aeris constitutionibus, si caetera paria sint, mercurium in barometro descendere oportere. Si caetera, inquam, sint paria: nam cum perspicuum sit, mercurii stationem multis aliis de causis variari posse, de quibus suo loco dicemus, ex diversa earum combinatione non raro evenire solet, ut mercurius pluvioso coelo adscendat, sereno deprimatur, ut nullam inde ex barometro pluviae, serenitatisque certam regulam definire valeamus.

Quod ad primum igitur attinet, persuasum fere omnibus est caliginosum, nubilumque aerem magis semper humore abundare, quam perspicuum, siccumque; atque ita persuasum, ut ii fere omnes, qui admirandi hujus phaenomeni causam investiga-

runt, hoc potissimum sibi onus imposuerint, ut explicarent, qui unquam fiat, ut tunc aer minorem super barometro pressionem exerceat, cum majore admissa gravioris fluidi copia, multo gravior redditur. Enimvero duo potissimum sunt, quibus maxime adducimur ad judicandum, majorem aquae copiam in hoc, quam illo aere inesse: aeris nimirum opacitas, & corporum mador, quae eidem aeri exposita sunt. Verum ex his, si rem paulo attentius aestimare velimus, nulla certa judicandi ratio erui posse videtur. Quaesitum olim inter Philosophos fuit, utrum imbres gignantur ex transmutatione aeris in aquam, an vero ex concretione, coagmentationeque partium aquae, quae dispersae, dissociataeque in eodem aere praexistebant. Verum tametsi magna inter eos adhuc contentio est de elementorum transmutatione in universum; tamen cum perspicuum sit, aquam ab aere exprimi posse, absque ulla eorum actione, quae habere vim transmutandi aerem in aquam, judicantur; quando id vel sola caloris, aut intestini motus remissione, compressioneque a ventis facta, aliisque similibus de causis fieri cernimus; transmutatione ipsa in hac re potissimum rejecta, imbres ex coactis, densatisque humoris partibus fieri sentiendum videtur. Nisi forte dicamus, aerem ex effluviis rerum fere omnium componi: iccirco aquam in aerem transmutari, cum inter singulas ejus partes multum aetheris intercipitur, eandemque rursus in aquam converti, cum eadem partes excluso aethere ad se invicem propius accedunt. Quae quidem dicentibus, quaestio de transmutatione aeris in aquam, & vicissim, de nomine quaestio esse videbitur. At si constet, eandem humoris quantitatem obnubilare aerem posse, & corpora madefacere, posse item ejus perspicuitatem, siccitatemque salvam relinquere; haud sane intelligo, qui ex opacitate, madoreque corporum, plus in aere humoris contineri, liceat inferre. Si de primo loquamur, nullus dubitandi locus relinquitur, quin eadem vel opacissimi corporis quantitas, pro diverso suarum partium statu, eundem liquorem, nunc plurimum obumbret, nunc vero ne hilum quidem de ejus perspicuitate detrahat. Qui operae aliquid in Chymicis posuerunt, illustra ejus rei exempla ex metallorum, mineraliumque solutione habere possunt. Ita enim opacissima illa corpora, ac mercurius praesertim, in men-

struis suis dissolvuntur, ut nihil jurares, præter simplicem aquam, in eo vase, in quo solutio facta est, contineri, adeo perspicuitatem suam liquor conservat; ubi vero unam, vel alteram olei tartari, similisque liquoris, guttam inieceris, metallorum partes in majores massas coeunt univsum primum liquorem opacissimum reddunt, mox versus fundum vasis præcipientes devolvuntur, ea quidem quantitate, ut chymicæ artis imperito impossibile videatur, tantam ejusdem metalli vim in tam exiguo liquore præextitisse. Quod si id fluidis omnibus contingit, ob opacissimi corporis mixtionem, quid non & aeri continget ob mixtionem aquæ? Rursus si id aeri cum cæteris fluidis commune est, qua unquam ratione affirmare licebit, uberiores aquam in opaco, quam in perspicuo aere contineri? Si verò madorem spectemus, siccitatemque corporum, quæ aeri exposta sunt, apparebit, utrumque ab eodem aere fieri posse, tametsi pari aquæ copia imbutus sit. Nam si primum liquoris partes per aerem dispersæ, dissociatæque concipiantur, facile erit intelligere, eas, præ molis tenuitate, ac respectiva superficierum magnitudine, intestino aeris motui parentes, non solum nusquam consistere, nulli corpori adhærere; verum etiam eas humoris partes, quæ corporibus insistant, ea, qua moventur, motus pernecitate abripere facile posse. Coeant deinde in massas majores. Quemadmodum, ob auctum earum pondus, intestino aeris motui minime obsequentes, in pluviam vel sensibilem, vel insensibilem abeunt; ita solidis corporibus, quæ primum attigerint, facile adhærescent. Quamobrem si madefieri corpora dicuntur, cum appellentes liquoris partes iis adhærescent, sicca vero manere, exsiccarive, cum iis minime adhærent, aut abripiuntur; dubitare non licet, quin aer pari humoris quantitate refertus facere utrumque possit. Quæ si ita sunt, quis non videt, nulla certa ratione, sed fallaci sensuum testimonio, nos adductos esse ad credendum, majorem semper aquæ copiam in nubiloso, humentique aere, quam in sicco, & sereno contineri. Sed neque rationes desunt, quæ contrarium suadeant. Causæ primum vapores educentes, calor solis, & qui telluri congenitus est, ignes subterranei, venti denique ipsi, manifesto conjecturæ indicio esse possunt. Atque ut primam consideremus, quæ cæteris

patentior est; etsi ex diligenti D. præsertim de La Hire per multos annos instituta observatione constat, plures æstate, quam hyeme pluvias decidere solere; liquet tamen non semel minores æstate, quam aliis anni temporibus cecidisse, quo quidem tempore minorem reperiri in aere vaporum vim, decoquente desuper sole, nemo, ut opinor, affirmaret. Quid vero dicam de urentissimis illis siccitatibus, quæ interdum per integram fere æstatem sæviunt, in quibus ita areseunt fontes, & flumina, fata omnia contabescunt; ut ipsum aquæ elementum in aerem migrasse videatur; aer tamen tot vaporibus refertus per vastissimos telluris tractus siccissimus apparet? Sed video, quid contra afferri possit: vapores in his locis genitos aliorum a ventis pelli. Non diffitear equidem id sæpissime accidere solere, ubi præsertim generales venti flant. At vero silentibus ipsis, id quod non raro experimur, non video, quantum valitura objectio sit, apud eos præsertim, qui ventorum vim, naturamque cognoverint. Nam si generales quosdam ventos excipias, qui in mari præsertim dominantur, ubi nulla montium impedimenta obijciuntur, quales potissimum qui sub æquatore ab oriente perpetuo spirant, quique a polis versus æquatorem ipsum, vernaculi certe, a quibus pluviarum serenitatesque locorum ut plurimum pendunt, vapores quidem aliquo loco genitos aliquo ulque ferre possunt; at neque diu possunt, quorum impetus locorum tractu brevi languescit. Majorem conjecturæ nostræ fidem facere possunt loca illa, in quibus etsi, vel nullæ, vel raræ admodum pluviarum visuntur; tamen solum ubertate non caret. Missam faciamus ulteriorem Ægypti partem, quam ex annua Nili inundatione tantum aquæ haurire, quantum siccitati annuæ sufficere possit, auctor est Seneca. Cui fortasse qui soli naturam perpenderit, ex limo quidem, nitrosisque salibus, quos hic amnis deponit, annuam fertilitatem acquirere illud concedet; sed ex unica illa inundatione tantum humoris ipsum solum imbibere, quantum siccitati annuæ obsistere possit, non facile admittet, nisi quotidiani rores exhalantem humorem sarciant. Mittamus etiam impluvia illa Plinii loca, aream in Fano Paphiæ Veneris, unam ex novem Pelopis Insulis, atque alia hujusmodi. Ex accuratissimis certe Geographiæ Scriptoribus constat, multos terræ tractus tum in Asia,

tum

tum in Africa, tum in America reperiri, eos præsertim, qui longe a montibus distant, in quibus si nullæ omnino pluvie non decidunt, tam raræ tamen sunt, ut irrigandis agris non sufficiant. In ea Americæ parte, quæ littoralis, ac maritima Peruvia dicitur, inque adjacentibus Insulis nonnullis, nunquam pluvie testis est Varenius Geogr. gener. lib. 2. Prop. xi. At in illis Terræ partibus, servata Cœli serenitate, tam copiosus ros descendit, ut non solum alendis frugibus par sit, verum etiam rivis efficiendis sufficiat. Ex his omnibus perspicuum videtur rationi valde consentaneum esse dicere serenam aerem, ac ad sensum siccissimum, non semper minus habere humoris eo, qui opacissimus est, ac plane nimbosus.

Quod ad secundum spectat, aquam, ubi unam cum aere massam componit, majorem ei gravitatem conciliare, in dubium revocari non posset, si ejus partes in eodem aere consisterent. Non secus enim eventurum aeri constat, ac solido cuivis corpori ex heterogeneis composito, ejus dissimilaritas partium non prohibet, quo minus una omnes pro materiæ quantitate ad telluris centrum pellantur. Omnis igitur dubitatio sita esse videtur in intestino partium motu, quo fluida omnia moveri in superiore dissertatione satis, ut opinor, probatum a nobis est, quemque multo majorem, perturbatioremque esse convenit in aqueis partibus, cum per aerem dispersæ sunt, quam cum in suo loco continentur. Id olim Cartesium induxit ad pronuntiandum, fluidum pari materiæ quantitate constans, qua solidum corpus, inde levius futurum, quod ejus partes aliquem semper a motu, in quo sunt, levitatis gradum acquirunt. Hugenius tamen, in tractatu de causa gravitatis, ejus opinionem erroris redarguit; enim vero si motus partium vis centrifugæ, aut levitatis aliquid fluidis corporibus conciliare unquam posset, alterum de duobus fieri oporteret, vel ut partes ipsæ circulariter moveantur, ac circa telluris centrum, vel saltem ut majori vi sursum, quam deorsus tendant. Horum autem neutrum nemo, puto, affirmaret, quando fluidorum natura id plane requirit, ut eorum partes æquali vi moveantur secundum omnes loci differentias, ac motus reciproca-tione quadam, æquales vires in omnem partem producente. Sed neque desunt experimenta, quæ Cartesii sententiam veram non esse ostendunt. Atque ut exemplum metal-

lorum multis fortasse suspectum mittamus, quæ sive firma, & solida, sive ab igne fusæ, eandem gravitatem servare multi cum Hugenio notarunt; aquam certe, sive fluxa sit, sive gelu constricta, id quod magnum glaciæ explicandæ negotium facessit, sive etiam fervens, ejusdem absoluti ponderis esse, multis experimentis probatum est. Rursus aquam ipsam, & salem separatim, mox junctim expendens expertissimus Boyle, idem semper in utrisque pondus invenisse se affirmat, non dicam solum ubi salis solutio facta erat, sed tunc etiam, cum fieret: quo quidem tempore nullum de intestino aquæ motu dubium esse potest. Tandem si periculum, facere non displiceat super iis liquoribus, qui mitti fervorem concipiunt, eos perspicies tantundem ponderis in tanta motus perturbatione amittere, quantum materiæ in halitus formam emittunt. Quæ omnia ut evincunt, motum intestinum fluidorum nihil de partium componentium gravitate detrahere; ita demonstrant, aquæ partes, ubi unum cum aere corpus componunt, communemque cum aeris partibus motum habent, tantam ei gravitatem conciliare, quanta per eandem materiæ accessio facta est.

Restat, ut tertium probemus, nimirum aquam, ubi ab aeris mixtione separata per aerem descendit, seu in universum grave, ubi per fluidum descendit, minorem, quam suimet ponderis magnitudo fert, in fluidum ipsum pressionem facere. Ut autem ordine procedamus, primum Leibnitii experimentum super hac re exponemus, deinde eam experimenti rationem, quam Auctor adducit, interpretabimur, postea quid inferri inde liceat, paucis inquiremus.

Doctissimi igitur Viri experimentum hujusmodi est. *Esto tubus A infra clausus in B, aqua plenus, rectus, ex libræ extremo suspensus, cum pondere opposito in æquilibrio constitutus. Ibi in aquæ superficie nasetur carum aliquod corpus D ex materia gravi, casurum, si aqua intraret. Ponamus obturatum esse foramen, sed ita, ut paulatim aquæ partium fiat. Ergo ubi intraverit, descendet corpus D versus fundum.*

Id autem facili negotio conficies si corpus D sit sphaera ex metallo intus cava, utrinque tubulis in directum oppositis instructa, atque eo artificio facta, ut ubi aqua supernatat, tubuli ipsi perpendicularem situm teneant. Horum superior cera obducatur, inferior vero pervius sit. His in hunc modum con-

stitutis, si corpus ignitum, aut candelam ad superiorem tubum cera obductum admo-
veris, cera liquata, aqua per tubum infe-
riorem sphaeram intrabit, & in causa erit,
cur sphaera descendat.

*His positis, durante descensu corporis D, cessaturum, ait, aequalibrium, descensurum-
que pondus C, ac totum tubum A B eleva-
tum iri.*

Ad rationem autem experimenti quod spe-
ctat, eam paucissimis quidem verbis indica-
vit doctissimus Vir, iis tamen, in quibus
numericis omnibus absolutam demonstratio-
nem sitam esse, perspicuum est. En ejus
verba.

*Cujus rei ratio est manifesta, quod quantum
descendit D, tantum ab aqua, tubo, libra,
non sustinetur, et eatenus non resistit ponde-
ri opposito C.*

Ad hujus autem demonstrationis vim plane
intelligendam sufficere videtur cognoscere
quid inter gravitatem, & gravitationem
discriminis intercedat. Gravitatio est vis,
quam habent corpora ad descendendum, seu
ad accedendum ad terrae centrum, quae vis
proportionalis est materiae quantitati eorun-
dem corporum: Gravitatio contra est pres-
sio facta a corporibus gravibus descendere
connitentibus contra obstacula, quae ipso-
rum descensum prohibent, aut morantur.
Verum ubi vis agentis major est resistentia
patientis, illius actio in hoc ex hujus resi-
stentia aestimatur (tantum enim illud agit
in hoc quantum in hoc illi resistit) & resisten-
tia fluidi, in quo grave descendit, minor
est, quam corporis descendens gravitas
(alioquin grave in eo non descenderet.) Igi-
tur grave, quod in fluido descendit, mino-
rem in fluidum gravitationem exercet, quam
sit tota ejus gravitas; haec enim partim fi-
nem suum descendendo consequitur, partim
agit in obstaculum.

Ex hoc igitur tam nobili invento admira-
bilis fluidorum proprietas innotescit; vide-
licet fluida, per quae graviora corpora de-
scendunt, minorem ab iis pressionem pati,
quam patiuntur, ubi eadem corpora susten-
tant. Ad quam fluidorum proprietatem non
animadvertens fortasse Borellus in lib. de
mot. natural. a gravit. pendet. Cap. 5. Prop.
114. dixit, *si sifflula Torricelliana intra pu-
teum demersa sit, et aqua putei a graviore
incumbente corpore (arena, puta, aut plum-
bo in globulos conformato) in vase aliquo
contento prematur, mercurium in eadem si-*

*stula attolli, non solum cum grave incumbens,
per aquam non descendit, verum etiam eo per
modum pluviae descendente, altum manere.*
Ex quo Prop. 115. rationem concludit: *nu-
bes, et dum in aere suspenduntur, et dum in
pluviam soluta descendunt, pondere suo ejus
gravitationem augere.*

Quoniam vero Leibinitius non definivit,
quanta ex gravibus per fluida cadentibus fu-
tura sit pressio fluidorum, quod ejus institu-
to id minimè necessarium erat, non abs re
erit id paucis inquirere, quod partim ex al-
lata ejusdem Leibinitii ratione, partim ex Ar-
chimede lib. de insidentibus humido, cognos-
cemus; ex quo veritas Leibinitiani experi-
menti magis etiam apparebit.

Duo autem a nobis quaerenda sunt: pri-
mum quam pressionem faciat grave, dum per
fluidum descendit, in proxima fluidi strata:
secundum quam pressionem faciat in strata
ab eo valde remota.

Quod ad primum attinet, perspicuum in
primis videtur, grave in universum tantum
premere obstacula sui descensus, quantum
obstacula singulis momentis temporis ejus
motum deorsum retardant. Tantum enim
grave premit obstacula, quantum haec ejus
ponderis sustentant; & obstacula tantum ejus
ponderis sustentant, quantum singulis mo-
mentis temporis ejus descensus velocitatem
retardant. Huc spectat ratio experimenti,
quam attulit Leibinitius, quae hujus propo-
sitionis conversa est. *Quantum descendit D,
tantum ab aqua, tubo, libra, non susti-
netur.*

Itidem manifestum est, gravia, dum
per fluida descendunt, multa offendere im-
pedimenta, quae ipsorum motum morantur.
Quemadmodum enim constat, gravia, quae
per vacuum descenderent aequalibus tempo-
ribus pari omnia velocitate casura; quod
vires motrices in omnibus proportionales es-
sent materiae movendae, ac nulla ob magni-
tudinem, figuram, superficiem, impedi-
menta in eodem vacuo offenderent: ita per-
spicuum est, secus accidere gravibus, quae
per fluida descendunt. His enim multa occur-
runt, quae obstant, quo minus pari veloci-
tate moveantur; ut non facile sit duo gra-
via reperire, quae aequali velocitate per idem
fluidum descendant. Haec autem quatuor
potissimum sunt: pondus fluidi mole aequalis:
lentor, & viscositas fluidorum: figura corpo-
ris descendens: superficies major, aut mi-
nor ejusdem. Pondus fluidi non solum descen-
sum

sum gravium retardare potest, verum etiam sistere omnino, aliquanto etiam sursum pelleret; reliqua vero impedimenta retardare quidem possunt motum corporum, quæ graviora, & in ipsis tota immersa sunt, sed eum sistere omnino nun possunt, ut fusius a nobis superiori dissertatione ostensum est.

Postremo constat, grave, cuius motus a solo fluidi pondere retardatur (id contingeret, si fluidum existeret perfectum) tantum premere proxime subiecta fluidi strata quantum est pondus fluidi eidem mole aqualis. Nam quoniam ex hypothese solum fluidi pondus motum gravis moratur, totus excessus ponderis gravis impenditur sursum pellendo fluido eidem, & fluidum revera adscendet vi æquali excessui ponderis gravis supra molem fluidi in eadem mole. Ergo idem ponderis excessus nullam pressionem faciet in subiecta fluidi strata. At idem grave altera sui ponderis parte, quæ æquat pondus fluidi in eadem mole, cum eodem fluido æquilibratur. Igitur subiectis fluidi stratis idem prorsus continget, ac si spatium gravis cadentis a fluido homogeneo plane quiescente occuparetur.

His præmissis ajo, grave per fluidum descendens 1. premere subiecta fluidi strata vi æquali ponderi fluidi in eadem mole: 2. tantum premere eadem fluidi strata excessu sui ponderis, quantum lentor fluidi, figura, ac superficies gravis singulis momentis temporis ejus descensus, eam velocitatem morantur, quam grave eodem tempore haberet, si fluidum esset tantum grave, ac prædicta impedimenta abessent.

(1) Pars ponderis ejusdem gravis æquans pondus fluidi in eadem mole cum eodem fluido æquilibratur. Igitur in hoc etiam casu strata fluidi subiecta hac oneris parte premuntur.

(2) Excessus ponderis ejusdem gravis partim impenditur ad superanda prædicta impedimenta, partim ad sursum pellendum fluidum eidem mole æquale. Sed quantum ejus virtutis impenditur ad prædicta impedimenta superanda, tanto segnius sursum pellit ipsum fluidum, hoc est tanto segnius idem grave descendit. Ostensum autem est (num. 1.) grave in univ. tantum premere obstacula sui descensus, quantum hæc detrahunt de ipsorum velocitate: præterea ostensum, velocitatem, quam eidem detrahit pondus fluidi, quod ab eo sursum pellitur, haud facere posse, ut grave excessu sui ponderis

premat deorsum strata fluidi subiecta. Igitur sola retardatio gravis ex lentore fluidi, figura, ac superficie gravis ipsius, id præstare potest, & per consequens grave per fluidum descendens tantum deorsum premit strata fluidi subiecta excessu sui ponderis, quantum lentor fluidi, figura, ac superficies gravis singulis momentis temporis detrahunt velocitatis, quam grave eodem tempore haberet, si fluidum grave tantum existeret, & prædicta impedimenta abessent.

Quod ad secundum spectat, supposuit Archimedes lib. 1. de insidentibus humido positione prima, fluida omnia in horizontalia, plana divisa esse, & uniuscujusque plani partem, quæ minus pressa est, a magis pressa sursum pelli. Quam positionem Boirellus in lib. de mot. natur. a gravit. pend. Cap. 2. propositione 1. demonstravit.

Præterea Isaac: Newton Phil. Natur. Princip. Mathem. Sect. 8. Prop. 41. ostendit, pressionem per fluidorum particulas in directum non jacentes factam, in fluido ipso non propagari per lineas rectas, sed divaricari, ac quaversum diffundi.

His positis non erit difficile probatu, pressionem factam in fluidum a gravi in eo cadente parte aliqua excessu sui ponderis supra pondus fluidi in eadem mole, ita repetitis divaricationibus ad latera, ac sursum dividi, ut demum in subiecta fluidi strata ab eo valde remota insensibilis, ac fere nulla perveniat.

Grave D quacunque velocitate per fluidum descendat, & fluidum intelligatur divisum in plana 1. 2. 3. 4. 5. &c. interea dum grave D urget plani. 1. partem, quæ ei indirectum jacet, & hæc urget plani. 2. partem eidem in directum jacentem, & sic deinceps; quoniam actio æqualis est reactioni, manifestum est, eandem primi plani partem tantum urgeri a parte secundi, quantum secundi plani pars eadem inter grave D, & 2. planum, ceu prælo conclusa, & pressa, ob lubricitatem partium, quæ fluidorum propria est, in partes laterales, in quibus minus premitur, ac in superiores, ubi minorem resistantiam offendit, se se diffundet, & pressionis partem illis communicabit. Quod de primo fluidi plano dictum est, de reliquis successive dicendum, quorum pressio deorsum, repetitis ad latera, ac sursum divaricationibus, semper imminuetur. Verum observatione constat, plana fluidi a gravi D

cadente remota horizontalem situm sensibilibiter non amittere, ut ex tenuissimo pulvere per aquam disperso, in qua grave descendit, perspicitur, qui eo cadente non turbatur. Ex allata vero Archimedis positione manifestum est, plana fluidi, quæ horizontalem rectitudinem non amittunt, æqualiter in omnibus suis partibus premi. Igitur pressio, quam facit grave in fluidum, per quod descendit, excessu sui ponderis supra pondus fluidi in eadem mole, ita sensim per fluidum ipsum dispergitur, ut tandem in aliqua ab eodem gravi distantia insensibilis, ac fere nulla reddatur.

Ex his omnibus ut Leibnizii experimentum verum esse constat; ita perspicimus, ex solo aquæ descensu per aerem, mercurium in barometro deprimi posse. Nam si serenus aer, & sensuum testimonio siccissimus, non minore semper humore refertus est, quam qui nebulosus, ac humidissimus apparet: si ubi humor unum cum aere corpus componit, eundem aerem tanto graviores reddit, quanta ob ejus mixtionem materiæ accessio facta est: ubi vero ab aeris mixtione separatus depluit, eum minus gravem efficit: si demum mercurius in barometro ab aeris pondere suspenditur, sequitur profecto, in humidis aeris constitutionibus mercurium humiliorem in barometro stationem habere. Hinc ratio primi, & septimi phænomeni elucescit, necnon aliqua secundi. Nam cum Australes venti in nostris præsertim Regionibus a mari flent, plurimum ad nos humoris afferunt, qui cum præexistente humore permixtus in causa est, ut majores ex utroque guttæ componantur, quam ut in aere consistere queant. His vero modo in patentem pluviam, modo in latentem decedentibus, aer ipse magna ex parte humore exoneratur, & levior fit. Dixi modo in patentem, modo in latentem pluviam, rarus non raro fieri solere, ut ventis ab Austro spirantibus, magna humoris pars, nulla aeris opacitate inducta, descendat, quemadmodum ex lacrymatione marmorum, ulescentibus corporibus, hygroscopiisque perspicimus: contra vero cum Boreales venti natura siccissimi præexistentem in aere humorem imbibunt, ejus descensum, qui fere continuus est, ubi præsertim aer eo plurimum abundat, magna ex parte prohibent, indeque aerem graviores reddunt. Præterea Boreales venti tum ob adspirationis impetum, tum ob siccitatem suam magnam humoris partem è corpo-

ribus exprimunt, & abripiunt: hinc aeris gravitatem conciliant. Verum etsi hi quidem venti eos, quos diximus, effectus pariunt; tamen ob eos insignes barometri mutationes efficere non valent, quæ propterea aliis eorum qualitatibus acceptæ referendæ sunt, ut inferius ostendam.

Cæterum quemadmodum doctissimi Viri mentem pro virili parte interpretati sumus, ostendentes, humoris descensum inter causas depressionis barometri referendum; ita nolumus credi, hanc ejus sententiam esse, ut descensum mercurii solo humoris casui adscribendum putet. Neminem enim fugit hanc inter admirandi hujus phænomeni causas infimum locum habere. Illud in primis constat, hydrargyrum in barometro aliquando unum pollicem, aliquando $1\frac{1}{3}$, una, vel altera die, descendere solere, quod hyemali præsertim tempore contingit. Cum autem pondus specificum hydrargyri ad pondus specificum aquæ sit fere ut 14. ad 1., si descensus aquæ per aerem has barometri motiones per se facere posset, sequeretur, eam aquæ quantitatem una vel altera die in terram decidere, aut saltem per aerem deorsum ferri oportere, etiamsi tota ad terram non pertingeret, quæ 18., aut plures etiam pollices æquaret. Id autem quam incredibile sit, facile omnes vident, qui animadverterint, totam aquam, quæ per singulos annos depluit 17., aut summum 20. pollicum altitudinem non superare, ut ex D. Mariot, & De La Hire observationibus per plures annos factis constat. Accedit, ut phæn. 6. notatum est, una, eademque die barometrum in remotissimis terræ partibus adscendere, eadem etiam deprimi, nulla facta, quod ad humiditatem, siccitatemque aeris spectat, alteratione sensibili. Quocirca dubium non videtur, quin parvæ, regularesque barometri motiones ab humoris, cæterorumque contentorum, descensu per aerem pendeant; quæ vero magnæ, & subitæ sunt, ab insigniori aliqua aeris alteratione nascantur. Harum igitur motionum causas pro viribus disquiramus, contenti in re abstrusissima conjecturas omni ex parte non improbandas attulisse.

1. Primo igitur loco constat, aerem, quo undique terra circumfunditur, corpus esse grave, & liquidum: idcirco, quantum in ipso est, eniti semper, ut fluidorum omnium in morem in suprema sui superficie æqua-

æqualem ubique a telluris centro distantiam servet; ac ubi in aliquo loco quancunque ob causam altior factus est, statim ad humilia defluere, ut ad libellam respondeat.

2. Rursus liquet, eundem aerem ob elasticitatem a calore plurimum expandi, densari vero a frigore, & in angustum cogi. Duæ potissimum causæ sunt, quibus aer expanditur, solares radii, & calida effluvia, quæ a tellure emittuntur. Effluviorum vero duæ item causæ sunt satis potentes, sol ipse, & subterraneus calor. Utra valentior sit, inquirere non vacat, cum id a multis ante præstitum sit, præsertim vero a Petro Gassendo in animadversionibus ad Meteorologiam Epicuri pag. 511., & sequen., qui multo plus subterraneo calori, quam soli tribuit. Quod ad solem spectat, certum est, aerem in iis regionibus, quæ propiores sunt polis, existentem minus dilatari, quam in iis, quæ remotiores ab eisdem sunt. Certum præterea, aerem in unaquaque regione minus a sole dilatari hyeme, quam æstate. Ad exhalationes vero quod attinet, etsi eas multis de causis nullam certam legem servare constat; tamen si eam ipsarum partem respexeris, quæ a sole tantum educitur, apparebit, eandem fere rationem habere inter se, quam anni tempora: non quod halitus, qui singulis diebus e tellure prodeunt, eandem omnino inter se rationem servant, quam vires, quibus sol unaquaque die potitur (multa enim ad id prohibendum conspirant) sed quod maximi halitus, qui hyeme attolluntur, ad maximos, qui per æstatem, non multum a tempestatum ratione differant. Alterius vero partis exhalationum, quæ a subterraneo calore gignitur, longe alia ratio est. Nam cum ex diligenti metallariorum observatione constet, calorem hunc non debiliorem esse hyeme, quam æstate; rationi valde consonum est, halitus ab eoeductos nullam anni temporum rationem servare. Et sane, qui animadverterit, aeris temperiem in unaquaque regione variam semper esse, & inconstantem; id autem a sole fieri non posse, qui certa quadam periodo eclypticam percurrendo, illam aeri temperiem inducit, quæ anni temporibus fere respondet; facile in animum inducet credere, eandem temperiei aeris inconstantiam ab exhalationibus creari: idcirco nullum esse anni tempus, in quo æquales fere exhalationes a subterraneo calore educi non queant.

Hinc si comparare libeat densitatem hyberni aeris cum densitate aeris æstivi, prout uterque a sole tantum incalescit, nec non exhalationes, quæ per hyemem cum exhalationibus, quæ per æstatem a tellure certis occasionibus educuntur; verisimile videbitur, densitatem hyberni aeris in unaquaque regione a sole tantum calefacti, majorem plerumque rationem habere ad densitatem aeris æstivi, quam reciproce halitus æstivos ad hybernos, qui tum a sole, tum a subterraneo telluris calore generantur. Quod ut planius fiat, fingamus primum, aerem a sole non calefieri. Certum est, eum æqualem ubique in suprema sui superficie a telluris centro distantiam servare. Igitur inferiores ejus partes cum ab æquali atmosphæræ pondere premantur, æque densæ erunt. Deinde fingamus eundem aerem in regione aliqua a sole calefieri tum hyeme, tum æstate. Cum inferiores ejus partes in utraque tempestate per se æque densæ sint, expandentur a sole in eadem ratione, qua ab eo incalescunt. Sit hyberni solis vis ad vim æstivi: 1. 2. Erit in eadem regione inferni, hybernique aeris raritas, seu contrario sensu ejus densitas ad densitatem aeris æstivi: 2. 1. Et quamvis aer ille, utpote pressior, & gravior, ad vicinum minus pressum, & levio-rem circa telluris superficiem confluat, ut in æquilibrium cum eo redigatur; tamen cum ejus columna ob densitatem suam brevior admodum sit, tantundem ferme a vicino altiore aere per leges fluiditatis circulatione quadam ad ipsum defluet in superiore sui parte, quantum ab eo in inferiore decessit; hinc in eadem ferme pressione servabitur. Nunc consideremus halitus, qui tum a sole, tum a subterraneo calore educuntur, & fingamus, licet id re vera falsum sit, solares radios media æstate habere vires ad eos educendos æquales iis, quibus subterraneus calor pollet. Erunt halitus a soleeducti cæteris paribus, ut solis vires, adeoque halitus æstivi ad hybernos erunt item: 2. 1. Quia vero subterraneus calor debilior hyeme non est, quam æstate; halitus, qui pro re nata ab eo creantur, pauciores non erunt hyeme, cæteris paribus, quam æstate. Hinc maximi halitus in utraque tempestate ab eo producti erunt = 2. Igitur si maximos halitus æstivo tempore in unaquaque regione ab utrisque simul causiseductos comparemus cum maximis halitibus, qui cæteris paribus per hyemem emittuntur, erunt: 4. 3. adeoque in-

minore ratione, quam densitas hyberni aeris a sole tantum calefacti ad densitatem ætivi, quæ erat: 2. 1. Non secus diversis climatibus accidere oportere judicabis; nam densitas aeris in regionibus septentrionalibus majorem in universum rationem habebit ad densitatem aeris in regionibus meridionalibus, quam reciproce exhalationes e tellure in regionibus meridionalibus erumpentes ad exhalationes, quæ eodem tempore in septentrionalibus habentur. In universum, inquam, id eveniet; nam diversa locorum ingonia, aliorum vicina, venti denique ipsi, id semper, & in omnibus regionibus fieri non sinunt.

4. Illud etiam ex eadem elasticitate inferre licet, si sint duæ aeris moles inæqualiter pressæ, & inæqualiter calentes, magis pressam, & minus calentem, majorem vim elasticam acquirere, quam minus pressam, & magis calentem; si tamen illius pressio majorem rationem habeat ad hujus pressionem, quam ipsarum calor reciproce. Cum enim ex vulgari thermometro, præsertim vero Amontoniano constet, aerem æqualiter pressum, & inæqualiter calentem, elasticam vim acquirere cæteris paribus in ratione caloris; cum præterea probatum sit a Domino Amonton (Acad. R. Scient. ann. 1702.) aerem inæqualiter pressum, & æqualiter calentem, acquirere vim elasticam in ratione pressionis; sequitur duas aeris moles inæqualiter pressas, & inæqualiter calentes eandem vim elasticam acquirere, cum earum pressionibus sunt reciproce ut caloris gradus. Igitur magis pressa, & minus etiam calens, majorem vim elasticam acquireret, quam minus pressa, & magis calens, si illius pressio majorem rationem habeat ad pressionem hujus, quam calor reciproce, quo ambæ incallescunt.

5. His accedit alia dilatationis aeris causa haud contemnenda, quæ ejus æquilibrium auferre plurimum potest, humor videlicet, quem ipse aer imbibit. Paucis ante annis compertum est, aerem, qui humore abundat, multo magis expandi ab eodem gradu caloris, quam qui sincerior & siccior. Hanc aeris proprietatem doctissimi Viri D. De La Hire Parisiis, & D. Stancari Bononiæ nuperrime noverunt, & experimentis confirmarunt. D. De La Hire phialam vitream accepit satis amplam, in quam siphonis vitrei crus alterum immisit, & cum ea conglutinavit: phialam cum siphone in aquam

quæ in alieno continebatur, immerfit; parum alte tamen, ne videlicet aere ab aquæ pondere nimis compresso, aqua phialam intraret. Subdito igne, fervere factaque aqua, aer phialæ expansus est, & magnam partem per siphonem extrusus: igne subducto, infusaque frigida, quo ad tota alieni aqua refriguit, ubi residuus aer phialæ ob conceptum frigus se contraxit, aqua per siphonem phialam ingressus est, ea quantitate, ut spatium impleret, in quod per rarefactionem prius inductam se se aer expanderat. Subducto calculo invenit, aerem, qui in sua naturali compressione in phiala continebatur, fuisse ad aerem, qui facta dilatatione in ea remansit, ut 35. $\frac{1}{2}$ ad 8. Repetito iisdem

circumstantiis experimento (notum enim, bullientem aquam, quocunque igne ferveat, eundem caloris gradum obrinere) hoc solum discrimine, quod in phiala reliquit 11. grana humoris, quo interior ejus superficies madebat, invenit, eundem aerem humore admisto, se habuisse ad eum, qui post sui dilatationem in phiala supererat, ut 35. $\frac{1}{2}$ ad 1. Idcirco humentem aerem octuplo fere majorem sui expansionem suscepisse ab eodem gradu caloris, quam siccum. D. Stancari Mathematicus Bononiensis eodem facto experimento, simili fere instrumento,prehendit, majorem semper aquæ copiam vas, quo usus erat, intrasse, ubi hoc madidum erat, quam ubi plane siccum: indicio manifestissimo, aerem, quo magis humore imbutus est, eo magis ab eodem gradu caloris expandi. Qua quidem in re vide Historiam Academ. Parisien. anni 1708.

Illud vero hoc loco non dissimulandum, hanc aeris proprietatem multis doctis Viris non probari. Verum si isti animadverterint, & quibus partibus aer probabiliter constet, quamque ob causam elasticus fiat, dubium, fortasse ipsis non erit, quin majorem vim ad se dilatandum aer aquirat, non solum cum aquæ, verum etiam cum multis aliis rebus miscetur. Ut primum homines de vi aeris elastica certiores facti sunt, (constat autem eam Aristoteli omnino ignotam non fuisse) se plurimum torserunt, ut ejus rationem aliquam afferrent. Alii enim dixerunt, aeris particulas esse laminas nescioquas flexibiles, & se erigere nitentes, vel in tubulos, vel in tubiformia involucria, vel in aliam similem figuram affectas. Alii filamen-

ta quædam lævia, dura, se se erigentia, quæ vel in helicis formam contorta spiras cylindricas forment, vel, quoniam hæc figura fluiditati aeris obesse videbuntur, glomerulos spæricos efficiant. Verum quoniam vis aeris elastica sine his machinis explicari fortasse potest, & naturam constat magno operæ compendio absolvere omnia, ac perficere; hæc, & similia ab ingeniis hominum potius conficta, quam a natura ipsa aeri indita videntur. Præterea cum verisimillimum sit, aerem simplex corpus non esse, sed ex effluviis constare rerum pene omnium, quæ ipsarum atmosphæram componunt, rationi consonum non videtur, ejus partes hanc figuram non habuisse, cum multa corpora formabant, acquirere autem, cum ab iisdem corporibus exsolvuntur, amissurum iterum, ubi aliam compositionem ingrediantur.

Quamobrem multo rationabilior mihi illorum conjectura videtur, qui putant, aerem nihil aliud esse, quam congeriem quandam minutarum partium, ac ramentorum fere omnium corporum, variæ magnitudinis, omnigenarumque figurarum, quæ a tenuissima, mobilissimaque ætherea substantia continenter ab iisdem corporibus abripiuntur: hæc partes in ea fluctuare, agitari, circumagi, his motibus se invicem propellere, ea re fieri, ut congeries earundem partium, si liberum habet locum, in quo expandatur, se se dilatet, sin minus, contra, id, quod ejus expansioni resistit, vim suam exerceat.

Quæ si vera sunt ut verisimilia videntur, probabilis inde ratio afferri potest, cur partes aquæ, atque aliorum etiam corporum, quæ in aerem abire dicuntur, elasticitatem ejusdem aeris intendunt. Ad id enim præstandum sufficere videtur ea magnitudo, figura, aut consistentia partium, quibus, ubi a subtili materia, in quam innatant, circumaguntur, a se invicem, & ab aliis partibus, distrahi, propellique magis queant, quam partes, & ramenta aliorum corporum, quæ aut minora sunt, aut figura, & consistentia ad id minus apta donantur. Conjecturam confirmat experimentum D. Parent. Sumpsit globulos vitreos in tubulum prælongum, ac tenue desinentes: in his guttas aliquot liquoris infudit: deinde ipsorum ora in foramen machinæ pneumaticæ introduxit. Exantlato aere machinæ, atque illo etiam, qui in globulis continebatur, ipsorum tubulos extra machinam existentes igne lucernæ fudit, & hermetice sigillavit. Hi globuli æ-

re vacui in ignem injecti majori sæpe cum sonitu crepabant, quam qui aerem sine liquore continebant: cujus phænomenon ea ratio esse videtur, quod tennes admodum, exilesque aeris partes a materia subtili, quæ, per ignem in globulos introducta erat, circumactæ, eam vim contra globulorum parietes facere haud poterant, quam liquoris partes crassiores inferebant.

Quibus rebus ut plane perspicitur, humentem aerem magis expandi ab eodem gradu caloris, quam siccum; ita inde licet inferre, si duæ sint aeris moles humore inæqualiter imbutæ, & inæqualiter calentes, magis humidam, & minus calentem, magis expandi, quam minus humidam, & magis calentem; dummodo humor illius majorem rationem habeat ad hujus humorem, quam ipsarum calor reciproce: uno verbo aerem, qui abundat humore a mitissimo etiam calore plurimum expandi. Quod si constet, hybernæ aerem humidiorum ut plurimum æstivo, illud etiam apparebit, hybernæ aerem a mitissimo calore plurimum dilatari. Nam etsi aer, si secundum omnem suam altitudinem sumatur, plus humoris continere solet æstate, quam hyeme, ob exhalationes præsertim, quæ uberrimæ æstivo tempore a tellure educuntur; tamen, si eam duntaxat ipsius partem consideres quæ a tellure non multum eminet, eam constabit hyeme humore magis imbutam esse, quam æstate; sol enim eo tempore minus habet virium ad humorem attenuandum, & efferendum, qui iccirco in inferiore atmosphæræ parte consistit: & inferior atmosphæræ pars hyberno tempore densior, & gravior, plus humoris valet sustinere: contra vero cum æstate eadem atmosphæræ pars a solaribus radiis plurimum extenuetur, ac levior in specie reddatur, ad multum humorem diu continendum apta esse non potest. Densissimæ illæ, ac diu permanentes caligines, quæ hyberno tempore cœlum obducunt, nec non imbres, qui diuturniores hyeme, quam æstate decidunt, manifesto ejus rei indicio esse possunt. Quod de hyberno apud nos ære dictum est, de Polari etiam affirmandum, nam illum pressiore esse ære, qui propior est Æquatori, ex superius dictis manifestum videtur; humidiorum autem esse eodem ære quis facile judicabit, cui notum sit, Polares regiones crassissimis nubibus circa terram hærentibus, ac continuis fere imbribus vexari, ut notat Varenius Georg. gen. l. 2. c. 26. prop. 13. Ex quibus omnibus colligitur,

tur, si respiciamus ad id, quod numero præcedente dictum est, infernum nostrum, aerem, & Polarem, a mitissimo calore plurimum expandi posse.

6. Ex hydrostaticis demum constat, aerem expansum, & extenuatum, ab inferiore proximo, ac densiore aere, sursum pelli. Cum enim aer expansus leviter sit in specie proximo densiore, fieri profecto non potest, quin hic illum per hydrostaticas leges sursum pellat. Ob hanc causam fit, ut ubi in cubiculo ignis accenditur, quieto, ac tranquillo aere existente, ventus cubiculum intret, & ad ignem ipsum magno impetu feratur; aer enim, qui igni propior est, rarior, ac levior factus, a proximo densiore, gravioreque aere sursum adigitur; hinc alio succedente aere, atque iterum rarefacto, pulsoque, novus aer continenter cubiculum ingreditur, cujus motus ventum creat. Ob eandem causam ad ea loca, in quibus magna ardent incendia, ventum confluere observamus. Hæc demum potissima ratio esse videtur, ob quam partes aquæ, dum in vapores attenuantur, sursum feruntur. Illud vero hoc loco silentio præterire non possum, doctissimos Viros etiam nunc cum Cartesio sentire, densiorem aerem propelli potius ab eo, qui expanditur, quam contra. Vulgato Æolipilarum experimento conjecturam confirmant. Verum animadverti velim, discrimen intercedente inter aerem, qui in vase continetur, & illum, qui libero undique aere circumfunditur: liberum aerem, dum expanditur, minorem resistentiam offendere in superiore ejus parte, quam in inferiore; hinc superne diffundi, eundemque motum juvari ab inferiore proximo graviore, qui per hydrostaticas leges eum sursum trudit: vix fieri posse, ut aer, dum expanditur, proximum graviorem multum removeat, etiam si eodem tempore hic densior fiat, & in angustum adducatur; obstaret enim gravitas superincumbentis aeris, cujus vi, remittente etiam ejus elasticitate, præpolleret. Hæc, & similia considerantibus apparebit, densiorem, gravioremque aerem, nec multum, nec sæpe ab eo qui expanditur, protrudi posse. Dico nec multum, nec sæpe, perspicuus, accidere aliquando, ut aer subito, & ob magnam causam, dilatetur: in quo casu, ut hydrostaticis legibus locus non est, ita graviorem aerem ab illo magna vi, ac in omnem ambitum propelli constat; non secus ac a pyro pulvere, dum accenditur, fieri observamus. Verum hanc quasi aeris explosionem, nec

per longum spatium diffundere se, nec diu durare, manifestum est, ut inde æquilibrium aeris in magno atmosphæræ tractu sublatum iri liceat inferre.

Ex his, quæ a pondere, fluiditate, elasticitateque aeris deducta sunt, causam reddi posse aliquam opinor aliarum omnium motionum, quæ in barometro contingunt. Nam si primum aerem putemus, qui sub Æquatore, & Zonis temperatis continetur, eum constabit a solaribus radiis, in subjectam tellurem perpendiculariter, aut non magna saltem declinatione incidentibus, æstare plurimum, & dilatari; eum vero, qui ad Zonas frigidas, & Polos spectat, multum comprimi, ac perpetua quasi obrigere pruina, quod eum sol, & subjectam humum oblique admodum feriat. Hinc sequitur, altiore illum natura esse, quam hunc, atmosphæra sphæroidis formam induente, cujus diameter per Æquatoris planum ducta nonnihil longior sit, quam quæ per Polos transit. Quam figuram telluri etiam inditam esse pendulorum experimento nuper deprehensum est, & a doctissimo Nevvtono probatum Princ. Phil. Natur. Mathem. lib. 3. Prop. 19. Necesse itaque esse videtur, ut num. 1. notatum est, eundem aera in suprema superficie perpetuo fluere, ab Æquatore ed Polos; adeoque Polarem, & qui sub Zonis frigidis est, hac facta ponderis accessione, non solum in specie, sed etiam absolute graviorem reddi eo, qui sub Zonis temperatis, & Æquatore versatur. Et quamvis per easdem fluiditatis leges in hoc statu manere non possit, sed gravior fluere debeat ad minus gravem, in inferiore atmosphæræ parte, hoc est a Polaribus regionibus versus Æquatorem, circulatione quadam; tamen cum omnis aer, qui superne ad eosdem Polos, & Zonas frigidas confluit, eandem vi loci condensationem subeat, nihil prohibet, quo minus Polaris aer, & qui ad Zonas frigidas spectat, gravior servetur. Qua quidem in re vide Evangelistæ Torricelli Lect. Academ. Læction. 7. qui ut primus pondus aeris cognovit, ita ventorum theoriam per ablatum aeris æquilibrium, perque motionem in superna ejus parte contrariam infernæ, circulatione quadam, optime omnium explicavit. Vide etiam doctissimi Edm. Haley historicam suppositionem ventorum statum, ac motionum, quæ intra, & prope Tropicos in mari observantur, una cum tentata eorundem æthiologia in Transac. Phil. Anglicis M. septemb. 1686. n. 183. p. 153. qui eandem do-

Arinam plane perfecit.

Ex his probabili cum ratione conijcere primum licet (Phæn. 3.) cur in septentrionalibus regionibus, ac in iis, quæ ipsi Polo subjiciuntur, barometrum nonnihil altiore gradum obtinere soleat, quam in meridionalibus, ac sub ipso prorsus *Æquatore*; cur etiam apud nos, qui *Zonam temperatam borealem* incolimus, altiore ut plurimum habeat hyeme, quam æstate. Cum enim in his locis, & hac apud nos tempestate, aer frigidior sit, magnas in suprema superficie, dum collabentibus suis partibus addensatur, depressiones patitur; hinc vicino altiore aere ad eas exæquandas conflente gravior fit; indeque majorem super barometro pressionem exercet. Altitudo autem mercurii non multo major esse potest in polaribus regionibus, quam in meridionalibus, nec multo major apud nos hyeme, quam æstate; ad quod prohibendum multa sane concurrunt. Primum aer ipse si secundum omnem sui altitudinem sumatur, non magnam ob solis accessum, recessumque in sua temperie mutationem subit, sed ex tantum eius partes, quæ telluri vicinæ admodum sunt. Notum enim, celsissima montium juga perpetuis fere nivibus tegi, nec ea solum, quæ in frigidis, temperatisque regionibus sunt, sed etiam, quæ *Zonæ torridæ*, atque etiam *Æquatori* subjacent. Præterea aer non magnam admodum sui ponderis differentiam sustinet; ubi enim aliquo in loco gravior sit, liquidorum omnium in morem, se ad æquilibrium restituere, gravioribus partibus ad leviores tendentibus, adniscitur. Denique mercurius ipse ad id aliquid conferre videtur; nam cum ob hybernæ frigus nonnihil gravior in specie reddatur, majus atmospheræ pondus requirit, ut ad eam, ad quam æstate pervenerat, altitudinem adscendat, atque adhuc majus in locis Polis propioribus, quam in iis, quæ a Polis remotiora sunt; quemadmodum enim eadem mercurii quantitas in Gallia tribus ferme lineis compressior hyeme, quam æstate, minorem, quam re vera sit atmospheræ gravitatem ostendit; ita in iis regionibus, quæ impensius argenti, multo densior, quam in iis, quæ perpetuis æstibus aduruntur, minorem adhuc ostendet.

Non secus explicari posse videtur (Phæn. 2.) cur apud nos, atque omnes fere boreales plagæ habitatores, flantibus ventis borealibus, mercurius in barometro adscendat, ubi vero australes spirant, ut plurimum depri-

matur. Cum enim venti, qui a locis Polo propioribus ad nos perveniunt, frigidiores esse soleant nostro aere, nisi a variis locorum ingeniis, quæ præterfluunt, contrariam temperiem acquisiverint, ejus corpus cogunt, & densant; hinc nostri aeris columna, partibus ad se propius accedentibus, brevior facta, magnam in superiore sui parte lacunam efficit, qua a vicino altiore aere oppleta, idem aer majorem gravitatem acquirit, indeque mercurium magis premit. Contra veto australes venti natura calidiores, ut a locis *Zonæ torridæ* vicinioribus spirantes, nostrum aera rarefaciunt, & in tumorem attollunt; hinc aer ipse, in vicinum humiliorem defluens, incumbens onus mercurio aliqua ex parte allevat.

Quamquam vero boreales venti aerem cogunt, & densant, tamen his flantibus mercurius in barometro non semper altior deprehenditur; longa enim observatione compertum est, ubi venti a quacunque plagæ spirantes magni admodum, ac procellosi sunt, ibi mercurium in barometro humiliorem reperiri. Cujus rei ea ratio esse videtur, quod cum & motionum barometri, & ventorum una eademque causa sit, nimirum ablatum atmospheræ æquilibrium: cum præterea aer per Staticæ leges ab his plagis, in quibus gravior reperitur, in aer feratur, in quibus factus est levior; consequens est, ut in ea loca, in quibus multo levior deprehenditur, majori cum impetu confluat, ut in æquilibrium redigatur, ac magnos in iisdem locis ventos creat. Idcirco ubi magni, ac procellosi sæviunt venti, cum ob id potissimum sæviant, quod atmospheræ facta sit levior, ibi mercurius in barometro ut plurimum reperitur.

Ob hanc fortasse rationem australis ventus apud nos plerumque inferne sursum spirat, borealis superne deorsum. Nam cum ille a locis calidioribus ad nos feratur, nostrum aera plurimum expandit, qui ob id sursum movetur: cum vero ob eandem rationem latione horizontali a meridionali plaga versus polos eat, consequens est, ut directione ex utrisque composita oblique sursum moveatur. Cum vero borealis flatus eundem aerem, & in angustum cogat, & a Polo ad *Æquatorem* pellat, ventum superne deorsum flantem creat. Hinc licet intelligere, non satis probabilem eorum conjecturam videri, qui putant, spirante apud nos borea, aerem graviorem reddi, quod hic ventus deorsum ruens aerem detrudat; contra vero, spirante austro, fie-

ri leviolem, quod hic, sursum flans, aerem ipsum sustollat. Ex dictis enim verisimile videtur, aerem graviolem, leviolemve non fieri ob variam eorundem ventorum lationem, sed ventos ipsos his lationibus moveri, quia aer ipse gravior, leviorque fit, ex cuius motu gignuntur.

Permulta esse constat, propter quæ auster nobis pluviarum est causa, boreas vero serenitatis. De his aliquid superius dictum est, cui id quoque attexendum puto, cum Doct. Joh. Schmidio in completo illo de natura, usu, ac recta tractatione baroscopii, discursu, Londini 1686., incrementum scilicet, & decrementum ponderis, quod aer ob horum ventorum appulsum acquirit. Ex hydrostaticis enim patet, ob mutatum præsertim fluidorum specificum pondus, contenta præcipitari, attolli, aut consistere valere. Rursus probatum est, flante austro, corpus aeris plurimum expandi, idest non solum absolute, sed etiam in specie fieri levius, flante borea condensari, & gravius reddi. Itaque inferre inde licebit ob hanc etiam rationem ab iis ventis imbres, & serenitatem induci, quod nimirum aerem ipsum graviolem, leviolemque hi venti constituunt. Et sane is, qui animadverterit, in humidis aeris constitutionibus multo altius descendere solere mercurium in barometro, quam ut pluviae lapsui is descensus referri possit, facile sibi in animum inducet, factam in aere levitatem multo potiorlem esse causam, cur imbres decidunt, quam imbrium lapsum, cur aer levior fiat.

Ex his conijcere etiam licet (Phæn. 4.) cur apud nos majores plerumque mercurii depressiones contingant hyeme, quam æstate: cur majores etiam in regionibus, quæ ab Æquatore magis distant, quam in iis, quæ ei propiores sunt, quæque sub ipso continentur. Ostensum enim est, inferiorem atmosphæræ partem apud nos hyeme (n. 3. & 4.) & pressiorelem esse, & humore magis refertam, quam æstate: aerem, quo compressior, & humentior est, (n. 4. & 5.) eo magis a micissimo etiam calore dilatari: eam ipsius aeris partem, quæ expansa, & extenuata est (n. 6.) a circumjecto graviolem aere, sursum pelli, eandemque in altiore atmosphæræ parte in tumorem assurgere, indeque in proximum humiliolem aerem diffundi, & exonerari (n. 1.) ut ad libellam respondeat. Quoniam vero ubi hæc in aliqua atmosphæræ columna contingunt, columnam eandem multo leviolem fieri necesse est; eaque multo leviolem facta, hydrargyrum in barome-

tro de statione sua plurimum decere. Ex his omnibus consequitur, depressiones hydrargyri in barometro multo majores hyeme contingere, quam æstate; cum nimirum exhalationes aerem ipsum excalefaciunt, si ve eas subterraneus calor pro re nata uberiorles eduxerit, seu venti a vicinis partibus eas asportarint, & in aerem ipsum congegesserint. Ex dictis etiam consequitur, majores hydrargyri depressiones contingere in regionibus, quæ Polis subjacent, minores in iis, quæ a Polis magis distant, omnium minimas vero in iis, quæ Æquatori subjiuntur.

Robur addit conjecturæ nostræ tepor ille, quem aer acquirere solet, cum hyemali tempore mercurius a statione sua plurimum decedit: argumento hybernium aerem a miti etiam calore multum expandi, quod compressus admodum sit, & humentior. Non inde tamen credendum est, majores semper mercurii depressiones haberi hyeme, quam æstate, majoresque semper in regionibus polaribus, quam in meridionalibus. Nam exhalationes æstivo tempore, & in regionibus meridionalibus è terra prodeuntes, non minorem perpetuo rationem habent ad exhalationes, quæ per hyemem, & in polaribus regionibus educuntur, quam habeat reciproce densitas, & humiditas hyberni, polarisque aeris, ad æstivum, & meridionalem.

Hoc loco prætereundum non videtur, conferre plurimum ad idem phænomenon mercurium ipsum, qui cum compressior, & gravior in specie a frigore reddatur, etsi æquali atmosphæræ pondere diversis anni temporibus, locisque premeretur; tamen per hydrostaticas leges humiliolem stationem haberet in barometro hyemali tempore, quam æstivo, humiliolem item in polaribus regionibus, quam in meridionalibus.

Ex dictis etiam difficile non erit causam reddere, (Phæn. 5.) ob quam crebriores barometri motiones habeantur hyeme, quam æstate. Cum enim hoc anni tempore aer non nihil pressior sit, & humidior, sulphurei illi, calentesque halitus, qui pro re nata a terra emittuntur, eundem aerem ad dilatationem suscipiendam aptiorem inveniunt. Hinc forte etiam est, (Phæn. 6.) cur motiones barometri in diffitis ab invicem regionibus eodem ferme tempore contingant, cum præsertim magnæ, & subitæ sunt. Nam cum aer magnas aliquo in loco ponderis mutationes subit, eas oportet per vastissimos coeli tra-

tractus, ex fluidorum lege, partibus aliis, aliisque communicari. Neque vero mirandum est, easdem motiones barometri in distitis terræ partibus eodem tempore accidere, five iidem spirent venti, five diversi, five etiam oppositi, quemadmodum Luteriæ Parisiorum, & Genuæ per triennium contingisse, notavit prælaudatus Maraldi. Nam ablatum atmosphæræ æquilibrium plus habet momenti ad ventos creandos, quam venti ipsi ad auferendum atmosphæræ æquilibrium; hi enim ad eam atmosphæræ partem, quæ levior deprehenditur, ab omnibus indiscriminatim partibus transferuntur, in quibus gravior reperitur.

8. Pronum etiam est intelligere, quare (Phæn. 8.) in iis locis, quæ supra maris superficiem magis attolluntur, minores barometri motiones habeantur, quam in iis, quæ humiliora sunt. Aer enim quo sublimior, minus etiam compressus, minore ei superincumbente onere, reperitur. Præterea quo magis expansus, eo etiam levior in specie est; iccirco minus idoneus ad aqueos vapores, cæterosque terræ halitus, diu sustinendos. Quoniam vero aer, qui minus compressus, minusque humore, cæterisque heterogeneis partibus inficitur, minus etiam ab eodem gradu caloris dilatatur, consequitur, sublimiorem aerem minores ponderis mutationes subire, nec efficere posse, ut hydrargyrus in barometro plurimum attollatur, aut de statione sua plurimum decedat.

Cæterum eas barometrum anomalias pati solet, (Phæn. 9.) quæ non semel omnium eorum spem fallunt, qui ab ejus motionibus certas ventorum adspirationes, certasque aeris mutationes prænuntiant. Aliquando enim caliginoso, & imbrifero cœlo, aut ventis ab austro spirantibus, mercurius adscendit: aliquando perspicuo aere, aut serenitate induente, flantibusque ventis borealibus deprimitur: sæpe insignes ejus motiones cernuntur, nulla facta in inferiore aere mutatione sensibili, tum in sui temperie, tum in motu; demum in quibusdam regionibus ad borealium ventorum afflatum deprimi, australium contra attolli, ut plurimum solet. Horum etiam omnium probabiles rationes adduci possunt ex dictis. Jam illud imprimis constat, altioris, humiliorisque aeris alterationes uno eodemque tempore inter se sæpe contrarias esse: illic fervet, & expanditur, hic friget, & in anustum cogitur, prout nigrum variis, dissimilesque halitus è terra

erumpentes, in hoc, vel illo loco coeunt, & caloris, frigorisve effectum in diversis altitudinibus pariunt. Rursus nihil ventorum natura inconstantius. Qui ab una eademque plaga spirant, ejusdem indolis ubique locorum non sunt. Quibusdam in locis auster frigidus, boreas calidus, ac fervens. In orientali enim Indiæ littore, quod Coromandelium vocant, septentrionalem ventum urentissimum notat Varenius. Alysin locis boreas humidus, auster siccus, ac serenus ut in Ægypto præsertim, & Peruvia, eodem teste dominantur. Quemadmodum autem in diversis terræ partibus varia ejusdem venti temperies est, pro maris, ac montium distantia, ac situ; ita in uno, eodemque loco temperiem mutat, pro halituum diversitate, qui e locis, prope quæ sævit, erumpunt. Huc etiam illud accedit, quod sæpe idem ventus repulsus reflat. Præterea frequentiores venti in altiore aeris parte, quam in inferiore, quod nulla ibi montium impedimenta obiciuntur: fere semper inferiores contrarii superioribus, ut Halejus cum Torricellio notavit: non raro oppositi venti aerem in aliquo loco quasi concludunt, qui superne diffunditur, vi contra incumbentem facta, nullo prope telluris superficiem vento excitato. Aer demum in eo loco, in quo densior, & gravior est, minorem ventum creare solet, quam ubi expansus, & attenuatus reperitur. Non secus enim aeri contingit, quam amni, qui perruptis aggeribus in subjectos agros effunditur. Nusquam enim majori cum impetu dilabitur, quam ubi aggerum jam stratorum impedimentum nullum est; ibi enim aquarum pondus minorem resistentiam offendit; in aliis locis præcedens aqua sequentem moratur. Ex his omnibus, aliisque permultis non solum manifesta esse potest ratio anomaliarum omnium, quas superius attulimus, verum etiam innotescere, quam fallax sit eorum judicium, qui certas ventorum adspirationes, pluviam, serenitatisque vicissitudines, ex varia mercurii statione, certo prænuntiare non verentur.

Habui hæc de barometro, quæ dicerem. Præcipuum institutum nostrum fuit doctissimi Leibnitii mentem interpretari, quod an affectu sinus Auctoris judicium erit. Reliqua, quæ de nostro adjecimus, non alio, quam conjecturarum titulo proposuimus, judicantes, præclare nobiscum actum, si a verisimilitudine omni ex parte non abhorreant.

I N D E X.

A

Adhæſio partium corporis duplici ſenſu accepta 3. Prima quid ſit : *ibid.* 8. 13. Ejus cauſæ 7. Secunda quid ſit 3. 13. Secunda neceſſaria ad ſuſtentandum onus 3. Hac fluida carere Galilæus oſtendit 4. Repugnat fluidorum naturæ *ibid.* 6. Repugnat legibus , & experimentis hydroſtaticis 5. Rationes eorum , qui adhæſionem ſecundo ſenſu acceptam in fluidis eſſe probant 9. 12. 15. 16. Refelluntur 10. 13. 15. 16.

Aer effluviis rerum ſere omnium componitur 33. Ejus elasticitas ſimplicius explicata , quam per laminas certa quadam figura donatas *ibid.* Quæ aeris affectiones ſupponuntur , ut barometri phænomena explicentur 24. Caliginofus , & nimboſus aer non ſemper aqueis particulis magis reſertus , quam perſpicuus , & ad ſenſum ſiccus 25. Per fluiditatis leges in ſuprema ſui parte æqualem a telluris centro diſtanciam ſervat 30. 31. Cauſæ aerem dilatantes 31. Denſitas hyberni aeris a ſole tantum calefacti majorem rationem habet ad denſitatem aeris æſtivi , quam reciproce halitus æſtivi ad hybernos *ibid.* Preſſio aeris ejus elasticitatem auget . 32. Humor ejus elasticitatem auget *ibid.* quare 33. Si ſint duæ aeris moles inæqualiter præſſæ , & inæqualiter calentes , magis præſſa , & minus calens , majorem vim elasticam acquirit , quam minus præſſa , & magis calens : ſi illius preſſio majorem habet rationem ad hujus preſſionem , quam reciproce hujus calor ad calorem illius 31. Idem dicendum de aere magis humido , ſi cum minus humido conferatur 33. Aer expansus a proximo denſiore , & graviore ſurſum pellitur 34. Infima aeris pars preſſior eſt hyeme , quam æſtate *ibid.* Itidem humidior *ibid.* Polaris item preſſior , & humidior meridionali 34. In ſuprema ſui parte ab Æquatore ad Poles , in inferiore a Polis ad Æquatorem deſluit 34.

Aetheris vis maxima , tum ad penetrandum , tum ad movendum 8 .

Aqua cum craſſiore aere miſceri repugnat 7. a tenuiori aere expurgata cur altius adſcendat in tubis *ibid.* Aqua dulcis altius in eodem tubulo adſcendit , quam ſalita 17. magis adſcendit in eodem tubulo , quam cæteri liquores 16. quare 17. Aqua ſalita gravior ſimul , & tenuior dulci 6. 22. Aqueæ guttæ majores guttulis olei ab eodem corpore pendentibus 17. quare *ibid.* Eadem

aque quantitas aerem perſpicuum , & opacum reddere poteſt 25. Idem madefacere , & exiccare corpora poteſt 26. Ubi unum cum aere corpus componit , aerem gravio-rem reddit 27. Ubi ab aeris miſtione ſeparata depluit , tantam aeris gravitatem conciliat , quantum conciliaret volumen aeris guttulæ aqueæ æquale *ibid.* Aqua ſive gelu conſtricta , ſive fluxa , ac fervens , ejuſdem abſoluti ponderis *ibid.* Aquæ quantitas per annum depluens 30. Aquæ deſcenſus per aerem inter cauſas deſcenſus mercurii in barometro inſimum locum tenet *ibid.*

Archimedis principio Leibinitii experimentum oſtenditur 29.

Atmoſphæra ſphæroidis figuram habet 34.

Auſtraliū ventorum afflatu mercurius in barometro deprimitur 24. ratio 30. 35. Pluviarum ſunt cauſæ 36. Auſtrales venti ſicci in Ægipto , & Peruvia 37.

B

Barometri inventor 1. Barometrii motionum obſervatores 23. Ejus Phænomena *ibid.* Explicantur nonnulla hypotheſi Leibinitii 30. Difficiliora aliis principiis *ibi.* 35. & ſequen. Ea explicantes quid in aere ſupponamus 24. Barometri mercurium attolli , decidente pluvia , judicavit Borellus 28.

Bernardini Ramazzini Ephemerides barometricæ 2. Conjecturas tantum de motionibus barometri exhibuit *ibid.* Borelli errorem detexit *ibid.* Leibintii hypotheſim impetravit 23.

Borealiū ventorum afflatu mercurius in barometro attollitur 24. Ratio 35. Non ſemper *ibid.* Cur ſuperne deorſum ſpirent ? *ibid.* Aerem gravio-rem non reddunt , quia ſuperne deorſum ſpirant 36. Cur ſerenitatis ſint cauſæ ? *ibid.* Ubi calidi ſunt 37. Ubi ſicci *ibid.*

Borellus quomodo adſcenſum liquorum ſupra libellam in tubulis explicet 15. Ejus error 28.

Bullæ liquorum eorum adhæſionem ſecundo modo acceptam non probant 13.

C

Coelo ſudo , & ſereno mercurius altior in barometro , quam nubibus obduſto , & pluvioſo 24.

Carrè quomodo adſcenſum liquorum ſupra libellam in tubulis explicet 15.

Cartefius in quo fluidorum eſſentiam poſuerit 4. Cartefii error 27.

Cauſæ exhalationes educentes 26. Cauſæ aerem

rem rarefacientes *ibid.*

Cerea membrana in guttarum superficie quomodo moveatur 14.

Columna fluidi reflexa, quam Schelhamerus commentus est, refutatur 20. Columna recta, & incumbens refutatur *ibid.*

Corpora immersa in fluido crassiore facilius non attolli, quam in tenuiore 21. Hac propositione Schelhamerus hydrostatices principium tollit *ibid.*

D

DE La Hire observationes circa quantitatem aquæ per annum decidentis 30.

Descendens grave per fluidum minorem in fluidum ipsum pressionem facit, quam sit tota ejus gravitas 27. 28. Quam pressionem faciat in proxima fluidi strata 29. quam faciat in strata ab eo valde remota *ibid.*

Durities, & consistentia corporum, nec per gluten, nec per partium complicationem explicari potest ex R. P. Malebranchio. 6.

E

Elasticitatem aeris humor augeat. 32.

Evangelista Torricellius barometri inventor. 1. Ventorum theoriam omnium optime explicavit. 9.

Ex solo aquæ descensu per aerem mercuriam in barometro deprimi 30. Ex eo tamen depressio mercurii minima *ibid.*

F

Filamenta, ac funes, in quos quidem liquores inter cadendum se componunt, eorum adhæSIONem secundo sensu acceptam non probant. 13. Eorundem funium continuandarum causa. *ibid.*

Fluidum quid 4. Intestino motu movetur. *ibid.* Quare? 8. Duæ affectiones, per quas fluida lenta, & viscosa vocantur 6. Fluida textura, magnitudine, & figura partium differunt. 7. Crassiora cum tenuioribus miscentur, & iis innatant. *ibid.*

Fluida quædam cum aliis misceri repugnant 7. Ad eandem omnia altitudinem non attolluntur. *ibid.* Uniuscujusque fluidi partes inferiores a superioribus premuntur. *ibid.*

Fluidorum adscensus supra libellam in tubulis adhæSIONem eorundem secundo sensu accipiam non probant. 15. Quorundam adscensus minor, quam aliorum eandem adhæSIONem non probat. *ibid.* In fluidis gluten, sanguinem, filamenta quibus ipsorum partes nectantur, admittenda non esse 14. 18.

Fluidum corpus quocunque lentore affectum nullum incumbens aeris onus arcere potest a corporibus. 3. 16.

G

GAlilæus qua adhæSIONe fluida carere voluerit 4. Scriptores fere omnes ab eo dissentiunt. *ibid.*

Geminianus Montanari aquam salitam minus viscosam dulci notavit. 6.

Gobart Laurentius ut per aeris elasticitatem motus barometri explicet. 24.

Grave ubi per fluidum descendit, quantum fluidum ipsum premit. 27. 28. 29.

Guttæ fluidorum eorum adhæSIONem secundo sensu acceptam non probant. 14. Duplex opinio circa adhæSIONem partium guttas componentium. *ibid.* Refellitur. *ibid.* In ipsa guttarum superficie hydrostaticæ leges, non secus, ac in ipsarum substantia, servantur. 15.

H

Haley æthiologia Venorum 34.

Humor aeris elasticitatem augeat. 31. Ratio. 33.

Hugenius Cattefium erroris redarguit circa fluidorum gravitatem. 27.

Hydrostaticis legibus repugnat fluidorum adhæSIONe secundo modo accepta. 4. 5.

Hydrostatici specificas corporum gravitates non cognoscerent, si fluida adhæSIONem partium secundo modo acceptam haberent. 6.

Hydrostaticæ leges perinde in omnibus guttæ partibus servantur, ac in aqua in vase contenta. 15.

Hydrostatica Schelhameri. 19. Refutatur. *ibid.*

I

IMbres quo sensu dicantur fieri ex transmutatione aeris in aquam. 26.

Intestinus fluidorum motus nihil de ipsorum gravitate detrahit. 27.

Joann. Schimidy discursus de natura, usu, & recta tractatione barometri 36.

Isaac. Nevvton quam figuram telluri tribuat. 34. Pressionem in fluidis non propagari per lineas rectas ostendit. 29.

L

LEibnitii hypothesis quæ barometri phænomena explicet 26. Tribus propositionibus innititur. *ibid.* Ejus experimentum. 27. Ratio experimenti quam ipse adducit. 28. demonstratur. *ibid.*

Lentor fluidorum quid sit. 8. Signa. 6. Lentor, & viscositas fluidorum non eandem inter se rationem servant, ac eorum specificæ gravitates. *ibid.* Viscositatem, & lentorem Scriptores plerique ab adhæSIONe secundo modo accepta non distinguunt. 5. Has affectiones fluidorum explicantes, quid commenti sint. 6. Quomodo explicari possint. 8.

Loca , in quibus nunquam, aut raro pluit. 26.

M

Mercurius a crassiori aere expurgatus cur altius adscendat in tubis. 7. Pars nulla mercurii in barometro comparari potest cum corpore in fluido consistente. 21. Mercurius fit in specie gravior hyeme, quam æstate. In Polaribus Regionibus altior, quam in Meridionalibus. 24. Ratio. 35. Cur non multo altior. *ibid.* Hyeme maximæ ejus depressiones contingunt, majores etiam in Polaribus regionibus, quam Meridionalibus. 24. Ratio. 36. Crebriores ejus motiones hyeme, quam æstate, 24. Ratio. 36. Eadem die in distictis terræ partibus easdem motiones subit. 24. Ratio. 37. Cum in duobus distictis locis simul deprimitur, humilior est in eo, in quo imbres cadunt. 24. Ratio. 30. Minores motiones eidem contigunt in locis, quæ a maris superficie magis attoluntur. 24. Ratio. 37. Multas anomalias patitur. 24. Ratio. 37.

Metallorum lamellæ fluidis supernatantes, fluidorum adhæSIONem secundo sensu acceptam non probant. 13. Metalla liquoribus, in quibus soluta sunt, modo perspicuitatem conservant, modo auferunt. 25.

Motus intestinus fluidorum nihil de ipsorum gravitate detrahit. 27.

N

Nubes ex coactis humoris partibus gignuntur. 25.

O

Olei guttæ minores sunt guttis aqueis ab eodem corpore pondentibus. 17. Ratio. *ib.*

Oleum altius in eodem tubo supra libellam attollitur, quam spiritus vini. 17. Ratio. *ibid.* Attollitur minus quam aqua. 16. Ratio. 17.

Olea pleraque lentiora sunt aqua, simul tamen leviora. 6. 22.

P

Petrus Gassendus a subterraneo calore plura effluvia e tellure eduxi, quam a sole ostendit. 31.

Principia hydrostatica Schelhameri. 3. 19. 20. 21. Primum, & quartum secum pugnant. 21.

R

Rationes, quæ ostendunt non minorem semper aquæ copiam in perspicuo, quam in caliginoso aere inesse. 26.

Rationes, quæ ostendunt intestinum motum

fluidorum nihil de ipsorum gravitate detrahere. 27.

Ratio, qua Leibnitiussuum Tubi experimentum ostendit. 28.

Robertus Boyle perperam a Schelhamero intellectus. 20. Ejus experimentum, quo pondus fluidorum ab intestino motu non minui notavit. 27.

S

Schelhameri hypothesis circa motus barometri pars prior. 6. Ejus fundamentum. 3. Refellitur. 17. Pars altera. 19. Refutantur omnia ejus fundamenta. 20. Ejusdem hydrostaticæ propositiones. 3. 19. Prima refutatur. 20. Secunda. *ibid.* Tertia. 21. Quarta. *ibid.* Ejus propositiones absurdæ multæ in unum congestæ. 18. 20. 23. Quibus difficultatibus ipse se involvat. 21. Quid per corpus in fluido consistens intelligat. *ibid.* Hypothesin suam ipse evertit. 21.

Solidum idem nunc majore, non minore sui parte supra idem fluidum extaret, si fluida adhæSIONem secundo sensu acceptam haberent. 5.

Solida tum graviora, tum leviora in specie in eodem fluido consisterent, hac posita fluidorum adhæSIONe. 5. In quacunque mole consisterent, in quacunque ponderis differentia. 10. 11. &c.

Spiritus vini minus attollitur supra libellam in eodem tubulo, quam aqua, minus quam oleum. 17.

Subterraneus calor plus roboris habet ad educenda effluvia a tellure, quam sol. 31. Debilior non est hyeme, quam æstate. *ib.*

Sustentatio tenuissimorum corporum in fluidis gravioribus, aut levioribus in specie, adhæSIONem fluidorum secundo modo acceptam probare videtur. 9. Refellitur ob duo maxima absurda, quæ inde sequerentur. 10. Qui hac ratione adhæSIONem fluidorum probant, supponunt id, quod probandum. *ibid.*

T

Telluris figura sphæroidea. 34. Torricellius barometri inventor. 1. Vencorum theoriam omnium optime explicavit. 34.

Tenue, & crassum, quid sint. 22. Tenue corpus potest esse gravius in specie crassiore, & contra. *ibid.*

V

Ubertas locorum in quibus nunquam, aut raro pluit. 26.

BERNARDINI RAMAZZINI,

In Patavino Gymnasio Practicæ Medicinæ
Professoris Primarii

^{D E}
MORBIS ARTIFICUM DIATRIBA,
Mutinæ olim edita.

Nunc accedit

SUPPLEMENTUM EJUSDEM ARGUMENTI,
AC DISSERTATIO

^{D E}
SACRARUM VIRGINUM VALETUDINE TUENDA:

Illustrissimis, & Excellentissimis D. D.

PATAVINI GYMNASII MODERATORIBUS,
D. HIERONYMO VENERIO, Equiti & D. Marci Procuratori;
D. FRANCISCO LAUREDANO, Equiti & D. Marci Procuratori;
D. JOANNI FRANCISCO MAUROCEÑO, Equiti,

BERNARDINI RAMAZZINI. Felicitatem.



UAM laboriosi sint incusum. Sortem hanc Operi meo de Mor-
genii fœtus, & gra- bis Artificum Mutinæ tredecim ab hinc
ves curas post editio- annis edito, fuisse datam accepi, quod
nem quoque Auctori- in Germania impressum, & Teutonica
bus suis relinquunt, lingua donatum quidvi. Librum hunc
non norunt nisi qui itaque meum nunc emendatum quantum
in literis ævum tra- licuit, cum aliquo ejusdem argumenti
ducunt, ut aliquod additamento, in hac Urbe recusationi tra-
ditum Amplissimis Nominibus V. Stris sa-
crum esse volui. Feci quod munus mei
erat, mihi scilicet Practicam Medi-
cinam profertim in decorum ratus, si ad
inaniam divertere, nullum postea usum
habentia, nec habitura. Inter se nim-
rum humanæ Reipublicæ credidi parti-
culares Artificum morbos diligenti exa-
mine, a nemine adhuc præstito expende-
re, & sua remedia præscribere. Quan-
tum ad Regnorum & Civitatum ampli-
tudinem.

utile moliantur, per quod sibi & posteris
videantur vixisse, Illustrissimi & Excel-
lentissimi Moderatores; ubi enim quis in
hoc præsertim cœsariorum seculo Opus ali-
quod pro viribus ediderit, diu inter va-
ria hominum judicia suspensio animo hæ-
reat necesse est; singulare tamen rationis
Criterium, cui quis magis fidat, credat.
que Opus suum frangi fuisse habitum, esse
exillimo, nempe si illud alicubi, ac in
exteris præsertim regionibus audiat re-

itudinem conducat Artium cultura, ostendit olim Carolus Magnus Imperator, qui capto Desiderio ultimo Longobardorum Rege celebriores Artium tum liberalium, tum mechanicarum Magistros, tanquam spolia ad clariorem triumphum secum in Gallias adduxit. Celebre est dictum illud: Regna foveant artes; in quo dicto jure quis ambigat, an Regna foveant artes, an artes, Regna; utrum aque bene, amplissimum hujusce rei testimonium est Adriæ Regina Civitas; hæc enim artes, quæ divisæ alias Urbes celebres & beatas faciunt, omnes in sua suo collectas tenet,

& illarum prosperitati favoribus, & privilegiis non cessat prospicere. Sicuti autem cum primum Liber hic meus prodit, eorum temporum Moderatoribus fuit nuncupatus, ita fas erat, ut si novam in lucem auctior vellet erumpere, eam non nisi a dignitate vestra aspicaretur, Illustrissimi & Excellentissimi arcis palladiæ Custodes vigilantissimi. Hoc ergo qualemque sit quod Vobis in obsequi argumentum fisto, ea benignitate, quæ Vobis propria est, excipite ac foveate. Ita vos sospitet D. O. M. detque diu valere & plurimam, Patavii Kal. Septembris 1713.

P R Æ F A T I O.

Naturam rerum omnium parentem benignissimam sæpenumero apud male feriatos homines male audire, quod humano generi variis in rebus videatur, vel parum provide, vel non sat decenter prospexisse, & scriptum legimus, & passim audimus. Nulla tamen minus justa querimonia eadem tanquam Noverca traducitur, quam quod cuique ad vitam, alioquin ruituram, retinendam, ac sustentandam quotidiani victus necessitatem indiderit; siquidem, ab hac lege solutum humanum genus, nullâ fere legem agnosceret, & Terra hæc, in qua degimus, longe diversam faciem præ se ferret, quam quæ nunc visitur; quare ingeniosissime Persius non manum polydædalam, sed ventrem artium magistrum appellavit: Sic enim ille in Prologo:

*Quis expedit Pistraco suum chare,
Picasque docuit verba nostra conari?
Magister artis, ingenique largitor
Venter.*

Ex hac itaque necessitate, quæ vel ipsa animalia rationis expertia ingeniosa efficit, artes omnes, fluxisse, tum Mechanicas, tum Liberales, fas est asserere, bonum quidem non vulgare, sed, ut in rebus humanis fieri assolet, non sine aliqua mali mix-

tura. Fateri enim necessum est, ex quibusdam artibus non exigua mala suis Artificibus interdum proficisci, ut unde alimenta ad vitam producendam, & familiam alendam expectabant, gravissimos morbos sæpe referant, ac artem, cui se addixerant, execrantes, tandem e vivorum statione decedant. Hoc itaque, dum Medicam Praxim exercerem, sæpissime contingere animadvertens, ad conscribendum Tractatum aliquem de Morbis Artificum, quos potui industriæ nervos intendi; verum sicuti in artium mechanicarum operibus ut plurimum evenit, ut si quid ab aliquo Artifice de novo inventum prodierit, id mancum sit, & multum ruditatis præferat, mox aliorum diligentia perficiatur, ita & in re literaria idem prorsus fieri consuevit. Hanc itaque sortem meum hunc qualemcumque Tractatum de Morbis Artificum subiturum video, varias quidem ob causas, sed ob hanc quoque, quod novitatis aliquid contineat. Nemo enim, quod sciam, in hunc campum pedem immisit, unde contemplationum circa effluviorum subtilitatem, & efficaciam, seges non contemnenda colligi possit. Opus ergo imperfectum, imo incitamentum potius editurum me fateor, ut alii auxiliares ma-

nus apponant, donec omnibus numeris absolutus, ac integer Tractatus habeatur, qui in Foro Medico locum aliquem mereatur. Debetur id certe miseræ Artificum conditioni, e quorum manuariis operibus, licet interdum vilissimis, ac sordidissimis, necessariis tamen, tot humanæ Reip. commoda proficiscuntur, debetur id, inquam, ab arte omnium præclarissima: uti Hippocrates in Præceptionibus Medicinam appellavit, quæ gratis etiam curat, & pauperi opitulatur.

Quantum vero commodi ad civiliorē vitam contulerint Artes Mechanicæ, apud se quispiam reputet, ac mente recolat, quantum interfit inter *Europæos, & Americanos* aliasque barbaras gentes novi Orbis. Hinc non immerito iis, qui magnarum Civitatū, & Regnorum fundamenta posuere, summæ curæ fuisse Opifices, ex variis Scriptorum monumentis satis liquet. Collegia enim, & conventus Artificum instituerunt, veluti *Numa Pompilius*, qui, *Plutarcho* referente, summam ob id promeruit admirationem, quod Artifices secundum artificia diviserit, ut suum peculiare corpus haberent *Tibicines*, suum *Aurifices*, *Architecti*, *Tinctores*, *Sutores*, *Coriarii*, *Fabri æarii*, *Figuli*, &c. Collegium quoque *Mercurialium*: *Appio Claudio*, & *P. Servilio Coss.* institutum apud *Livium* legimus; Sic autem Mercatorum conventum appellabant, eo quod *Mercurium* mercaturæ præsidem colerent, quo pacto etiam *Plato* in libro de legibus literis prodidit, Opificum genus *Vulcano*, *Minervæ*, operosis *Diis*, esse consecratum. Quibus porro juribus, ac privilegiis hæc Artificum Collegia gauderent, tradit *Sigonius* noster de *Jure antiquo Romanorum*, & *Guidus Pancirolus* de *notitia utriusque Imperii*, admittebantur enim ad suffragia & honores, unde infert idem *Sigonius*, Artifices in *Romanorum Civium* censu fuisse descriptos. In *Pandectis* quoque & *Codicibus*, *Naviculariorum*, *Fabricantium* fit mentio, sicuti etiam apud *Cajum J. C.* in

l. 1. ff. Quod cujuscumque Universitatis nomine, vel contra eam agatur, ubi collegia ista Artificum describuntur, una cum illorum juribus, & privilegiis, ut illis ad instar *Reip.* liceret res suas agere, legatum capere, leges sibi condere, dummodo publicis legibus non adversarentur, ut tradit *Paulus* in *l. cum Senatus ff. de rebus dubiis*. *Vespasianum Imperatorem* artes non solum liberales, sed etiam illiberales, quas mechanicas vocant, valde fovisse, ac vilioribus Artificibus assiduam se exercendi, & lucri captandi occasionē præstitisse, refert *Suetonius*; adeo ut cuidam Architecto jactanti, quod parva impensa ingentem molem in *Capitolium* posset perducere, responderit, *sineret, se suam plebeculam pascere*.

Quoniam igitur non solum antiquitus, verum nostris quoque temporibus in bene constitutis Civitatibus, pro bono Artificum regimine conditæ sunt leges, æquum est pariter, ut in beneficium ac solamen eorum, quos tanti facit *Jurisprudencia*, *Ars Medica* quoque symbolum suum conferat, & peculiari studio (quod adhuc neglectum) eorum incolumitati prospiciat, ut quantum licet, innoxie Artem, cui se addixerint, exercere valeant. Ego quidem pro viribus effeci quod potui, neque indecorum credidi in viliores officinas pedem quandoque immittere, & (quando nostra hæc ætate *Medicina* ad mechanismum tota pene redacta est, & scholæ nil magis, quam automatismum crepant) artium mechanicarum secreta contemplari. Veniam tamen, penes ingenuos Professores præcipue, impetraturum me spero, dum satis perspectum est, non omnes artes in una Civitate, ac Regione exerceri, cum juxta locorum diversitatem varia, ac diversa artium genera exerceantur, ex quibus varii morbi suboriri possint. Ex Artificum tabernis igitur (quæ in hac re gymnasia sunt, ubi quis eruditior evadat) eruere conatus sum, quidquid curiosorum palato possit magis sapere, & quod præcipuum est, cautiones Medicas pro morborum, quibus

BERNARDINI RAMAZZINI.

Artifices tentari solent, tum curatione, tum præservatione suggerere. *Medicus* itaque in suo ad infirmum aliquem e plebe curandum ingressu, non tam subito, ut evenit, manum pulsui apponat, sicuti ut plurimum, neglecta cubantis conditione, fieri affolet, neque stans deliberet, quid agendū, de humano corio tam facile ludendo, sed paululum tanquam Judex digne- tur confidere, si non super auratam fellam, uti apud Magnates, mos est, saltem super scamnum tripes, aut abacum, hilarique vultu percunctari ægrum, ac ea disquirere, quæ cum artis præcepta, tum pietatis officia exposcunt. Multa sunt, quæ *Medicus* ad ægrotum accedens, ab ægro ipso, seu assidentibus, sciscitari debet ex *Divini Præceptoris* oraculo. Cum ad ægrotum de- veneris, interrogare oportet, quæ patia- tur, & ex qua causa, & quot jam diebus, & an venter secedat, & quo victu utatur,

verba sunt *Hippocratis* in libro de Affe- ctionibus; liceat quoque interrogationem hanc adicere, & quam *Artem exerceat*. Quamvis autem hæc interrogatio ad cau- sas occasionales referri possit, illius tamen speciatim meminisse, ubi plebejus aliquis curandus habeatur, peropportunum, imo necessarium existimo, quod tamen in pra- xi perraro observari video, vel si curanti *Medico* aliunde constet, parū adverti, cum tamen ad feliciorē curationem non leve momentum præstet hujusmodi animadver- sio. Hunc igitur Tractatum meum in Reip. bonum, aut saltem in Artificum so- lamen, licet minus artificiose conscri- ptum, humaniter excipe, amice Lector, ac si lubet,

*Da veniam scriptis, quorum non glo-
ria nobis.*

Causa, sed utilitas, officiumque fuit.



MORBIS ARTIFICUM.

*De Morbis, quibus obnoxii sunt Metal-
lorum Fossore,.*

C A P U T P R I M U M.



Aria, & multiplex
morborum seges,
quam non raro Ar-
tifices quidam extre-
ma sui perniciē ex iis
artibus, quas exer-
cent, pro lucro re-
ferunt, ex duabus

De malis equidem, quæ animos ac bonos
mores corrumpunt, *Poeta* locutum esse,
procul dubio censendum est, atque homi-
num avaritiam, vel insaniam exprobrare
voluisse, qui in apertam lucem ea eruere
tentarint, quæ nos bona existimamus, imo,
ut eleganter *Plinius*, *bonorum oranium pre-
tium fecimus*, quamvis tot malorum fons,
& origo sint; non abs re tamen ad ea ma-
la quæ corpora infestant *Poeta* verba tra-
duci possunt. Morbi autem quibus obnoxii
sunt metallorum Fossore, alique id ge-
nus Artifices, sunt ut plurimum Dyspnœa,
Phthisis, Apoplexia, Paralysis, Cache-
xia, pedum tumores, dentium casus, gin-
givarum ulcera, artuum dolores, ac tre-
mores. Pulmones itaque, & cerebrum in
hujusmodi Artificibus male plectuntur,
magis tamen Pulmones, hi etenim simul
cum aere minerales spiritus hauriunt, &
primi noxam perferunt, mox iidem ha-
litus intra vitæ hospitia admissi, & cruori
permixti, cerebri, & nervosi laticis natu-
ralem temperiem pervertunt, & inficiunt,
unde tremores, stupores, & superius re-
censiti affectus. Hinc eorum, qui in fodi-
nis mineralia effodiunt, maxima solet esse
strages; *Fœminæ* propterea, quæ id genus
hominibus nubunt, sæpius nubunt, nam
referente *Agricola* apud Fodinas *Carpati
Montis* observatæ sunt Mulieres, quæ se-
ptem viris nupserint. De Metallorum
Fossoribus sic *Lucretius*:

itum est in viscera terræ;

*Quasque recondiderat, stygiisque ad-
moverat umbris,*

*Effodiuntur opes, irritamenta ma-
lorum.*

*Nonne vides, audisve perire in tempe-
re parvo,*

*Quam soleant, & quam viri
copia desit?*

Metallorum itaque fossio olim, ac etiamnum iis in locis, ubi fodinæ sunt, poenæ genus esse consuevit; fontes enim, ac graviorum criminum rei damnantur ad metalla, sicuti antiquitus Christianæ Religionis Sæctatores ad metalla damnari consueverant, ut apud Gallonium de Martyrū cruciatibus videre est. Exstat elegans Ep. D. Cypriani ad complures Episcopos, & Diaconos, quos Imperatorum barbaries, Metallorum fossioni addixerat, in qua eosdem hortatur, ut iis in fodinis, e quibus aurum, & argentum eruerent, se verum Christi aurum probarent. Visitur quoque apud Pignorium, in libro de Servis, imago Fossoris ex veteri icuncula, ex qua apparet, quam infelix esset illorum conditio; capite enim erant semirasi (quo signo olim Servi a fugitivis, qui erant omnino rasi, inter noscebantur) quod cucullo sagato operiebant. Neque forsan nostris temporibus cultu speciosiores in fodinis Fossores esse crediderim, quando, licet etiam vestibis bene muniti sint, & idoneo victu nutriti, ob loci squallorem, & lueis carentiam, non nisi ex Orci familia in purum æra emergunt. Quamcumque igitur minerali materiam effodiant, gravissimos morbos accersunt, qui medelam omnem persæpe eludunt, si quis etiam aliquid rite præscribat; quamvis in ambiguo esse videatur, num pietatis officium credi possit, medicam opem id genus hominibus administrare, & *producere illis vitam ad miseriam*.

Verū quia Principibus, & Mercatoribus ex metallorum fodinis magni proventus persæpe accedunt, ac ad omnes fere artes pernecessarius est metallorum usus, propterea pro horum Artificum conservacione, illorum morbi examinandi, & cautiones ac remedia proponenda, quod itidem in more fuit apud antiquos, sicuti etiam nostris temporibus *Metallographi* de

Fossorum morbis, ac illorum regimine, nec non de remediis satis diserte tractarunt, ut 1. *Geor. Agricola* (a), 2. *Bernardus Cassius Mutinensis* S.J. in sua Mineralogia (b), ubi multa scita digna exstant de damnatiss ad metalla, & de prophylaxi, ac diæta Metallurgorum, 3. *Atbanasius Kircherus* in Mundo subterraneo (c), 4. *P. Lana* in Magisterio Artis, & Naturæ (d), D. Ramlovius, qui Germanico Idiomate tractatum scripsit de Paralyfi, ac tremore Metallurgorum. Miserrimæ igitur conditioni id genus Artificum ex Medicæ artis penu præsidium aliquod, vel solamen depromendum; & quando innumera pene sunt fossilium genera, quodcumque suas peculias res noxas infert, aliquo examine modum, quo Fossorum corpora inficiantur, pervestigare, ac probatiora, & promptiora remedia recensere oportebit.

Fodinarum itaque, aliæ humidæ sunt, in quarum fundo aqua restitat, aliæ siccæ: in quibus interdum ignis ministerio opus est, ad dirumpenda saxa. In humidis fodinis, quæ aquam stagnantem continent, Fossorum crura vitiantur, sicuti ob crassos, & virosos halitus, qui ab illis exspirant, ac tunc magis cum decisa saxorum fragmina in aquam decidunt, & camarinam illam movent, ut dici solet, intercepto anhelitu, Operarii præcipites cadunt, sive semianimes emergunt. Ipse quoque ignis, qui cæteroquin venenorum domitor est, ubi illo opus sit, ad saxa emollienda, pestiferos halitus ex minerali materia elicit, ac in motum ciet, quare miseri Fossores omnia elementa sibi experiuntur infesta.

Nulla vero truculentior pestis, Fossores ad extremam perniciem deducit, quam quæ e *Mercurii* fodinis erumpit; Fossores enim in mercurialibus mineris vix tertium annum attingere, ait *Falloppius* in Trac. de Metallis, & Fossilibus; quatuor men-

(a) L. 6. de re metallica.

(c) T. 2. l. 10. Sc. 2. c. 2.

(b) L. p. Se. 5.

(d) T. 3. de morb. Sympat.

mensium autem spatio in artuum tremores incidere, paralyticos, ac vertiginosos fieri testatur *Etmüllerus* in sua Mineralogia C. de *Mercurio*, idque ob mercuriales spiritus, nervis maxime infensos. Ex actis *Philosophicis Soc. Regiæ Anglicanæ* (a), in Epistola Venetiis ad Soc. Regiam missa habetur, in fodinis quibusdam Mercurii in Foro Julii, non posse quempiam Operariorum inibi operari ultra sex horas; ibidem refertur casus cujusdam, qui per semestrem spatium iisdem fodinis addictus, adeo *mercurio* fuerat impregnatus, ut si ori suo æris frustum apponeret, aut digitis tractaret, illud album efficeret. Eosdem quoque Asthmate corripit advertit *L. Tozzius* Part. 2. suæ Praxis cap. de Asthmate; casum quoque dentium pati solent, quare argenti vivi excoctores, ne fumum ore excipiant, vento flanti terga obvertere pro more habent.

Asthmatis speciem quandam describit *Helmontius* in Tractatu de Asthmate, ac Tussi, quam inter Asthma siccum, & humidum reponit, qua corripit ait Fossiles metallicos, Separatores, Monetarios, aliosque id genus Opifices, ob Gas Metallicum una cum aere inspiratum, vi cujus vasa Pneumonica obferentur. De Asthmate montano mentionem habet (b) *Wvedelius* in Pathologia Medica Dogmatica, ubi tradit huic affectui obnoxios esse Metallurgos, de quo Asthmatis genere ait *Stockusius* integrum Tractatum edidisse, ubi mali causam in Saturni mercurium refert, *Mercurius* etenim plurimus Saturno inest, illique gravitatem impertit. Quomodo autem Asthma hoc montanum, monstrum tam truculentum, inferant fummi isti metallici, exponit idem (c) Auctor, putat enim id fieri per bronchiorum exsiccationem, nec non & ob fuligines constipantes. *Sennertus* in l. de Consensu, & Dissensu Chymicorum cum Galenicis (d)

refert, sibi a Medico penes metallicas foudinas Mysniæ Medicinam facienti traditum, in demortuis Fossorum corporibus, reperta fuisse ipsa metalla, in quibus effodiendis vivi laborassent. Sic pereleganter *Statius* (e) Maximum Junium invitans tunc degentem apud *Dalmatiam* montes, gentem hanc Acheronticam describit, quæ ex iis fodinis rediret, *Dite viso*, ut ille ait, *erutoque concolor auro*.

Si ergo color similis efflorescit humoribus, nisi intro refluxerint, uti docet *Gal.* in primo Aph. Com. 2. & in omnibus pene affectibus observatur, nil mirum, si colorem in cute Fossiles referant, qualis est metalli color, quo massa sanguinea infecta fuerit. Idem forsan in Fossorum pulmonibus contingere censendum est, ac in fornacibus, in quibus, dum excoquantur metalla, ex fuliginibus in altum adscendentibus, generantur *Pompholyx*, *Cadmia*, & alia metallica concreta.

In *Chalcantbi* fodinis gravi quoque respirandi difficultate vexari solent Fossiles. *Galenus* de Simplic. Medic. facul. cum esset in *Cypro*, specum describit (f), e qua ab Operariis exportabatur aqua ad *Chalcanthum* conficiendum; aitque se in specum illam ad stadium fere descendisse, & aquæ viridis guttas, in lacum stillantes observasse, nec non odorem suffocantem, ac toleratu difficilem persensisse, subditque Operarios nudos summa cum festinatione vidisse aquam exportantes, & celeriter recurrentes; nihil autem pulmonibus magis hostile est, quam acidum quodcumque, quo maxime abundat *Vitriolum*. Rident profecto apud nostros Clinicorum non pauci, si quem alium Professore rerum naturalium scrutatorem viderent loca subterranea cum periculo subeuntem, ad secretiores Naturæ recessus pervestigandos; quali risu notaeum me scio, dum scaturigines, unde prodeunt

(a) L. p. Mens. April. 1665.

(b) Sec. 2. cap. 9.

(c) Sec. 3. cap. 5.

(d) Cap. 9.

(e) L. 4. Syl.

(f) Lib. 9.

deunt *Mutineses Fontes*, periculo tentamine scrutarer, nec non dum in Puteos Petrolei nostri in montana regione positos descenderem; at a *Galeno* discant, qui longas peregrinationes suscepit, & additiora Naturæ arcana curiose peruestigavit, ut medicamentorum vires exacte ealleret; verum e diverticulis in viam.

Præter corporis partes internas, externæ quoque graves noxas perferunt, ut manus, crura, oculi, & fauces. In *fodinis Mysniæ*, ubi *Pompholyx* nigra reperitur, manus, & crura usque ad ossa abradi refert *Agricola*, ubi ait, *clavos casarum, quæ illis fodinis propiores sunt, ligneos esse*, cum ab eadem pompholyge, ferrum quoque absumi observatum fuerit.

Sunt in fodinis multo etiam graviora mala, animata scilicet pestes, quæ mileros Fossore infestant, & ad extremam perniciem deducunt, nimirum parva quædam animalia, Araneorum speciem referentia; *Agricola* ex *Solino* lucifugas appellat. Hæc animalcula in argentariis fodinis præsertim degunt, quibus dum Fossore non advertentes insident, punguntur, & male habent. *Dæmunculi* præterea, & spectra quædam Operarios terrent, & infestant, quod genus *Dæmonum* nonnisi precibus, jejuniis fugari tradit (a) *Agricola*, hac de re videatur *Kircherus* in suo *Mundo Subterraneo*. A perito *Metallurgo Hannoverensi*, qui nunc in Montana regione *Mutinensis* agri, jussu Serenissimi Nostri, metallicas venas scrutatur, accepi, fabulosum non esse, ut putabam, id quod de hujusmodi *Dæmunculis* in *fodinis* stabulantibus tradunt. In *Fodinis* enim *Hannoverensibus*, quæ in Germania satis sunt celebres, mihi terro asservit, frequentes esse Fossorum casus, qui fateantur, se a *Dæmonibus* (quos *Knauff* *Kriegen* vocant) fuisse percussos, ac per sæpe duorum vel trium dierum spa-

tio eos mori, quos si evaserint salutem restitui. Horum *Dæmonum* subterraneorum fit quoque mentio in *Actis Philosophicis Soc. Reg. Anglicana* (b). Ab eodem quoque mihi narratum, in *fodinis Gossariensibus*, ubi *Vitrioli* minera sub pulveris forma eruitur, Operarios nudos opus suum exercere. Nam si vestibulis oblecti per integrum diem moram ibi traherent, eis egressis indumenta in pulverem tota solverentur, quam ob causam forsitan, qui *Galeni* ævo in *Cypri* *fodinis Chalcanthi* aquam exportabant, nudi operabantur.

Cum tot inexplicabiles mineralium mixturæ in terræ visceribus existent conclusæ (licet etiam metallorum, & fossilium, quæ habemus, natura, ac indoles, ex Chymicorum industria videatur satis perspecta) impossibile fere est statuere, quæ, & quales specificæ noxæ in his, vel illis fodinis contineantur, & quomodo unam potius, quam aliam partem afficiant; propterea simpliciter dicendum, aerem illum conclusum, & per os haustum pro respirationis usu, particulis pulmone, cerebro, & spiritibus maxime insensibilibus, saturatum, statim in massam sanguineam, ac spiritus inducere, unde præsto sit malorum c. hors.

Eorum igitur, qui *fodinis* præfecti sunt, nec non & *Medicæ Artis Professores*, qui in id operam suam locarint, munus erit, Fossorum, quantum licebit, incolumitati prospicere, ac eniti, ut, quando causam occasionalem remove non liceat, Operarii quam minime lædantur. Cum id genus hominibus igitur, ubi ægrotent, eodem pene modo erit agendum, ac cum his, qui desperatis morbis laborant, quibus medica præsidia, & saltem quæ delinificam vim habent, non sunt deneganda; Incurabilia enim cognoscere oportet, ut quam minime lædant, ajebat *Hippocrates*. (c)

Fo

(a) L. 6. de re metall. & de subterr. (b) Tom. 2. Mens. Nov. 1669.

(c) De Arti. num. 68.

Fodinarum Præfetti ad emendandum aerem illum conclusum, & infectum, tum ob halitus, qui a minerali materia, & a fossorum corporibus exspirant, tum ob eum, quem accensa lumina effundunt, pro more habent, machinis quibusdam spiritalibus per cuniculos cum fodinis in fundo communicantes, aerem crassum & veteranum extrudere, & recentem, ac puriorem immittere. Ocreis præterea, & chirothecis fossorum crura, & manus munire solent, ne vitientur. Veteribus quoque magnæ curæ fossorum incolumitatem fuisse, satis constat, illos enim culeis amicare consueverant ex *Jul. Pollucis* (a) testimonio. Ori vesiculas laxas illigabant, ne perniciosam pulverem inspirarent, & tamen per eas spectarent, ut de minium polientibus ait *Plinius* (b). Modo in fodinis præsertim Arsenici, vitreas larvas apponunt, tutius, & elegantius remedium, ut refert *Kircherus* loco citato.

Varia remedia præscribit idem Auctor, tum pro præservatione, tum pro curatione, quæ a perito metallico accepisse ait; valde celebrat liquorem paratum ex oleo Tartari, Laudano, & oleo ex Colchotare, ex quibus per distillationem liquor elicitur, quem ad gr.iii. vult exhibendū; ad præservationem pariter jura pingua, & vinum generosum laudat; pro infectis autem Balsamum Urticæ, Magnetis celebrat, suadet quoque, ut alimenta sale nitri condiantur, & sale ab alumine extracto. *Juncken* in Chymia sua experimentalis, ad vapores metallicos perdomandos spiritum salis dulcem commendat.

Pro faucium, & gingivarum erosione, gargarismata ex lacte egregiâ præstabunt operam, ut quæ particulas illas corrosivas inibi hærentes demulceant, ac absorbeant; hanc ob causam *Agricola* loco citato Bu-

tyrum valde conferre ait iis, qui in plumbeis fodinis operentur. Ubi vero crura, & manus vitientur, uti evenit in iis fodinis, in quibus *Pompholyx nigra* eruitur, a *Plinio* (c) commendatur pulvis lapidis Asii. Observatum enim fuisse ait, eos, quibus crura a metallis vitientur, in iis lapidicinis sanari, in quibus lapis iste reperitur. Forsan lapis iste potis erat emendare metallicam acrimoniam, propter vim particularum erodentem, cum hanc ob causam *Sarcophagus* appelletur. Lapidem hunc, qui in *Asso Troadis* nascebatur, nobis ignotum esse scribit *Cæsalpinus* de Metallicis; (d) illique alium substituit lapidem, qui in Ilva reperitur, ubi alumen fossile effoditur.

Ad affectus vero asthmaticos ex fumis metallicis ortos, peculiaris quædam remedia proponit *Etmallerus* de Aëris inspiratione læsa (e); nihil enim ait, in tali Asthmatis specie ordinariis remediis profici. Ad hunc gravem affectum igitur, commendat Mercurium dulcem, Turpethum, purgantia per inferiora, Antimonium Diaphoreticum, Bezoarticum solare, & similia.

Cum non levem noxam ex iisdem mineralium halitibus oculi persentiant, remedium pariter ex minerali Regno petendum. Ophthalmiam a fumis metallicis factam, & externis remediis nihil obsequentem per interna mineralia curavit *Horstius* (f). Collyria tamen ex aeris squamma commendantur; norant id etiam Antiqui, nam ex *Macrobio* (g) constat, eos, qui in fodinis æreis morantur, semper oculorum sanitate pollere, ob vim siccificam, ut ille ait, *quam æs possidet*, hancque ob causam æs ab *Homero*, *νέροπα χαλκόν* appellari; *Celsus* (h) quoque *Chelonis* collyrium ex squamma æris croco, & spodio paratum cæteris præfert. Nitrum quoque collyriis commisceri poterit; nam, teste *Plinio* (i)

B

Ope-

(a) l. 7. c. 32.

(d) Cap. 51.

(g) l. 7. c. ult.

(b) l. 33. H. N. c. 5.

(c) cap. 14.

(h) l. 6. c. 4.

(e) l. 36. H. N. c. 17.

(f) l. 7. Obs. 27.

(i) l. 31. H. N. c. 10.

Operarii in nitraxiis non lippiunt, quod etiam recentiorum observatione constat. Summatim aptiora & valentiora remedia ad metallicos morbos expugnandos ex mineralium familia ut plurimum petenda sunt, provido sane naturæ consilio, ut unde malum profectum est, inde quoque salus proveniat; sit malo nodo malus cuneus, ut dici solet, adhibendus.

Neque vero Fossiores tantum in fodinis a metallicis pestibus mactantur, verum etiam multi alii Artifices, qui circa fodinas operantur, graves noxas accerunt; ut *Metallurgi* omnes, qui effossam materiam versant, excoquunt, fundunt, ac repurgant. Iisdem enim morbis obnoxii sunt, quamvis non adeo graviter, cum in aere liberiori ministeria sua peragant; temporis enim progressu, ob metallicos fumos, quos hauriunt, anhelosi fiunt, lienosi, veterinosi, ac tandem in Tabidorum familiam transeunt. Paucis, sed egregie *Hippocrates* (a) *Metallurgi* effigiem nobis depingit: *Vir metallicus*, inquit ille, *hypochondrium dextrum intentum, splen magnus, & alvus intenta, subdura, spirituosus, decolor, huic in genu sinistro recidiva*. En quot mala in metallurgo illo delineavit divinus *Senex*. Mi-

(a) 4. Epid. n. 13.

rari autem hic libet, quomodo *Vallesius*; diligentissimus alioquin epidemiorum commentator, locum istum tam frigide tractarit; nullam enim animadversionem circa dictionem illam, *Vir metallicus*, sicuti neque expositorum quispiam ad hæc verba mentem apposuit; locum hunc tamen annotat *Galenus* (b), sed ibi totus est in disquirendo, quid per verbum illud, *Pneumatodes*, intellexerit *Hippocrates*, num ventris inflationem, vel spiritum densum. Profecto arbitrari licet, divinum Præceptorem unico verbo causam tot gravium affectuum indigitare voluisse. Metallurgiam enim exercentes, ut plurimum anhelosi sunt, lienosi, alvos præduras habent, ac decolores habitus præferunt. *Foesius* dictionem illam, ex *perdidas*, sic vertit: *Qui circa fodinas versabatur*. Non solum ergo fossiores, sed degentes, & operantes circa fodinas male plectuntur a metallicis exhalationibus, quæ vitales, & animales spiritus, quorum natura ætherea est, & pellucida, obfuscant, & totius corporis naturalem œconomiam pervertunt. His itaque eadem remedia, quæ superius proposita sunt, sed mitiori dosi præscribenda.

(b) 3. de Diff. Respir. cap. 12.

De Morbis Inauratorum.

CAPUT SECUNDUM.

A St, e fodinis, & vulcaniis officinis, ubi fervent, stridentque cavernis *Structuræ chalybum, & fornacibus ignis anhelat*, in civitates ipsas migremus, in quibus non desunt Artifices, quibus mineralia crucem figunt. Quas diras labe ex *mercurio* referant Aurifices, qui potissimum in deaurandis argenteis & æneis operibus occupati sunt, nemo non novit. Cum enim non nisi per amalgamationem id peragi possit, dum postea *mercurium* igne propellunt, non tam cauti esse possunt, li-

cet faciem avertant; quin virosos halitus per os excipiant, quare huiusmodi Artifices vertiginosi, asthmatici, paralytici citissime evadunt, habitusque cadaverosos contrahunt. Perpauci ex hisce Artificibus in tali opificio consenscunt, ac si non tam cito occumbant, ad tam calamitosum statum deveniunt, ut illis mors sit in votis. Iis collum, & manus tremere, dentes excidere, crura vacillare, cum *Sceletirbo*, scripsit *Juncb. n* in Chymia sua experimentalis; hoc idem testatur

tur *Fernelius* (a) de abditis rerum causis, & in libro de lue Venerea, ubi casum miserabilem aurifabri refert, qui dum argentum suppellectilem deauraret, hydrargyri vapore admissio, stupidus, surdus, ac plane mutus evasit. Haud dissimilem historiam tradit *Forestus* (b) de Aurifabro, qui ob Mercurii fumos incaute exceptos factus est paralyticus. In *actis Medicis Hassnien-sibus* elegans *Olai Borichii* observatio existat de quodam Teutone, qui vitam deaurandis lamnis degebat; hunc, dum incautius in hoc opere argenti vivi fumos hausisset, in magnam capitis vertiginem incidisse, ait, una cum gravi pectoris angustia, facie cadaverosa, asphyxia, artuum tremore, ut jam jam moriturus crederetur, quem restitutum ait, sudore variis alexipharmacis elicitio, ac praecipue decocto radicis pimpinellae, & saxifragiae: putat vir clarissimus, corpuscula fumantis mercurii minutissima nervis impacta tremorem accersisse, ac simul in massam sanguineam admissa, naturalem illius motum impedisse. Nimius essem, si historias omnes hujus generis, quae apud *Medicos* scriptores exstant, hic recensere vellem. Satis enim frequentes sunt hujusmodi casus, in magnis praesertim civitatibus, & nostra hac aetate, in qua nihil cultum, nihil satis elegans videtur, nisi autro splendescat, adeo ut in Magnatum domibus matulae, & egestoriae sellae deauratae spectentur, cariusque egeratur, quam bibatur, ut olim de quodam ludit *Martialis*.

Mihi nuper observare contigit juvenem inauratorem, qui postquam per duos menses decubisset, tandem mortuus est; hic ab exhalante *Mercurio* sibi parum cavens, cachecticum habitum primo contra-xit, postmodum facies illi facta est lurida, & cadaverosa, oculi turgidi, gravis anhelitus, mentis stupor, totius corporis torpor; huic graveolentia ulcera in ore su-

borta sunt, e quibus sanies teterrima magna in copia continuo stillabat. Hic tamen interit sine ullo febrilis caloris vestigio. Id mihi profecto non parvae admirationi fuit, cum non satis perciperem, quomodo ex tanta humorum putredine, nulla excitaretur febrilis incandescencia. Cum scriptores consulerem mirari desii; refert *Ballonius* (c), quendam luis Venereae suspectum, ac simul quartana laborantem, ex litu hydrargyri a quartana sanatum, pyralismo tamen excitato. *Fernelius* (d) pariter de lue venerea casum memorat cujusdam, cui per oculos stillabat liquatum cerebrum, & ad multos annos vixit sine febre, ac tandem mortuus est, hunc tamen prius hydrargyro inunctum fuisse ait; quomodo autem nunquam febricitavit, ipse quoque *Fernelius* se admiratum fuisse ingenue fatetur; in secundo tamen de abditis rerum causis, (e) rationem aliquam videtur afferre, cur febrilem incandescencia Mercurius ita compescat, aitque vi narcotica id agere eadem facultate, qua dolores quoscunque sopire, & sanguinis eruptiones sistere potis est, eadem prorsus bilis quoque ardorem compescere, atque exesiones retundere. An ergo quid febrifugi latet in hydrargyro? Forsan dies aliqua ex minerali regno febrifugum aliquod, non sub gritho, uti *Riverius*, sed candide ac aperte medicae arti largietur, sicuti ex vegetabilium familia famosum febrifugum *Peruvianum* habemus, & Antidysentericum remedium nuper detectum, de quo Tractatum edidit clariss. *Leibnitius*; in hac tamen re experientiam consulere non abs re foret, neque temerarium consilium esset in febribus intermittentibus purgationes mercuriales instituere, ut ex Mercurio dulci, remedio non adeo metuendo; cauto tamen opus est; Mercurius etenim equo indomito per- similis est, quoties in manus imperitas incidit, ut ait laudatus *Borichius* casum

B 2 il.

(a) Sc. 5. de Mer. l. 2. cap. 7.

(b) vol. 2. p. 196.

(c) l. 2. Epi. p. m. 131.

(d) cap. 7.

(e) cap. 14.

illustris viri referens, cui ardentissima febre laboranti duos pulvillos argento vivo plenos *Agyrta* quidam in carpo apposuit, unde febrilis calor quidem, sed una cum nativo & vitali, exstinctus est: adeo suspetta sunt beneficia, quæ ab hoste tam infido, ac versipelle proveniunt, ut de *Medicorum* mercurio apte dici possint, quæ de suo mercurio commentus est *Poetarum Princeps*.

*animas ille evocat Orco,
Pallentes alias ad tristia Tartara mit-
tit;
Dat somnos, adimitque, & lumina mor-
te resignat.*

Ut vero e via in semitam redeamus, ad corrigendas noxas ab Hydrargyri afflatu illatas, consulendi erunt scriptores, qui de venenis, & mineralibus scripsere; in universum commendantur ea, quæ vim possident spiritus, & cruoris massam in motum ciendi, sudoresque promovendi. *Mercurius* enim plerumque id habet, ut torporem inducat, veluti prænarata accidit ob fumos mercuriales per os susceptos satis testantur, & autopsia ipsa ostendit, sanguine concreto intra cordis finis reperto, ut in simia apud *Avicennam*, quæ argentum vivum biberat. Sic aquæ omnes cardiacæ spirituosæ, ipse quoque vini spiritus, erunt ex usu. Spiritus Salis Armoniaci, Theriabinthinae, Petroleum nostrum, sales volatiles, ut sal volatile cornu C. Viperarum, & alii hujus naturæ commendantur; Theriaca ob vim opii merito suspecta est. Decoctiones quoque ex plantis alexipharmacis, ut ex Card. B. Scordio, *Scorzonera*, & similibus, efficaciores sunt, quam aquæ ex iisdem destillatæ, quæ, ut scite ait *Helmontius*, plantarum sudores sunt. *Faloppius* noster, ubi de metallis, & fossilibus, auri scobem, & illius folia proponit, cum nihil sit, cui arctiori complexu promptius nubat mercurius, quam aurum. Decoctum

ex Guajaco a *Martino Lyster* in exercitatione de lue venerea, ob vim piperatam, qua Guajacum pollere ait, & quam gustu præfert, laudatur ad emendandas noxas, quas mercurii virofa exhalatio invexerit. *Poterius* (a) in Pharmacopœa Spagyrica sulphur sublimatum in vino infusum commendat, adversus mercuriales morbos, ac præcipue in iis, qui casu aliquo fumum mercurii exceperint, vel qui mercuriali unctione peruncti fuerint. Ubi vero ob humorum abundantiam, necessaria sit purgatio, multo validiora medicamenta adhibenda, quam in aliis affectibus, idque ob torporem inductum, & vim sentientem stimulis minus auscultantem. Stibia, ta utramque paginam egregie absolvunt, a phlebotomia vero, cane pejus, & angue, ut dici solet, cavendum; spiritus enim ac humoralis massa impulsore indiget, non sufflamine. Antiquis mos fuit, ut memorat *Plin.* in minii, & argenti vivi fossione, laxis vesicis faciem obligare; *Kircherus* in suo Mundo Subterraneo vitreas personas, ut superius dictum, magis ex usu esse ait ad exhalationes arcendas, ne per os irrepant. Exercitium pariter imperandum, ut corpus incalascet, & habitatio in calido conclavi prope ignem luculentum laudatur; nihil enim est quod magis aversetur mercurius, quam ignis, a cuius præsentia ut avolet, *pedibus talavria nectit*.

Admiratione autem dignum est, quomodo mercurius, qui vermium unicum remedium vulgo audit (ut ad necandos puerorum vermes, nihil illo sit efficacius, & innoxie, vel infusus in aqua, vel decoctus, atque etiam cum conserva aliqua permixtus exhibeatur) talis sit ut illius fumi & exhalationes per os & nares susceptæ, adeo perniciosæ sint, ut temporis fere momento tantum non enecent, uti passim in fabris argentariis deaurantibus videre est. An

ignis

ignis violentia, dissoluta illius compage, in tenuissimas particulas valde penetrantes redigatur, sicque per os, & nares exceptus pulmones, cor, & cerebrum pervadat? hoc enim pacto facilius spiritus animales obnubilare, ac narcosim in totam fluidorum massam in vehere poterit, ubi illius infusio, seu decoctio, atque etiam ad uncias, & libram, per os exhibitio, ut in iliaca passione, nulla ex prænarratis accidentibus inducit, cum in animalium corporibus tantam calliditatem non reperiatur, quæ satis sit ad illum dissolvendum, ac in halitus convertendum, imo integritatem suam fartam testam servet, ac ponderositate sua sibi viam ad exitum paret, obices quoscumque perrumpendo, ut antidoto fuerit Zelotypo cuidam apud *Ausonius*; cui Uxor mœcha toxicum propinavit, ac postmodum, ut necem celeraret, argentum vivum exhibuit. Ita fit, ut ignis, qui venenorum est domitor, quædam, alioquin innoxia, ad venenosam naturam deducat, seu venena magis exaltet, & acuat. Refert *Ambrosius Paresius* (a), *Clementem Septimum Pont. Max.* præeuntis venenatæ facis toxico, per fumum in corpus admissum interiisse, aitque

(a) l. 20. de Venenis cap. 7.

falsam, ac in vita male cautorum perniciem. fictamque rationem esse, putare ignem omnia perpurigare, & lustrantibus viribus consumere. Quare, num grassante peste, opportunum sit, ac publicæ incolumitatæ bene consultum, infestorum spolia ac suppellectilem exurere, an conducibilius esset isthæc cum cadaveribus alte defodere, licet mos obtinuerit, ut cuncta flammis tradantur, haud immerito videtur dubitandum. Profecto apud *Romanos* lege 12. Tabularum cavebatur, ne cadaverum ustrina intra urbem, neque prope ædes alienas fieret, ac potissima causa erat, ne aeris puritas exhalante fumo inquinaretur. Ignis itaque pro diversitate ac miscella corporum, in quæ agit, varios ac diversos effectus producit, ita ut venena modo pandat, modo concentret; exemplum satis manifestum, admiratione tamen dignum, habemus in *mercurio*, qui licet sine gravi noxa bibatur, cum salibus tamen sublimatus, corrosivam adsciscit naturam, quæ postea per additionem mercurii vi ignis mitescet, unde mercurius dulcis fit, qui rite paratus inter remedia phlegmagoga, & veneream luem extirpantia, non postremum locum obtinet.

De Jatraliptarum Morbis.

CAPUT TERTIUM.

HAud fecus nostrorum temporum Jatraliptis, seu Chirurgis unctoribus eorum, qui a lue venerea pessime habeant, neque ullo alio remedio sanari potuerint, mercurius infestus est. Inter cætera remedia, quæ ad perdomandam gallici morbi ferociam *Medicorum* solertia invenit, (ubi primum dira hæc pestis ex obsidione Neapolitana *Italiam* nostram pervasit, ac exinde tanquam fulgur *Europam* totam pervagata est) primas tenuit *Mercurius*, & continuata duorum seculorum experientia adhuc tenet. Notarant antiquiores *Medi-*

ci, nihil ad ferinam scabiem exterminandam mercurio esse valentius, quare analogismo procedentes, cum observarent, gallica lue infectos, eum habere pustulis & ulceribus defœdatam, usum mercurii feliciter experti sunt. Unctionis mercurialis primus auctor fuisse dicitur *Iacobus Berengarius*, *Carpus* a patria vulgo dictus, illorum temporum celeberrimus Chirurgus & Anatomicus, ut illius opera testantur, ex quibus, utpote rarissimis, recentiores Anatomici tot ac tanta decerpserunt, nomine illius omisso. *Fallopins* noster in

Tractatu de Morbo Gallico refert, *Jacobum Carpenssem ex sola curatione Gallici morbi cum his inunctionibus lucratum esse plus quam quinquaginta millia ducatorum aureorum, & multos quidem interfecisse, quamvis majorem partem sanaverit.* Melius profecto, quam Alchymistæ, novit Jatralipta ille vera metamorphosi mercurium in aurum transmutare, rara quidem felicitate, ac a nostris temporibus toto cælo diversa, quam ipse quoque *Sennertus* est admiratus.

Modo, qui Gallica lue infectos mercuriali unguento solent inungere, e Chirurgis vilioribus sunt, qui lucri causa in hoc negotio exercentur, præstantioribus Chirurgis tam sordidum ministerium, & periculosa alere plenum opus averfantibus. Licet autem chirotheca in hac re uti solcant, non satis tamen munire se possunt, quin mercuriales atomi corium, per quod mercurius alioquin exprimi solet ac perpurgari, pervadant, & unctoris manum pertingant; neque pariter fieri potest, quin cum ad ignem luculentum opus hoc peragi soleat, prava exhalationes per os, & nares corporis penetralia subeant, cerebro & nervis diram labem affricando. *Fab. Hildanus* (a) casum refert Mulieris, quæ cum in hypocausto marito suo affideret, dum unguento ex mercurio inungere-
tur, solo aere illo mercuriali per os suscepto, talem salivationem passa fuerit, ut ulcera in faucibus eidem supervenerint. Manus tremere iis, qui venerea lue infectos hydrargyro sæpius inunxerint, scripsit *Fernelius* (b) de lue venerea. Gravem vertiginem tenebrosam, & continuam Chirurgus unctori subortam, cum lue gallica

infectum solita unctione perunxisset, tradit *Frambesarius* (c).

Nullam in hoc negotio sanio-rem cautelam hisce unctoribus suggerere possem, quam eam, qua utitur Chirurgus nostras, qui cum suo periculo didicisset, lucrum non æquari dispendio, dum talem unctionem sibi magis adversam, quam iis, quos perungeret, expertus esset, ab alvi fluxu, torminibus, & multa salivatione male mulctatus, unctionem quidem mercurialem parat, ægrisque assistit, qui ungendi sunt, sed præcipit, ut ipsimet se ipsos propriis manibus inungant, quod sibi, & iis magis salutare esse ait, dum ipse nullum subit periculum, & ipsi ex tali motu brachiorum incalescentes, penetrantiorē addunt illinitionem, nec quicquam timere debent ab eo remedio, a quo suis cruciatibus solamen sperant. Si porro hujusmodi Aliptæ ex hydrargyrosis labem aliquam contraxerint, veluti tremorem manuum, vertiginem, alvi tormina, ut superius diximus, Guajaci decoctum pro remedio erit. Sicuti enim Mercurius venerei veneni insignis domitor est, ita noxarum, quas Mercurius invexerit, torporem, & nervorum imbecillitatem inferendo, Guajacum corrector erit, ut quod vim fundendi, nec non sudores promovendi possideat. Sic persæpe bina hæc remedia palmaria junctis viribus gallicæ luis curationem ex arte absolunt, ut Guajacum primo velitatione quadam gallicum morbum aggrediatur, & extenuet, mox Mercurius fortio-rem pugnam capeffat, postremo idem Guajacum hostem conficiat, & reliquias perfundet.

CAPUT QUARTUM.

De Chymicorum Morbis.

Quamvis artem cuncta mineralia curandi tenere se jactitent Chymici, non impune tamen ipsi quoque ab illorū vi perniciali evadunt; easdem enim per sepe noxas ac alii Artifices accersunt, qui circa mineralia exercentur, ac si verbis id pernegent, faciei colore satis fatentur. Refert *Leonardus e Capua, Theophrastum, & Helmontium*, duos celebres Chymicos gravissimas noxas e suorum medicamentorum præparatione reportasse. *Juncken (a)* in Chymia sua experimentalī de Antimonio tradit, quod dum Stibium pulverizatum fumigatur pro conficiendo vitro Antimonii, Operarii fiunt Pneumonici, & Vertiginosi. *Etmullerus (b)* ingenue fatetur, quod cum esset perfecte sanus, & Clystum Antimonii præpararet, forte fracta retorta tubulata, fumum ex sulphure & antimonio hausisse, tussique ad quatuor septimanas vexatum fuisse, cujus nullam aliam causam ipse agnovit, quam fumum illum acidum, spiritus organa asperantem. Satis curiosum est, quod sibi accidisse fatetur *Tachenius (c)* in suo Hippocrate Chymico; refert enim, quod cum Arsenicum sublimare vellet, donec in vasis fundo fixū permaneret; & post multas sublimationes vas aperuisset, suavem quandam odorem multa cum admiratione percepisse, sed post semihorulam stomachum dolentem, confractum, sensisse, cum difficultate respirandi, sanguinis mictu, colico dolore, ac omnium membrorum convulsione. Olei & lactis usu se mediocriter restitutum ait, verum per integram hyemem febre lenta hecticæ simili mulctatum fuisse, a qua decocto ex herbis vulnerariis, & esu summatum brassicæ tandem se expedivit. *Carolus Lancillottum*, Chymicum nostratem, satis celebrem, ego novi tremulum, lip-

pum, edentulum, anhelosum, putidum, ac solo visu medicamentis suis, cosmeticis præsertim, quæ venditabat, nomen, & famam detrahentem.

Abstinet tamen, quod studium hujusmodi laborem improbum existimem; utique laudandi sunt Chymici, ut qui ad rerum abstrusarum tentamen, & corporum naturalium scientiam ditandam intenti, publico bono animas suas litare non timeant; neque culpandi sunt, si in castiganda mineralium virulentia non satis cavere queant. Adstent enim necessum est, ac totum processum ad ignis examen, ac fumum carbonum observent, si medicamenta rite parata esse debeant, ac tuto exhiberi possint, minima siquidem variatio, & incuria in chymicis remediis elaborandis, illorum qualitates sic immutare posse, ut in venenorum classē transeant, ait *Renat. Cartesius*. In hanc rem *Juncken (d)* quoque in sua Præfatione ait, chymica medicamenta salva conscientia non posse a Medico exhiberi, nisi ejusdem manu fuerint parata, sive a perito Chymico illa viderit elaborari. Sicuti ergo Equisoni non imputandum, si equum ferocem ac refractarium perdomando, ab eodem aliquando dejiciatur, & calces referat; sic ridendus non est Chymicus, si interdum e suis laboratoriiis squalidus exeat ac attonitus, tanquam unus ex Or-ci familia.

Paucis ab hinc annis, lis non parva exorta est inter Negotiatorem quendam Mutinensem, qui in Oppido hujusce Dittonis, Finali dicto, laboratorium ingens habebat, in quo Sublimatum fabricabatur, ac inter Civem Finalensem. In jus vocavit Finalensis negotiatorem hunc, instando, ut officinam extra Oppidum, vel alio transferret, eo quod totam viciniam inficeret,

(a) Sc. 5. (b) T. p. de Tussi p. m. 103.

(c) Cap. 23. (d) Ep. 15.

ceret, dum vitriolum in furno operarii calcinarent pro sublimati fabrica. Ut vero accusationis suæ veritatem comprobaret, *Medici* illius Oppidi attestationem afferebat, ac insuper Parochi Necrologium, quo constaret, multo plures in illo vico, & locis laboratorio proximioribus, quam in aliis, quotannis, interiisse. Ex tabe autem, ac morbis pectoris præcipue, mori solere, qui in illa vicinia habitarent, testabatur *Medicus*, qui fumum vitrioli exhalantē maxime culpabat, & proximum aerem inquinantem, ut pulmonibus infestus, & hostilis redderetur. Negotiatoris causam suscepit D. *Bernardinus Conradus*, rei tormentariæ in *Estensi* Ditione Commissarius, *Finalensis* vero, D. *Casual*

Stabe, illius Oppidi tunc *Medicus*. Variæ propterea ultro citroque editæ sunt scripturæ satis elegantes, in quibus acriter de fumi umbra disputatum est. Negotiatori tandem favere Judices, & Vitriolum ex capite innocentiae absolutum; an juris peritus hac in re rite judicavit, naturæ consultis judicandum relinquo.

Ut ad pensum meum redeam, Chymicis injurium me crederem, si remedium aliquod, siue præservativum, siue curativum, quotiescunque ex arte sua damni plus quàm lucri referunt, proponerem, cum nullus pene sit morbus, cui sanando, a *Narthecio*, ut dici solet, Chymici promptum ac paratum non habeant remedium; quare ad alias Officinas lubet divertere.

De Figulorum Morbis.

CAPUT QUINTUM.

NEquè defunt in omnibus fere Civitatibus alii Artifices, quibus metallicæ pestes labem non parvam afficere solent, inter quos Figuli; quæ enim Civitas, quod Oppidum, in quo *Figlina*, artium antiquissima, non exerceatur? Hi ergo cum plumbo usto, & calcinato indigeant, ad vasa vitreanda, dum plumbum in vasis marmoreis molunt, lignum teres e tholo suspensum, illique in altera extremitate quadratum lapidem affixum circumagendo, seu cum vasa, antequam in fornacem indantur, liquato plumbo penicillis obliniunt; totum id, quod virulenti habet plumbum, aqua sic liquatum, ac dissolutum, ore, naribus, ac toto corpore adsumunt, sicq; graves noxas non multo post persentiunt. Nam & ipsi in manuum tremores incidunt primo, mox paralytici fiunt, lienosi, veterinosi, cachectici, edentuli, ut raro Figulum quis videat, cui non sit cadaverosa & plumbea facies. In *Actis Hassniensibus* (a)

re aperto repertus fuit pulmo dexter costis adnatus, ad ariduram ac phthisim vergens; culpabatur autem hujus malæ pulmonum constitutionis ars, quam excucierat; artem enim figulinam didicerat, quam æger ipse sibi parum salubrem expertus, jam, sed non satis tempestive, desieruerat. *P. Poterius* (b) tradit, Figulum Paralyticum factum in dextro latere cum vertebra distortis, ut collum obriguisset; hunc ait a se curatum decocto ligni sassi frass & baccis lauri; pariter (c), historiam narrat alterius Figuli, repentina morte extincti.

Hujusmodi affectibus torqueri solent, qui in figlinis operam suam locant, plumbum tractando. Admiratione dignum est quomodo plumbum (ex quo, Chymicorum solertia, tam magna salubrium remedium supellex emanat, tum pro internis, tum pro externis malis, ut Chirurgorum columna vulgo audiat) tam prava femina in sinu recondat, & per solam exhalationem exserat, dum conteritur, & aqua

(a) Vol. 2. obs. 21.

(b) Cent. 2. cap. 36.

(c) Cent. 3. cap. 40.

aqua dissolvitur, ut tam male afficiantur Figuli, qui illius opera indigent. Mirari autem desii, cum, teste experientissimo *Boyleo*, mihi innotuit, argentum vivum, temporis fere momento, plumbi fusi vapore figi, ac solidari; adeo ut, sicuti eleganter *Trusthonus* in Diatriba de respirationis usu, id quod cum Marte Vulcanum fecisse ajunt *Poetae*, idem prorsus faciat Saturnus cum Mercurio, illi compedes injiciendo. Mirum itaque non est, si Saturnus a mola lapidea ita contritus, licet frigidae naturæ, in tortores suos sic incandescat, dum Figulos, tam dira labe adspersit, in sanguinem, ac spiritus torporem invehendo, ac illorum manibus crucem figendo.

Inesse autem Saturno spiritum acidum, acerrimum, penetrantissimum, austerum testantur omnes Chymici, ac suo periculo satis norunt Depuratores auri, & argenti ob plumbi mixturam; tali enim acrimonia pollere spiritum plumbi tradunt *Collect. Chymicæ Leyden* (a) Auctores, ut si quis ore, vel naribus, dum instituitur cupellatio, vapores e plumbo exhalantes excipiat, exinde suffocari possit, ac qui parum caverint, omnium dentium casum pati soleant.

Cum instituti mei ratio ad lustrandas Artificum officinas (si rite in explorandis morborum causis occasionalibus, quibus Operarii tentari solent, pensum meum vellem absolvere) identidem me compelleret, mentem libido inceserat, ut hic loci animadversiones aliquot in figlinis a me factas recenserem circa mechanicum artificium fictilia vitreandi, quod artificium, sicuti antiquissimum est, uti ex erutis e terra ruderibus satis constat, ita pernecessarium est. Nam si modum vasa fictilia vitreandi non haberemus, nimio sumptu stannea, & cuprea vasa pro re coquinaria, & mensarum supellectile, adhibere cogeremur. Etenim non minus

admiratione, quam disquisitione dignum credidi, quomodo scilicet opera figlina prius cocta in fornacibus, mox plumbo calcinato, & cum pulvere silicum contrito liquatoque oblinita, rursusque fornacibus indita, vi ignis vitreatam crustam illam induant, qua fit, ut magno usui sint in omnibus pene rebus; nihilque magis inculcent Chymici, quam quod in spagyricis operationibus perficiendis vitreata vasa adhibeantur. Verum ab hujusmodi negotio non tam prompte expedire posse me sentio, quin multum a proposito meo digrederer, veritus propterea, ne mihi, ubi de figulari materia agitur, juste obtrudi possit Horatii illud:

Amphora cæpit

Institui, currente rota cur Urceus exit?
Consilium hoc meum seponam, cui forsitan occasione magis propria indulgebo in opere, quod meditor de *Artium Mechanica Rationali*.

Quoad hujusmodi Artificum curationem attinet, perraro talia remedia adhiberi possunt, ut integræ sanitati restitui queant. Cum enim auxiliares Medicorum manus non exposcant, nisi cum manibus, & pedibus omnino capti sunt, & viscera prædura habeant, ac simul aliud malum, summa nimirum paupertas, illos premat, ad pauperum Medicinam confugiendum erit, & ea præscribenda, quæ morbum saltem leniant, eos imprimis monendo, ut artem deserant. Purgationes mercuriales, ut ex Mercurio dulci cum electuario lenitivo ad plures dies aliquando utiliter adhibui, nec non illitiones ex petroleo nostro manibus & pedibus. Chalybeata remedia, quæ non multæ sunt impensæ, ad viscerum dūritiem emolliendam, ad longum tempus tamen adhibita, non levem præstabunt operam; sola chalybis limatura cum cinamomo in vino infusa, cæteris martialibus remediis chymice paratis, velut

C

forfan

forſan efficaciſſior, & miſeræ horum Artiſticum conditioni minus gravis, erit præferenda.

Cum in Figulorum officiis varii ſint operarii, ac alii in creta manibus ac pedibus verſanda, ſubigenda, occupati ſint; alii ſedendo ad rotam tornatilem vaſa conforment, non omnes propterea Figuli ſuperius recenſitis affectibus tentari ſolent; quod ſerio advertendum, ne ſolo Figuli nomine audito, ad remedia noxas & minerali materia contractas corrigentia confugiamus, omnes tamen, cum ſemper

terram mollem tractent, ac in locis humidis degant, ut plurimum luridi ſunt, decolores, cachectici, ac fere ſemper valetudinarii. Qui tamen ad rotam ſedentes, illam pedibus circumagendo, vaſa conſingunt, ſi alioquin oculorum imbecillitate laborent, vertiginofi ſunt, ſicuti etiam nimis pedes deſatigando, non raro Iſchiade tentari ſolent, idcirco iis remediis, quæ ad hujumodi affectus a Præticis præſcribi ſolent, ſi non ad malum proſus tollendum, ſaltem leniendum, illis erit ſuccurrendum.

De Stannariorum Morbis.

CAPUT SEXTUM.

Stannum, quod *Plinius* plumbum album vocat, Chymici vero *Jovem*, ac medium volunt inter Lunam, & Saturnum, non vulgarem habet uſum in privatis civium domibus, ad illorum menſas nobilitandas, nec non apud fuſores metallorum pro conſtandis tormentis bellicis, campanis, aliisque rebus, atque etiam apud Chymicos, qui ex ſtanno ad varias corporum ægitudines parare norunt varia remedia, uti butyrum Jovis, cryſtallos, bezoarticum joviale, & alia hujusmodi: Stannum igitur, non ſolum in fodinis, ſicuti omnia metalla, dum eruitur, ac dum extra fodinas excoquitur & repurgatur, ſuos operarios lædit, ſed etiam in mediis Civitatibus eoſdem, dum lances veteres fundunt, ac renovant, & ſcalpris nitorem conciliant, male plectit. Stannarii itaque ea ſymptomata pati ſolent, quibus obnoxii ſunt plumbi fuſores, & molitores, quales Figuli; conſtat enim ex mercurio, & ſulphure acri, quare cum illud fundunt Operarii, non poſſunt, quin pernicioſos halitus per os excipiant.

Satis curioſam hiftoriam de Stannario quodam habemus apud *Etmullerum* (a)

in Collegio Conſult. Artificem hunc ait primo tuſſi, mox tanta anxietate, ac reſpirandi difficultate correptum, noctu poſſimum, ut lecto exſilire, feneftras aperire, auram recentem inſpirare, & per totam domum noctambulus vagari, donec inciperet dies albescere, quo tempore omnia ſilebant accidentia; tam gravium ſymptomatum cauſam Vir experientiſſimus acceptam refert fumis mercurialibus metallorum. In Jove etenim multum antimonii volatilis luxuriare ait, quod cum nitro mixtum vim fulminantem adſciſcit; talem aſthmatis ſpeciem inter affectus convulſivos refert, plexu nerveo nimirum in ſpaſmum adaſcto, & pulmonum expansionem prohibente.

Hujusmodi Artifices in civitatibus paſſim viſere eſt, ac ubi medicam opem expoſcant, iſdem cautionibus erunt curandi ac cæteri Metallurgi; Ad peſtus tamen, tamquam primam morbi ſedem, primo reſpiciendum, præcipue enim illorum querelæ de anhelitus anguſtia ſunt. Curandi itaque erunt tanquam aſthmate montano laborantes, cavendo ab iis, quæ vi exſiccandi polleant; butyrum potius, lac,

lac, emulſiones ex amygdalis, & melo-
num ſeminibus, ptifanæ hordeacæ, &
ſimilia erunt ex uſu.

Remedia quoque jovialia ſuperius enu-
merata poſſent præſcribi, ac præcipue

antibecticum Poterii, quod ex regulo
antimonii & jove paratum dicitur, nam
ut ſuperius dictum, noxæ quas metalla
inferunt, non niſi metallicis remediis
emendantur.

De Vitriariorum, & Speculariorum Morbis.

CAPUT SEPTIMUM.

IN univerſa Artificum republica non
eſſe qui rectius ſapiant, exiſtimo, quam
qui Vitriariam exercent: Ii etenim, ubi 6.
menſium ſpatio operati fuerint (hyeme
ſcilicet, ac vernali tempore) ab opere fe-
riantur, & ubi 40. ætatis annum attinge-
rint, oportuna abdicatione arti ſuæ vale di-
cunt, ac reliquum vitæ tempus exigunt,
iis perfruendo, quæ in otia tuta repoſue-
re, vel alteri opificio operam ſuam im-
pendunt. Intolerandus proſecto ad lon-
gum tempus eſt tam improbus labor, qui
huiusmodi Operarios exercet, & qui non
niſi a robuſtis hominibus & in vigenti
ætate ſuſtineri poſſit. Innoxiam quidem
eſſe ex ſui natura maſſam illam ex vitro
fuſam, ac in fornacibus fluitantem, ſeu
labem, ſaltem ſenſibilem ſuis Artificibus
non affigere exiſtimo, cum nullæ ipsis de
hoc ſint querelæ, neque ullus gravis odor
in vitrariis officinis nares percellat. Non
vacat hic in maſſæ illius, ex qua vitrum
conflatur, naturam, neque in mechani-
cum artificio, quo, flatu mediante, vi-
tra figurantur, altius inquirere; ſolum,
quod rem meam ſpectat, noſſe ſufficiat,
quod quicquid noxii ab huiusmodi opi-
ficio hiſce Artificibus advenit, totum ab
ignis violentia, & quorundam minera-
lium mixtura ad coloranda interdum vitra
proficiſcatur. Cum igitur ſeminudi, ri-
genti hyeme, ad ardentiffimas fornaces
continuo adſtent, vitrea vaſa conflando,
oculorum acie in ignem, & vitrum fu-
ſum ſemper intenta, non poſſunt quin

gravibus noxis afficiantur. Oculi itaque
primum ignis impetum ſuſtinent, pro-
pterea acri lippitudine perſæpe infortu-
nium ſuum plorant, & gracileſcunt, illo-
rum natura ac ſubſtantia, quæ aquea eſt,
a nimio ardore exhausta, ac abſumpta.
Siti quoque inexplebili eandem ob cau-
ſam continuo vexantur, ut frequenter
cogantur bibere; vinum autem luben-
tius, ſed immoderate quam aquam po-
tant, aquam enim, ubi quis quacumque
ex cauſa nimio ardore exæſtuet, nocentio-
rem, quam vinum exiſtimant, ob mul-
tos caſus eorum, qui æſtuate frigida
epota, ſubita morte occubuerint.

Morbis quoque pectoris, obnoxii ſunt;
cum enim pectora aeri ſemper habeant
expoſita ſolo induſio contenti, illiſque
tandem peracto opere, ex vulcania illa
officina ad alia loca frigidiora exeundum
ſit, nequit natura, ut ut fortis, ac robu-
ſta tam graves ac ſubitas mutationes diu
tolerare; hinc pleuritides, aſthmata, ac
tuſſes diuturnæ contingunt.

Longe vero pejora infortunia ſub-
eunt, qui vitra colorata pro armillis, ac
mundo muliebri plebejo, aliſque uſibus,
conficiunt; cum enim ad colorem cry-
ſtallo conciliandum illis neceſſe ſit *borax*-
cem calcinatum, ac *antimonium* una cum
aliqua auri portione, & hæc omnia in
pulverem impalpabilem contrita cum
vitro commiſcere, ut exinde paſtam con-
ficiant pro tali opere, non poſſunt du m
id agunt (ut ut faciem obvelent, & aver-

tant) quin pravos halitus ore excipiant; quare perſæpe evenit, ut nonnulli ex illis exanimis concidant, ac interdum ſuffocentur, ſeu temporis progreſſu ulcera in ore, oſophago, & trachea iis ſuborian- tur, ac tandem in Tabidorum familiam tranſeant, pulmonibus ulceratis, ut ex cada- verum apertione manifeſte patuit.

Non parum equidem, mecum ipſe de- miratus ſum, quomodo mixtura hæc *Boracis & Antimonii* cum vitrea maſſa tam pernicious vim adſciſcat; rem tamen ita ſe habere, licet hujus non ſim oculatus teſtis (cum hæc Civitas officinam vitriaria- rum quidem habeat, ſed in qua vitra non colerentur) perſuaſum habeo, utpote per literas mihi communicatam ab excellen- tiſſimo *D. Joſeph de Grandis*, olim in Mu- tinenſi gymnaſio Auditore meo, qui nunc Venetiis (ubi Inſula, Murano dicta, inſignes vitriariae officinae exſtant) ſum- ma cum laude Medicinam & Anatomiam exercet. Id eſt quod innuebam, rerum mix- turas peritioribus *Medicis* perſæpe impo- nere, ac præſertim ubi operatio ignis acce- dat, qui licet ab *Helmontio* rerum cor- ruptor, & mors appelletur, multarum re- rum tamen auctor eſt & parens, ut ſci- te, & plus quam chymice, ſcripſerit *Pli- nius* (a), ex eadem materia aliud gigni pri- mis ignibus, aliud ſecundis, aliud tertiis.

Qui vero *Venetiis* præſertim, ad ſpe- cula conficienda operam ſuam impendunt, non ſecus ac Inauratores, Mercurii feri- tatem experiuntur, dum ingentes tabu- las cryſtallinas argento vivo oblinire, ut parte ex alia clarior imago reddatur, pro more habent. Hoc artificii genus Anti- quis ignotum fuiſſe ſatis credibile eſt, ut de quo nullam habeat mentionem *Pli- nius*, qui in *Historia ſua naturali* (b) va- rios modos, quibus parabantur ſpectula, deſcribit. Specularii ergo Artifices, Mer- curium tractando, Paralytici fiunt, Aſthe- matici, aliſque ſuperius memoratis affe- ctibus obnoxii. Sic *Venetiis* in *Inſula Murano* dicta, ubi ingentia ſpectula para- ri ſolent, videre eſt hoſce Artifices invi- te, ac torvis oculis miſerias ſuas, ſuis in ſpeculis contemplantes, ac artem, cui ſe addixerint, exſecrantes. Ex *Epiftola* (c) ad *Societatem Anglic. Venetiis* miſſa (ut ex ejuſdem Societatis actis conſtat) habetur, eos, qui *Venetiis* operantur ad illiniendam ſpeculorum faciem averſam, apoplecticos perſæpe fieri.

Quoad medica præſidia nihil hic ad- jiciam, cum eandem curationem hiſce Ar- tificibus adhibere liceat, quam cæteris convenire diximus, qui in ſuis opificiis mineralibus utuntur, & ad vulcanias officinas operantur.

(a) l. 37. H. N. c. 24.

(b) L. 33. c. 9.

(c) T. 1. M. Apr.

De Piſtorum Morbis.

CAPUT OCTAVUM.

Piſtores quoque variis affectibus, ut artuum tremoribus, cachexia, den- tium atredine, faciei decoloratione, me- lancholia, odoratus abolitione, tentari ſolent; ac perraro contingit, ut *Piſtores*, qui aliorum imagines elegantiores, & co- loratiores, plus quam par eſt, ſolent ef- fingere, ipſi colorati ſint ac boni habi- tus. Ego quidem quotquot novi Piſto-

res, & in hac, & in aliis Urbibus, omnes fere ſemper valetudinarios obſervavi, & ſi Piſtorum hiſtoriæ evolvantur, non ad- modum longævus fuiſſe conſtabit, ac præ- cipue, qui inter eos præſtantes fuerint. *Raphaelem Urbinate*, Piſtorem cele- berrimum, in ipſo juventæ flore e vivis ereptum fuiſſe legimus, cujus immatu- ram mortem *Balthaſar Caſtilioneus* ele- gan-

ganti carmine deflevit. Culpari quidem posset illorum vita sedentaria, ac genius melancholicus, dum ab hominum fere commercio sejuncti mentem in phantasticis suis ideis semper involutam habent; aut alia potior causa subest, quæ Pictores morbis obnoxios reddit, colorum nempe materia, quam semper præ manibus habent ac sub ipsis naribus, ut minium, cinnabaris, cerussa, vernix, oleum nunc, lini, quibus utuntur ad colores temperandos, multaque ex variis fossilibus pigmenta. Hinc in illorum officinis latrinalis odor percipitur, qui satis gravis e vernice, & prædictis oleis expirat, & capiti valde infensus est, unde forsan odoratus abolitio deducenda. Ipsi quoque Pictores in ipso opere sordidas, ac pigmentatas vestes solent induere, quare fieri nequit quin ore, ac naribus prævos halitus excipiant, qui ad spirituum animalium sedem perreptando, ac per vias spiritales sanguinis domicilia subeundo, naturalium functionum œconomiam perturbent, & superius memoratos affectus excitent. Cinnabarim sobolem esse Mercurii, cerussam ex plumbo parari, æs viride ex cupro, colorem ultramarinum ex argento (cum metallici colores vegetabilibus longe durabiliores sint, & hanc ob causam a Pictoribus magis expectantur) sicque omnem fere colorum materiam, e mineralium classe desumi, nemo non novit, & propter hanc causam satis graves noxas subsequi. Iisdem igitur affectibus, licet non ita graviter, illos vexari necessum est, ac cæteros Metallurgos.

Satis curiosam historiam in hanc rem describit *Fernelius* (a) de Pictore quodam *Andegavensi*, qui digitorum, & manuum tremoribus primum, mox convulsione, correptus est, brachio quoque in consensum tracto; huic postmodum supervenit idem in pedibus vitium, tandem

dolore tam gravi in ventriculo, & utroque hypochondrio torqueri cœpit, ut nec clysteribus, nec fotibus, nec balneis, nec ullo semediorum genere quicquam levaretur. Huic in accessione unicum solamen repertum, ut tres, quatuorve homines ventri toto suo pondere incumbere, sic enim compresso abdomine minus cruciabatur; postremo ad tres annos tam acriter vexatus, tabidus interiit. Magnas concertationes inter celebriores *Medicos* exortas esse ait, circa tanti mali veram, ac genuinam causam, tum ante, tum post cadaveris apertionem, cum in visceribus nil præternaturale apparet. Cum hanc historiam perlegerem, ingenuam *Fernelii* confessionem, more scilicet magnorum virorum, ut ait *Celsus*, sum admiratus, omnes siquidem aberamus a scopo, & tota, quod ajunt, via errabamus, inquit ille, subdit tamen, quod cum Pictor ille penicillum digitis, non modo extergere pro more haberet, sed etiam imprudens, & incautus illum exsugeret, verisimile fuisse, ut e manuum digitis, partium continuatione, cerebro, totique nervoso generi communicatam fuisse cinnabarim, per os vero admissam ventriculum, & intestina inexplicabili, ac maligna qualitate infecisse, quæ tantorum dolorum causa occulta fuerit.

Neque vero aliunde illorum cachectici habitus, & decoloratio petenda, quam a prava colorum indole, sicuti, & melancholicæ passionibus, quibus ut plurimum obnoxii sunt Pictores. *Antonium de Allegris Corrigiensem*, e patria propterea *Corrigium* dictum, adeo melancholicum fuisse, imo stupidum, tradunt, ut nec sui, nec suorum operum dignitatem ac præstantiam cognosceret, adeo ut digna honoraria sibi data, iisdem a quibus acceperat reportarit, veluti errassent aureo pretio erogato pro iis picturis, quibus nunc nullum satis est pretium.

Cum

(a) De Lue Vener. cap. 7.

Cum Pictores ergo vel ex enarratis affnibus peculiaria adhibeantur; quæ no-
fectibus, vel aliis morbis vulgaribus la-
borare continget, particulari studio erunt
curandi, ut una cum remediis commu-
eas e minerali materia contractas respi-
ciant, de quibus satis supra, ne toties
eadem cum tædio legentium repetamus.

De Morbis quibus tentari solent Sulphurarii.

CAPUT NONUM.

Cum inter mineralia ad hujus vitæ
commoda non paucos habeat usus
sulphur, sed non leves quoque noxæ iis,
qui illud coquunt, fundunt, ac eodem
utuntur in suis operibus elaborandis, ex
illo consequatur, in hoc capite videndum,
quæ mala Sulphurarii artifices patiantur.
Qui ergo sulphure accenso, seu liquato
utuntur, tussim, dyspnœam, raucedi-
nem, ac lippitudinem contrahunt. Sul-
phur duplici substantia constare docet
ejusdem analysis, una pingui & inflam-
mabili, altera acida ignis extinctiva;
Sulphure igitur igne liquato, multoque
magis accenso, acidum illud volatile in
fumos attollitur, qui per os suscepti me-
moratis affectibus occasionem præbent,
tussim præcipue, ac lippitudinem exci-
tando; mollis enim & delicata pulmo-
num, & oculorum structura, a punge-
te acido insigniter læditur. Sic *Martia-*
lis (a) varios negotiatores, & operarios
recensens, ut *Ærarios*, *Nummularios*,
Pistores, *Judæos*, qui illius somnum no-
cturnum ac diurnum *Romæ* nimio stre-
pitu interturbabant, ut rus secedere co-
geretur, inter illos numerat Sulphura-
rios, quos lippitudinis vitio notat.

*Nec sulphurata lippus instititor
mercis.*

Quanta vi polleat aura sulphurea, no-
runt ipsæ mulierculæ, quæ ut suis vela-
minibus candorem concilient, illa fumo
sulphuris accensi supersternunt; norunt

etiam purpureas rosas decolorare, & la-
steas reddere,

Tingit & afflata sulphuris aura rosas.

ait *Poeta*. In Germania pro more habent
dolia fumo sulphuris suffumigare, ut vi-
num rhenanum ad plures annos a muc-
iditate tueantur, teste *Helmontio* in Tra-
ctatu de Asthmate, & Tussi; Acidum er-
go sulphuris, quod pectori, & asperæ
arteriæ est maxime hostile, ipsum est
quod hujusmodi affectus inducit. Nota
est historia mœchæ mulieris, quæ cum
amasium suum, marito superveniente,
sub lecto abscondisset, superposito, ut
crimen magis celaret, sulphurato vela-
mine, se ipsam prodidit, ille enim a re-
centi sulphuris odore percitus, non po-
tuit quin alte tussiret, ac sternutaret.
In hanc rem succurrit casus *Pistoris*, qui
cum videret in suo hypocausto rotulas
sulphuratas accensas, quibus uti solent
ad succendenda ligna, timens ne domus
conflagraret, pedibus rotulas illas ausus
est premere, ut ignem exstingeret, sed
parum abfuit, quin mortuus concideret,
ad multos tamen dies sævissima tussi ve-
xatus est, una cum magna respirandi dif-
ficultate, constricta nempe a magno illo
acido expirante pulmonum vesiculari
structura. Olei amygdalarum dulcium, &
lactæ diætæ usu aliquantisper levare visus
est, ast intra unius anni spatium in libi-
tinæ censum transiit. *Fismullerus* de vitiis
expirationis læsæ, ex fumis nitri, & sul-
phuris

phuris pertinacissimam tussim, ac respirandi difficultatem oriri observavit. Nec quis obtrudat, quod sulphur pulmonum balsamum vulgo audiat; nam id verum est, quando sulphur acido suo, quo abundat, spoliatum fuerit; uti scitissime advertunt *Juncken* in chymia sua experimentalis, & laudatus *Ermullerus* in sua mineralogia (a), ubi ait sulphur merito pulmonum balsamum vocari, quando illius pinguedo balsamica a parte acida corroliva fuerit separata. Quomodo autem acidum a sulphure separari possit, tradit ibidem *Juncken*, sublimando nempe sulphur cum corallius, cornu C. quæ illius acidum combibant.

Quomodo vero in praxi Professorum non pauci, saltem apud nostrates, sulphuris spiritum in morbis pectoris præscribant, ego non video; cum enim apud

Auctores passim legerint, in huiusmodi affectibus sulphur primas tenere, quasi sulphuris acidum idem sit ac totum concretum, pars easdem vires habeat, quas totum, quod maximæ supinitatis indicium est, ansam errandi capiunt. Eundem ferme errorem observare licet, cum ad scabiem curandam pro remedio interno specifico, eundem spiritum sulphuris ad longum tempus in aliquo juscule scabiosis propinant, non alia ratione ducti, quam quod sulphur potissimum remedium sit, ac basis unica unguentorum, quæ parantur ad psoram exterminandam. Tales ergo operarii, quantum possunt, a sulphuris fumo excipiendi cavere debent, ac pro tussi lenienda syrupo de althæa, emulsionibus seminum melonum, ptisana hordeacea, oleo amygdal. dulcium, & diæta lactea familiariter uti.

(a) C. de sulph.

De Morbis quibus obnoxii sunt Fabri Ferrarii.

CAPUT X.

Lippitudini quoque obnoxios esse *Fabros ferrarios* quotidiana docet experientia, quod non tam ex ignis violentia fieri crediderim, dum oculorum aciem in ignem fere semper intentam habent, quam ob sulphurea effluvia e candenti ferro exhalantia, quæ oculorum membranas feriant, ac vellicent, unde limphæ e glandulis expressio, & lippitudo, una cum ophthalmia quoque, per sæpe consequantur. *Demosthenis* Patrem *Fabrum Machæropæum* fuisse referunt, ac eundem lippum describit *Juvenalis*; sic enim loquens de *Demosthene* (a):

Quem Pater ardentis massæ fuliginis lippus,

Carbone, & forcipibus, gladiosque parante,

Incude, & luteo vulcano, ad Rbetora mist.

Verbum illud *luteo Vulcano*, quod Poeta confinxit, observans (quo epitheto Poetarum nullus ignem, quod sciam, insignivit, cum illum coruscum, nitidum, roseum appellent) putaram hic forsan innui luteum colorem, quo metalla fusa, ob sulphur quod in sinu suo continent, *Fabrorum* facies depingunt, ut in tormentis conflandis interdum observavi; verum cum in citato versu vox illa, *luteo*, syllabam primam correptam habeat, nequit color flavus significari, sed quid lutosum.

Cum ergo in ferri substantia non parva sulphuris portio conclusa sit, mirum non est, si dum ferrum excoquitur, tenues

(a) Satyra 10.

nues particulæ sulphuræ ex ferro, & carbonibus quoque expirent, quæ oculorum membranas, tanquam acutissima spicula laceffant, sicque acres lippitudines, & ophthalmias excitent. Ego certe multos Fabros de hujusmodi affectibus conquerentes audiui, ac remedium exposcentes, quibus suadere soleo, ut lac muliebre, aquam hordei, & similia attemperantia adhibeant, ac si inflammatio urgeat, sanguinem mittant. Sero vaccino, atque emulsionibus seminum melonum, ac diætâ refrigerante utantur,

quæ propria est artificum, qui ad ignem exercentur; commendatur in specie Beta, quæ ad alvum mollem servandam valde confert, tales enim Artifices ventris adstrictione laborare solent. Sic a *Martiali*(a) appellantur *Fabrorum prædialia Beta*; si contumax vero sit lippitudo, salutaris comperta est aqua ipsa, in qua ferrum candens solent extinguere; monendi quoque sunt, ut quantum possunt a ferri bullientis ac radiantis obtutu oculos avertant.

(a) L. 13. Ep.

De Gypsariorum, & Calcariorum Morbis

CAPUT XI.

HAud minus a Gypso, & Calce male plectuntur, qui materias istas in fornacibus excoquunt, tractant, ac in officinis divendunt. Gypsum inter venena recenseri, nemo non novit, epotum enim strangulando mortem infert; Sic L. *Proculejus* Augusti familiaris cum stomachi dolorem perferre non posset, Gypso mortem sibi conscivit, teste *Plinio* (a) Qui ergo illud coquunt, præparant, molunt, cribrant, venundant, uti persæpe observavi, magna respirandi difficultate premi solent, alvum præterea adstrictam habent, hypochondria dura, ac distenta, decolores sunt, ac vere gypsatam faciem præferunt, iique potissimum, qui gypsum coctum moia asinaria conterunt, & cribrant, uti etiam *Gypsoplastæ*, qui varia opificia, ac præcipue simulacra, & effigies ex gypso conficiunt ad sacrarum ædium, aularum Principum, & bibliothecarum ornam. quoque, qui mos perantiquus est.

Indocti primum, quamquam plena omnia Gypso,

Chrysippi invenias; (b)

Sic *Juvenalis* divites indoctos fugilans, qui ut sapientiæ famam apud vulgus aucuparentur, Philosophorum simulacris bibliothecas suas exornabant. Ut ut ergo hujusmodi Operarii velamen offi apponant, fieri nequit, quin volitantes atomos gypseas per os & nares admittant, quæ vias spiritus subeant, & cum lymphâ permixtæ, in tophos concrecant, seu pulmonum anfractuosos ductus incrustando, respirationem intercipient.

Hic mihi liceat paululum digredi, & circa Gypsi naturam paulisper immorari; qui enim de fossilibus egere, non satis aperte Gypsi naturam, ac indolem mihi videntur explorasse. Gypso vim emplasticam, adstringentem inesse, scripsit *Dioscorides*, hoc idem adstruit *Galenus* variis in locis. Cognatam calci rem Gypsum esse, scripsit *Plinius* (c). Facultatem obstruentem, suffocantem eidem adscribunt Recentiores, uti *Casalpinus* in l. de Metallicis; (d) *Amatus Lusitanus* vim summe exsiccantem in Gypso agnoscit

(a) l. 36. H. N. c. 24.

(b) Sat. 2.

(c) l. 5. c. 92.

(d) Cent. 4. Cur. 41.

scit, ait enim, qui Gypsum parant majori ex parte mori, quia caput ob nimiam siccitatem ex gypso contractam debile, & imbecille est, unde quæ concoquere debet, non concoquit, & quæ retinere, non retinet, & sic materia ad subjectas partes decidat, phtibisimque inducat. Hoc lepido commento gypsi pravitatem designat recutitus Auctor.

Ego quidem, ni me philantia fallit, aliam Gypso naturam, adhuc forsan inobservatam, inesse persuasum habeo, vim nempe expansivam, & elasticam, calci nequaquam cognatam, imo potius contrariam; observari enim mihi non semel contigit, Fabros Murarios Mutinæ, ubi multæ sunt porticus, dum columnas veteres ruituras (ædificiis super magnas trabes innitentibus) diruunt, & novas columnas marmoreas supponunt, vel lapideas substruunt, observavi, inquam, hosce artifices, columnas novas ex calce, & lapidibus compingere, ad duas vero ulnas circiter, prope finem, ubi columna ædificio superstanti, & trabibus innixio feruminari debet, Gypso uti, nequaquam vero calce. Hujusmodi Opificium animadvertens (qualis observatio in hac Urbe Cispadanæ Regionis omnium antiquissima satis obviam est) ab ipsis fabris causam quæsi, quare calce non utantur in opere perficiundo, & cur potius gypso, quam calce opus claudant, ac veluti sigillo quodam obsignent, responsumque est, murum ex Calce constructum subsidere, ex Gypso vero sursum attolli, ac revera res miranda est; nam ubi quinque, vel sex dies a columna substructa elapsi fuerint, nullo fere negotio trabes, quæ hinc inde totam molem sustentabant, subtrahuntur, imo fere ex se ipsis concidunt; at si opus ex calce tantum perficerent, vel summa difficultate, vel magno ædificiorum periculo, & concussionem fulcra subtraherentur.

Cognatum ergo Calci Gypsum est coagulandi vi, & efficacia; utrumque enim aqua temperatum, ac dissolutum unit, agglutinat; Gypsum vero elasticitatem magnam intus recondit, dum ingentes moles sursum elevat. Non solum autem superius, sed inferius quoque, & circumquaque Gypsum premere observavi, sed sensibilibiter magis vim suam exserere, ubi minor fuerit resistentia; observatur etenim, quod si super trabem aliquam murus ex lateribus & Gypso construatur, & alii veteri superposito uniatur, observatur, inquam, trabem quamvis fortissimam deorsum inflecti, ut quæ aerem subiectum habeat, neque hanc flexionem ex nimio pondere, quod persæpe exiguum est, sed ex premente Gypso, ortum ducere. Calcis porro id proprium est, ut humido semper gaudeat, & nunquam veterascat, unde muri prope solum, & in ipsis ædium fundamentis ferrei pene sunt. Gypsum vero prope terram marcescit, & sponte concidit, in summo loco vero, licet imbribus perfusum, ut in caminis, calci soliditate non cedit.

Ut autem ad rem redeam, mirum non est, si gypseæ particulæ per tracheam in spiritus receptacula exceptæ, ibique cum seroso latice e glandulis exsudante commixtæ, tam perniciosos effectus pariant, vi sua expansiva fistulares ductus comprimendo, & aeri cursum & recursum prohibendo. Ad corrigendas vero noxas e Gypso contractas (quamvis ubi admissum fuerit, non tam facile curationem suscipiat) varia ab Antiquis præscribebantur remedia; *Galenus* secundo de Antidotis (a) lixivium e cineribus sarmentorum vitis commendat, quod idem confirmat *Guainerius* (b), qui cinerem ipsum pondere tertii exhibet, *Sennertus* (c), laudat stercore muris. Ego Oleum amygdal. dulc. recens extractum, ac emulsiones ex seminibus melonum cum aliquo levamine

D

id

(a) cap. 7.

(b) De Ven. cap. 1.

(c) Tom. 3. l. 6. P. 6. cap. 2.

id genus artificibus exhibui, sed in hoc opere perseverantes, omnes Asthmaticos, & Cachecticos, ut plurimum occumbere observavi. Cadaver aliquod ex hisce Artificibus, aliisque Opificibus libenter dissecaui sem, sed nec prece, nec pretio a nostrati plebe impetrare licet, ut inspectio ulla fiat in denatis ex aliquo non vulgari morbo; imo si quis id reposcat in publicum bonum, incandescunt in *Medicum*, quod morbi causam, quam ignoravit, curiose postmodum percutari velit.

Non ita vero noxia est Calx iis, qui eam tractant; veluti Gypsum; Calx recens e fornacibuseducta igneam vim rejectat, ac urit; miratur propterea *Paulus Zachia* (a) quomodo in quibusdam Civitatibus permittantur fornaces, in quibus Calx excoquatur, ob evaporationem, quam emittunt, pectori infestam. Nihil est autem, quod, postquam arserit, ignis semina diutius retineat, quam lapis calcarius; Siquidem Calx ad annum in loco sicco asservata, cum aqua diluitur, fumigat, & latentem vim ignis prodit, dum aquam facit effervesce; progressu tamen temporis, dum in pulverem fatiscit, ac veterascit, multum ignea de vi illi decedit; minus ergo tunc temporis oblaedit Artifices, acrimoniam semper tamen corrosivam retinet; hinc fauces, & oculos mordet, & vocem asperat; facilis tamen medela est potus frigida, & emulsiones seminum melonum, ac seminum frigidorum. Calx Fabris murariis manus rugosas facit, ac interdum ulcerat, si tamen scabiosae fuerint, illas a scabie liberat; quare non immerito inter

remedia antipsorica Calx locum habet; acidum nempe illud, quo Psora scatet, vi sua alchalyca emendando; quam ob causam Calcis decoctum in Diabete commendatur a *Vvillifio* in *Pharmaceutica Rationali*; quamvis enim, ait ille, videatur huiusmodi decoctum, aptum potius ad urinæ fluxum proritandum, ob vim calorificam, & attenuantem, quia tamen sales acidos fusionis causam temperat, ac infringit, urinæ profluvio medetur; ob eandem rationem a *Richardo Mortono* calcis decoctum in tabe pulmonari magnis laudibus celebratur.

Calci vivæ bina esse salia, quæ, post calcinationem quæta mancant, ab aqua vero dissoluta & in mutuum conflictum concita, notam illam cuique effervescentiam efficiant, putant nonnulli: quam opinionem tamen suspectam esse ait *Joan. Bobon* (b) in suis Meditationibus de Aëris influxu; cum observatione constat, alchalyca fixa & puriora ab aquea humiditate sine acidi collisione calorem concipere. Mirabatur *D. Augustinus*, (c) Calcem in aqua fervere, in oleo frigere. Calci vivæ multum salis alchalyci inesse, cum remedia ex Calce parata ad sordida ulcera, in quibus multum acidi luxuriat, sananda, passim usurpari soleant, profecto credendum est. Ad corrigendas ergo noxas, quas calcarii Artifices interdum contrahunt, opportunum erit decoctum tepidum malvæ, violarum, butyrum recens, lac ipsum, quo nihil promptius ad faucium siccitatem & asperitatem emendanda.

(a) Q. M. L. l. 5. Tit. 4. Q. 7.

(q) c. 7.

(c) De Civ. Dei l. 21. c. 7.

HI sunt, quos ego novi Artifices variis morbis obnoxios, ob mineralium, & fossilium, quæ tractant, & quibus in suis opificiis utuntur, pravam indolem, atque isthæc, quam innui, compendiosa curatio. *Medici* enim id hominum genus curantis præcipuum munus est, illos cito, quantum fieri potest, aptis

ac generosis remediis suæ salutis restituere; siquidem persæpe miseros Artifices audias *Medicos* ipsos orantes, ut vel occidant, vel liberent. Hæc itaque in Artificum ægrotantium curatione suscipienda sit cautio potissima, ut expedita, & prompta curatio illis adhibeatur, alioquin morbi tædio, ac animi mœrore, ob familiæ necessi-

sita-

fitatem contabescunt. Labet in hanc rem auream Divini *Platonis* sententiam hic loci referre, quam legenti non ingrati fore existimo. Sic ergo ille in libro de *Rep.* (a) *Faber, si quando in morbum incidit, a Medico curationem exigit vel per vomitum, vel per dejectionem ventris, vel unctionem, vel incisionem. Si quis autem diuturnam illi victus observationem præcipit, capitisque suffarcinationes, cæteraque hujusmodi, statim obiicit, non esse sibi ad agrotandum otium, neque præstare sibi, ita vitam trahere contrariis curationibus incumbenti, suumque opificium negligenti, deinde Medico hoc valere iussu, ad consuetum victum revertens, si convalescit, opus suum exsequitur, sin autem sustinere morbum corpus nequit, vita functus liberatur. Hæc Plato.*

Ita autem in praxi contingere non raro observavi, ut si Artifices cito non convalescant, valetudinarii quoque officinas suas repetant, & prolixas *Medicorum* curationes persepe eludant; Cū divitibus equidē, quibus multū otii suppetit ad ægotandum (ac interdum simulate, ad opes ostentandas, ut de quodam olim lusit *Martialis* (b) & quibus *Medici* parvo conducti assident, sic agere liceat, non autem cum operosis hominibus. *Dives enim* (ut paulo post subdit idem *Plato*) *opere nullo urgetur, a quo si quando vi arceatur, non amplius sit ei vivendum.* Professorum vero quoddam genus est, qui morborum aliquin brevium, & sponte sanabilium longas instituunt curationes, primo per lenientia mox per alterantia, ut Syrupos, quos præterire religio esset, exinde per catharti-

ca medicamenta, repetitas venæ sectiones, & mille alia tædia, operosi semper, ut nulla dies exeat sine linea, idest aliqua novi remedi formula; in hanc rem per parodiam congruet *Horatianum* illud:

Quem semel arripuit, tenet, occiditque medendo

Non misera cutem nisi plena cruoris hirudo.

Verum ut ad pensum nostrum redeamus, eorum Artificum, qui metallica, & fossili materia ad opera sua perficienda indigent, curationem contrahendo, remedia potissima, ut dixi, ex mineralium familia erunt petenda; mox emollientia ex vegetabilium classe, antidota quoque communia, ut *Theriaca*, & *Mithridatium*, ac ea quæ specifica vi malignos venenorum impetus retundere creduntur. In usum revocanda purgantia, & vomitoria, liberaliori dosi, ac duplo majori præscribenda, ob contumaciam nempe, & indomitam corporum metallicorum naturam; consulendi Auctores, qui de venenis scripsere, ut *Guainerius*, *Cardanus*, *Arduinus*, *Bacsius Paræus*, *Sennertus*, *Prevotius*, *Et-mullerus*, & alii, nam pro quoque peculiari veneno amplam remediorum suppellectilem proponunt; pro præservatione, diæta emolliens, & lactea valde commendatur. In hisce morbis cauto opus est in venæ sectione imperanda, raro enim, nisi aliqua urgeat inflammatio, phlebotomia utilis est: eæque cautelæ, quas superius annotavimus, sunt adhibendæ, ne per os scilicet, quantum fieri potest, noxiæ particule excipiantur.

(a) *Dial.* 3. p. 385.

(b) *l.* 2. *Epi.*

De Pharmacopæorum Morbis.

C A P U T. XIII.

UT ergo ad alias officinas divertamus, dicitur hospitari, nisi forsan inibi, veluti lubet *Pharmacopolia* adire, in quibus mors in olla, interdum delitescat. Etenim si Operarios ipsos percunctemur, an in

parandis remediis pro aliorum salute labem ullam aliquando contraxerint, se persæpe graviter affectos fuisse fatebuntur, ut in Laudani Opiati præparatione, in contundendis Cantharidibus pro phœnigmis, aliisque venenatis substantiis, ob subtiles atomos, quæ ab iis emanant, dum contunduntur, & per patentes vias corporis penetralia subeunt. Opium enim stuporem ac veterum inducit, idcirco in Laudani Opiati præparatione suadet *Etmullerus* (a), ut acetum assumatur; nihil enim, quod opii sulphur narcoticum magis castiget, & infringat, quam acetum. Eodem modo Cantharides in pulverem contritas, & manibus tractatas comperitum est urinæ ardorem excitasse. Novi ego Pharmacopœum in hac Civitate, qui cum Ari radicem manu gestasset, virilibus contrectatis, tam gravem partium genitalium inflammationem perpeffus est, ut enata exinde gangræna, & ingenti hæmorrhagia, illi pene occumbendum fuerit. Exhalationem ex contrita Colocynthide Pharmacopolis aliquando tormina & graves alvi fluxus concitasse refert *Comes de Verulamio* (b). Quam volatilis porro sit Cantharidum substantia, & quantum vesicæ, ac renibus hostilis sit, nemo non novit. Si Cantharides integræ microscopio attente observentur, acutissimis spiculis armatæ apparent, de quo videatur *Olaus Borichius* apud *Bonetum* in Medicina Septentrionali (c), ubi ait, se in alis & pedibus minora spicula observasse, quam in capite: unde antiquam illam quæstionem, an ex mente *Hippocratis* exhibendæ sint Cantharides, capite, alis ac pedibus abscissis, an integræ ex *Galeno*, disceptam putat; cui sententiæ adhæret *Etmullerus*, qui ait, litem hanc esse de lana caprina, ut ejusdem verbis utar, singulas enim Cantharidum partes vim ulcerativam possidere ætumat. Caveant er-

go Sepiasarii, ne, dum animalcula hæc conterunt, pulvisculos volitantes excipiant, seu præmuniendo se antecederent, vel eo ipso tempore, quo pestes has tractant, emulsiones ex seminibus melonum copiosas hauriant; serum quoque vaccinum, & lac ipsum ad temperandum urinæ ardorem, non levem præstabunt operam.

Interdum etiam, non solum a graveolentibus graviter affici quosdam Pharmacopœos accepi, ut in præparatione Unguenti Dialtheæ, quod nonnullis nauseam ac vomitum ciet, verum etiam a suaveolentibus: Magna & admiranda est vis odorum, & secundum Idiosyncrasias mirabiles effectus pariunt. Nonnullos audiivi verno tempore, quando rosarum infusiones faciunt, pro syrupis aureis, & cum tota officina pestana rosaria redolet, de gravi capitis dolore conquerentes, aliis alvum laxari.

Quibus ergo odora canum vis inest, hujusmodi odores, quantum possunt effugiant, ac identidem ab officina exeant ad auram captandam, seu odorata quædam sibi magis familiaria, quibus recreari soleant, & sibi infestos obtundant naribus persæpe apponant. De noxio odore rosarum videatur *Sennertus*, *Otto Tache-nius* in Hipp. Chymico (d); refert *Levinus Lemnius* (e), Arabiæ Incolas a nimia odorum suavitate, qua Regio illa perfusa est, adeo consternari, ut ad fœtidiora quæque, tanquam ad balsamum, illis unicum sit effugium. Satis elegans historia legitur apud *Casparum a Rejes* (f); refert enim Piscatorem quendam in aula Sebastiani Lusitanæ Regis a summa odorum fragantia adeo exanimatum concidisse, ut pro mortuo haberetur, restitutum vero a celeberrimo *Thoma a Vega*, qui jussit illum ita semianimem ad mare deferri, & in alga & limo marino volutari, quo pacto mirifice,

(a) De Lethargo cap. 7. (b) Syl. Gen. 10.

(c) De ocul. nat. m. d. 2. c. 9.

(d) P. 2. p. 316. (e) T. 1. l. 5. Sc. 6. p. 3. cap. ult.

(f) Cam. Ely. Q. 99.

fice, uti sus in volutabro cœni, recreatus bus qui primo massas illas extrahunt, ac est. Tradit *Baconus* (a), cum aromatum agitant, instare febrium & inflammatio- cumuli diu conclusi aperiuntur, adstanti- num periculum.

(a) Nov. organ. l. 2.

De Morbis Foricariorum.

C A P U T X I V.

DUbius hic hæreo, num *Medicos*, qui elegantiae & munditiei student, a Pharmacopœorum officinis, quæ ut plurimum cinnama spirant, & ubi tanquam in suo foro diversantur, ad latrinas invitando, in eorum nasum bilem, ut dici solet, conciere possim; verum cum & alvi, & vesicæ excrementa, ad internos corporis affectus quotidiana inspectione rimandos, iidem pro lege sit contemplari; idcirco neque huiusmodi loca averfari debent, ut Foricariorum morbos, eorum scilicet, qui cloacas expurgant, paulum obervemus; *Medico enim necessum est ingrata intueri & immania tractare*; verba sunt *Hippocratis* (a).

Neque pariter Philosophum dedecet a sublimiorum contemplatione, aliquando etiam ad viliora lustranda descendere, & mechanicis exemplis uti; sic recte quidem *Socrates* apud *Platonem*, *Hippiæ* illum adspernanti, quod in pervestiganda natura pulchri hominem induceret perquirentem, an pulchræ ollæ, ubi quis eam igni admoverit, plene bonorum leguminum auream tudiculam addere deceret, an ficulneam, dicentique *Hippiæ*, se cum tali homine nequaquam disputaturum; cate, inquam, reposuit *Socrates* (b). Probe nimirum, o *Amice*, tibi enim talibus nominibus repleti non convenit, cum tam specioso amictu, calceisque ornatus sis, & inter omnes *Græcos* sapientia polleas: me autem nihil prohibet quominus cum illo verfer. Quando igitur nostra hac etate ad mechanysmum redacta

est *Ars Medica*, cum *Mechanicis* infimo fortis interdum agere, nihilque aliud præter veritatem curare, ut ibidem ait *Plato*, nequaquam indecorum erit.

Narrabo autem historiam, unde primum mihi orta est occasio Tractatum hunc de Morbis Artificum conscribendi. Cum in hac Civitate, quæ pro suo ambitu satis populosa est, ideoque domos confertas habet ac præaltas, mos est, ut tertio quoque anno in singulis domibus cleacæ expurgentur, quæ per vicos discurrunt. Cum ergo domi meæ id opus fieret, contemplatus unum ex Operariis istis in antro illo charoneo magna anxietate ac sollicitudine opus suum peragentem, misertus tam improbi laboris, ipsum interrogavi, cur tam sollicite laboraret, & non pacatius id ageret, ne ex nimio labore in multam lassitudinem incideret, tunc miser ex antro illo oculos attollens, meque intuitus: Nemo, inquit, nisi expertus, imaginari potest, quanti constet, plus quam quatuor horis in hoc loco morari, idem enim est ac cæcus fieri: illo postmodum e cloaca egresso, oculos ejusdem attente contemplatus sum, eosque non parum rubore suffusos ac obnubilatos observavi; me rursus sciscitante, eequam medelam pro more haberent Foricarii huic affectui adhibere, non aliam, inquit ille, quam ut ætutum, uti modo faciam, domum suam repetant, in conclavi obscuro se recondant, ibique ad alteram usque diem immorentur, oculos aqua tepida identidem abluendo, quo pacto solaz

mea

(a) De flat. n. 1.

(b) De Pulchro.

men aliquod oculorum dolori reperiunt; rursus ab eodem quæsiui, num in faucibus ardorem ullum persentiant, difficultatem aliquam respirandi patiantur, capitis dolore tentetur, num odor ille nares percellat, nauseam pariat; nihil horum respondit ille, neque pars ulla in hoc opere mulsetur præter oculos, ac si opus istud ulterius prosequi velim, propediem cæcus fiam, ut aliis contigit: sic ille, meque valere iussu, manus oculis obtendens, lares suos adiit.

Complures postmodum Operarios id genus vel luminibus semicaptos, vel prorsus cæcos per Civitatem stipem emendicantes observavi. Quod tam tetra exhalatio tenellam oculorum structuram lædat, nequaquam miror; apud *Ballonium* (a) existat in hanc rem historia de quodam vili Operario Parisiensi, qui Ophthalmicus factus est, cujus affectus causam refert *Ballonius* in artem, quam exercebat, vicos enim luto solitus erat expurgare. Quare autem soli oculi tam malo infortunio plectantur, cæteris partibus illæsis, ut pulmonibus, qui & ipsi molli textura constructi sunt, & cerebro per nares, ut ab illa tetra mephiti minime infestentur, id est, quod primo admiratus sum, & adhuc demiror, cum ratio non suppetat, quare id fiat.

Acidum volatile esse illud, quod huiusmodi camarina commota, expiret, mihi proclive est arbitrari; idque sat probabiliter ostendunt monetarum ex ære, & argento, quas interdum Foricarii gestant in pera, denigratio, nec non ænea vasa, quæ in culinis, hisce cloacis proximioribus, infusari solent, nec non tabulæ pictæ, quæ atredinem contrahunt, ubi talis exhalatio illas pertigerit; at huiusmodi effluvia labem aliquam pulmonibus affricare deberent, quando nihil magis pulmonibus hostile creditur, quam quodcumque acidum, sicuti & massæ sanguineæ, quæ ex sua natura dulcedinem aliquam, vel ipso sensu iudice, possidet; Oculis tamen

solummodo, bellum tam atrox indicunt foetidæ exhalationes istæ; ac illos acutissimis spiculis sic feriunt, ut illis vitam, idest lumen, eripiant. An curiosorum palato satisfaciet, dicendo, quod sicuti in rerum natura quædam sunt venena, quæ cum partibus quibusdam nostri corporis particularem gerunt antipathiam, ut *Lepus Marinus* cum pulmonibus, *Cantharides* cum vesica, *Torpedo* cum nervis, sic halitus illi ex humanis facibus per varios corruptionis gradus trium annorum spatio, talem adsciscant naturam, ut oculos tantum laceffant, cæteris vero partibus ignoscant; Mihi certe si quis talem rationem obtruderet, ea sane non multum saperet, quare nec cuiquam pro ratione alicujus ponderis illam venditare jubet.

Nihil profecto acceptius est, nihilque magis crepant *Medici*, quam particularem hanc inimicitiam, quam habent externa quædam, cum quibusdam corporis nostri partibus; sicque citissime ab involutis quæstionibus se expediunt, verum obscura per nescio quid magis obscurum explicantur. *Olaus Borichius*, ut ex *Boneto* (b), *Cantharides* negat ex vi sua specifica esse magis infensas vesicæ, quam cæteris partibus, licet per os assumptæ, vel exterius appositæ, ut in phœnigmis, vim suam ulcerativam ac pungentem in vesica magis exserant; id enim fieri ait, eo quod salia volatilia *Cantharidum* sero sanguinis sociata, sicque ad vesicam cum urina delata, eandem vesicam denudatam, nulloque mucore oblinitam pungant & excoriant, quod in cæteris partibus non tam prompte efficiunt, dū non vehuntur in solo sero, sed una cum sanguine & pituita, a quorum mixtura illarum vis retundatur. An ergo potius dicendū, putrē exhalationē e cloacis elevatam, Operariorum oculos (quæ partes magis obviæ sunt, & exquisitissimi sensus) tenuissimis particulis, tanquam spiculis fodiendo, lachrymalem succum elice-

(a) Lib. 2. Epid.

(b) Med. Sep. p. 2. l. 8.

elicere, illique se confociare, sicque novum cōcretum generari, oculis solum infestum, minime vero cæteris partibus, in quibus si millem succum non reperiat? *Olaus Borrichius* (a), casum refert Ocnopolæ, qui ad solum adspectum aceti cohorrescebat, ac totus sudore frigido perfundebatur. *An vapores acidi*, ait ille, *oculis & naribus illius sunt molesti?*

Quæcunque sit causa ac modus, quo a tetra illa exhalatione Foricariorum oculi afficiantur potius, quam cæteræ partes, certe constat, oculos ex nativa sua indole ad susceptionem & emissionem æque pronos esse. Lippitudinem contagiola esse, oculum sanum scilicet ab alterius oculis lippis, morbosa effluvia excipere, ipsa demonstrat experientia, ac Artis Medicæ Proceres unanimiter testantur (b), Scitum est *Ovidianum* illud:

Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi.

Fascinationem similiter, quæ per oculorum obtutum creditur fieri, non alio modo contingere crediderim, quam quod e fascinatæ oculis radiosa quædam emanatio fiat, quæ in alterius oculos, tanquam rem cognatam se infinuet, ac inficiat; *Plautus* (c): *Excundum hercle tibi foras*

Conspectatrix cum oculis emissit is.

Novi ego nobilem Adolescentulam ad tabem fere deductam, quæ nullis remediis sanari potuit, nisi cum hortatu meo e sinu Aviæ suæ vetulæ, a qua unice diligebatur, evulsa est, & cum ancillis adolescentulis connutrita est; unde mihi non lis parva cum vetula illa Matrona suborta est, quod illam tanquam sagam apud puellam Neptem adeo tibi charam infamassent; neque ullis rationibus persuaderi potuit, id non aqua tepida oculos abluere, multum peculiare vitium senilis ætatis esse, ut ex oculis emanationes quasdam teneræ ætatis parum salubres effundat; ac sicuti oculorum est, modo amorem, modo odium

spirare, sic juvenilis ætatis magis proprium esse amorem, quam senilis, cujus obtutus torvus ac tetricus esse consuevit.

Non est hic loci, ut de oculorum natura quicquam adiciam, libeat tamen locum insignem *Platonis* adferre. *Socrates* (d) enim inducitur edocens, quomodo intelligenda sit celebris illa inscriptio in Delphici Templi vestibulo: *Nosce te ipsum.*

Sic igitur *Socrates* ad *Alcibiadem*: *Num advertisti, quod facies hominis in oculum intuentis in oppositi visu relucet, veluti in speculo, quam summam vocamus pupillam simulacrum insipientis existens?* *Oculus igitur demum ita se ipsum cernit, cum in oculum inspicit undique, præterea intendit, quod oculi optimum est, & quo oculus ipse videt.* *Oculus ergo, cum se ipsum visurus est, in oculum inspicere debet.*

Ut vero ad institutum meum redeam, hisce Operariis, quorum ministerium in omnibus Civitatibus est adeo necessarium, æquum est, ut aliquo præsidio succurrat Ars Medica, quando Leges Civiles edicto cavebant; ne cloacas purganti aut mundanti vis fieret, etiam si ad alienas ædes pertingeret (e). Ego iisdem suasor fui, ut vesiculas translucidas ori apponant, ut solent ii, qui operantur in minium polientibus, vel breviori mora in expurgandis cloacis se exerceant, sive, si ex natura sua imbecilliorum visum habeant, artem huiusmodi deferant, & alteri se ad dicant, ne ob infamem & sordidum quæstum, oculis capti cogantur emendicare. Quando autem experientia ipsis comperit, quod salubrem esse moram in obscuro conclavi, quod rationi certe congruit, nec conferre ad oculorum ardorem temperandum, ac dolorem simul imminuendum, qui veluti spina infixæ partium nervosarum contractionem caulatur, atque hinc sub-

(a) Aët. Hæst. Vol. 4. Obs. 44.

(c) In Aulul.

(b) Vide Gal. p. de diff. feb. c. 2. Senner. T. 2. l. p. cap 3.

(d) In Alcib. P.

(e) l. 1. ff. de cloacis.

subsequentem inflammationem; hæc illis nã suã redderentur; qui verò seniores permitto. Ubi tamen nimis rubeant oculi, ac metus sit, ne succedat vera inflammatio, venæ sectionem instituo, mox ubi oculorum fervor deferbuerit, vino albo odorato oculos ablui suadeo, quod salubre remedium est in hujusmodi casu. Spiritus enim animales e cerebro & nervo optico quodammodo invitantur ad revivendas & lustrandas oculi sedes, quas a tetro illo putore in fugam conciti deseruerant.

Vile hoc ministerium cloacas expurgandi, inter pœnarum genera antiquitus recensere mos fuit, ut de damnatis ad metalla diximus; sic apud *Plinium* (a) *Trajanus Imperator* ad eundem scribens, illi præcipiebat, ut qui pœnæ damnati erant, nec intra decem annos liberati essent, pœ-

(a) 1.10. Ep. 41. (b) 3. Ep. 30.

ante decem annos damnati fuissent, distribuerentur in ea ministeria, quæ non longe a pœna essent. Solebant enim tales damnatos ad balnearum vel cloacarum purgationes destinari. Stomachabitur forsitan aliquis, quod circa latrinas, & cloacas tamdiu immorer; verum nulla res est, cujus contemplatio rerum naturalium scrutatori debeat sordescere, multo minus Artis Medicæ Professori: legat is *Theodoricæ Regis* Epistolam apud *Cassiodorum* (b), ubi magnus ille Rex cloacarum purgamen *Romanæ Urbis Præfectori* commendat *splendidas Civitatis Romanæ Cloacas, quæ tantum visentibus stuporem conferrent, ut aliarum Civitatum miracula possent superare.*

De Morbis Fullonum.

C A P U T XV.

Penes antiquos Scriptores nil frequentius, quam *Fullonum* nomen; nostra hæc ætate quodnam opificii genus esset illud, in quo exerceretur *Ars Fullonica*, pene ignoratur. *Plinius* (a) mentionem habet *legis Metellæ* Fullonibus dictæ, quam *C. Æmilius*, & *L. Camillus Censores* ad populum dedere ferdam. In lege penul. §. de rebus dubiis hæc leguntur. *Jabolenus, qui habebat Flaccum Fullonem, & Philonium Pistorem, Uxori Flaccum Pistorem legaverat.* *Ulpianus* tamen Fullones inter negotiatores recensuit, & *Varro* (b) inter rusticanam familiam Fullones numerat.

Prout tamen ex Antiquorum scriptis expiscari licet, Fullonica prisca temporibus circa lanas purgandas versabatur, ac potissimum circa vestes emaculandas. *Populus* enim *Romanus* togis albis uti consueverat, quæ sicuti facile maculis

feedabantur, ita Fullonibus tradebantur, e maculis purgandæ ac dealbandæ, quas etiam sulphuris fumo accenso sufficiebant, sicuti testatur *Plinius*, & nostris quoque temporibus fieri consuevit, quotiescunque sericeis, vel laneis vestibus candorem conciliare volumus. Acida enim sulphuris exhalatio talia mire dealbat, ut purpureas rosas lacteas efficiat.

Cum ergo olim, uti nunc etiam, *Romana Civitas* modo lutulenta, modo pulverulenta esset, propterea togæ sordidæ factæ ad Fullones, tanquam Balneatores, mittebantur; vestes autem primo creta sordida abluébant, mox quodam cretæ genere, *Cimoliæ* dictæ, utebantur. Nostrates quoque mulieres, ubi oleum super vestem aliquam casu exciderit, illico, ne illud altius penetret, & magis expandatur, uti fieri assolet, partem illam oleo perfusam argilla, qua Figuli

utun-

(a) L. 35. H. N. cap. 17. (b) De re rustica.

utuntur; obducunt, sinuntque, ut creta paulatim exsiccentur, & sponte concidat. Sic enim vel parum, vel nihil maculæ apparet; oleum etenim, quod multo acido occulto abundat, a creta, quæ ratione suæ indolis de natura Saturni participat, & acidum præcipitat, avide bibitur.

Urina quoque hominum utebantur Fullones, ut vestes purpureo colore tingerent. Elegans Epigramma apud *Martialem* (a) extat, in quo varia rerum foetidarum exempla recensentur, quibus *Bassam* mulierem putidam pejus olere ait, inter quæ vellus bis murice inquinatum reponit (b). Aliud quoque ejusdem Epigramma legitur, in quo ait, *Thaidem* tam male foetere, ut non tam graviter oleret

Fullonis avari

Testa vetus, media sed modo fracta via.

Omittam ea, quæ ingeniose interpretes commenti fuerint circa id, quod *velleri murice* bis inquinato tam gravem odorem tribueret, & quidnam esset *Fullonis avari testa vetus*, quæ tam male puteret; solum ea hic afferam, quæ eruditissimus *Zarottus* in libro suo de *Medica Martialis translatione* (c) ingeniose tradidit, Fullones ergo, Lanifices, Tinctores urina humana in suis opificiis utebantur. Id habemus ex *Plinio* (d), ubi scripsit, *virilem urinam podagricis mederi, argumento Fullonum quos ideo eo morbo tentari negant*; hoc idem deduci potest ex *Galeno* (e), ubi comma refert quoddam *Quinti Medici*, *Galeni* ætate non incelebris, qui urinarum considerationem non magni faciens; ut multi illorum temporum, qui ex matula, tanquam tripode, uti etiam nostra hac ætate, morbos omnes divinare se jactabant, aiebat, hujusmodi considerationem Fullonum esse magis propriam. Idem quoque testatur *Atheneus* (f), opinionem referens *Mnesithei Medici Atheniensis* affirmantis, urinam, quæ a nobis excerni-

tur, ubi liberaliori vini potu nos diluerimus, acriorem esse, ut Tinctores commodius illa uti possint ad vestes expurgandas.

Valde familiaris ergo erat antiquitus urinae usus apud Fullones, pro lanarum ac vestium purgamine, neque nostra ætate id prorsus obsolevit. Nam in officiniâ pannificum, ubi lanæ pectuntur, & panni texuntur, observantur doliola, ubi Operarii omnes mejunt, ac in iis urinam asservant, ad putrefactionem usque, qua postmodum utuntur. Ac revera, ubi hujusmodi Operarios interdum mihi invisere contigit, pessimum odorem narez ferientem percipiens, causam ab iisdem scitatus sum, ac dolium urina plenum ostenderunt, in quod ex artis lege omnes deberent mejere.

Nostri autem Fullonibus urinae usus hujusmodi est. Postquam pannum, aliaque lanea opificia contexta fuerint, ut illa ab oleo ac aliis fordibus expurgent, urinae sic asservatæ, & aquæ tepide partes æquales, una cum quadam saponis veneti portione, ponunt in vase ligneo, in quo pannum immergunt, mox ut humor altius penetret, ac pannus illo perfecte saturetur, pedibus premunt, idque bis vel ter repetunt, abjecta prioris balnei materia, ac recenti mixtura in vas injecta. Hoc peracto, prælo liquorem exprimunt, ac postremo aqua pura cum sapone veneto pannum abluunt, sicque Pannifices pannos suos candefaciunt, ut colores omnes promptius combibant. Eundem morem laneas vestes in urina immergendi, ac nudis pedibus premendi, præcos Fullones servasse, arbitrari licet, hancque ob causam scripsisse *Plinium*, *Fullones podagra minus tentari*.

Roma itaque olim, ut in Urbe populosissima, & quæ serici usum vel nullum vel rarum haberet, Fullones ac Infectores ob frequentem necessitatem togas

E for-

(a) L. 4. Ep. 4.

(b) Leg. 1. 6. Ep. 93.

(c) Cap. 24.

(d) L. 23. H. N. c. 6.

(e) L. 3. de San. tu. c. 13.

(f) L. 11 c. 10. Dipnos.

fordidas abluendi, & lanas murice inficiendi, lapidea vasa, in quibus urinam asservabant, quodviscunque effringerentur, in publicas vias projiciendo trans-euntes gravi odore infestabant.

Fullones igitur, ac Pannifices inter graves hosce odores urinæ foetidissimæ, ac olei in calido conclavi degentes, ac interdum seminudi, omnes fere Cachectici sunt, decolores, anhelosi, tussiculosi et nauseabundi. Aere enim concluso, ac tam pravis odoribus saturato, organa spiritalia subeunte, fieri nequit, quin pulmones ex atomis illis olcosis ac putidis noxam perferant & infarciantur, simulque tota massa sanguinea inficiatur, ad principalia viscera ac totum corpus foedis illis particulis in orbem delatis. His addendum, cutis spiracula ex unguine illo facillime obstrui, unde mala, quæ ex cutis constipatione oriri solent, illis succrescant.

Varias Fullonum ægrotantium historias habemus apud Hippocratem (a), ex Marinello. Fullo collum, caput &c. Fullo in Syro phreneticus cum ureretur cruribus &c. verum satis curiosa est apud eundem Hipp. historia morbosæ cujusdam dispositionis, veluti epidemicæ, quæ Fullones sustulit. Fullonibus, inquit Hippocrates (b), inguina extuberabant dura, & sine dolore, & circa pubem & in collo similia erant tubercula magna, febris ante decimum diem. Tussi vexabantur a raptionibus &c. Vallesius in hujus loci commento Hipp. historiam de unico Fullone exposuit, & figmentum putat, Fullones communi morbo laborasse; cæteri tamen Interpretes, ut Fæsius, Mercurialis, Marinellus, & alii, de pluribus, ac veluti de Fullonum cœtu interpretati sunt; Sic enim textus Græcus τῶν πλυντῶν οἱ βομβηταὶ &c. Credibile est, pravam aliquam constitutionem hujusmodi Artificibus magis infestam, quam aliis di-

versæ classis, non solum ob prævum vitium, quo uti solent hujusmodi Operarii, sed ob artis incommoda, e quibus infesta malorum seges, uti diximus, ipsis necessario succrescit; quemadmodum ex eodem Hippocrate (c), in quadam constitutione, in qua cum multa mala a maligna ferocitate in vulgus vagarentur, Viri potius afficiebantur, quam Mulieres, ac inter Mulieres gravius ægrotabant famulæ, quæ omnes fere interibant, quam liberæ, quibus morbi qui fiebant mansuetissimi moris erant; sicuti ex Plinii (d) testimonio, aliquando Proceres tentari morbis, aliquando Servos observatum est. In constitutionibus meis Mutin. Ruralem Epidemiam tertianarum febrium descripsi, quæ ann. 1690. solos Agricolas afflixit, & sequenti anno Urbanam, aliam, quæ solos Cives exercuit, Judæis tamen pepercit; sicuti Palmaris ex Schenchio annotavit, Parisiis dum in Urbe sæviret pestis, Coriarios ab ea immunes fuisse. Ex communi itaque morbo ob pravam aliquam temporum constitutionem (Austrinam puta, quæ crassos humores funderet ac liquaret, & ad glandulas Inguinum, & Colli ablegaret) Fullonum turbam ab Hippocrate descriptam ægrotaſſe, ac idem fatum subiisse, cum omnibus ob ejusdem sordidæ artis eadem inessent dispositiones, sat probabiliter credi potest.

Ut ergo horum Artificum salutem compendiarie methodo, quantum licet consulatur, & a sordibus, quas intus & in cute gestant, expurgentur, e Pharmacia fonte potissima remedia desumenda. Emetica igitur ac præcipue Stibiata, quorum usus in hisce Operariis mihi valde salutaris compertus est, cum cachexia & lentis febribus laborant, primas tenent; haud secus Cathartica valentiora, & quæ crassos humores expurgant, erunt ex usu;

Mi-

(a) In lib. Ep. ut in 4. n. 21. In 5. Ep. n. 24.

(c) 6. Epid. Sc. 7.

(b) Et 7. Ep. n. 39.

(d) L. 7. c. 5. H. N. & l. 26. c. p.

Mitiora enim ob humorum infarctum & segnitiam turbas potius cient, quam quicquam proficiant. Aperientia, & deobstruentia, ut syrupus cacheeticus *Fernelii*, vina lixivialia a *Willisio* descripta, spiritus urinæ, urina ipsa epota, satis commodam præstabunt operam. In venæ Sectione cauto opus est; illam enim, ubi acutus morbus urgeat, non improbo, non ita tamen liberaliter sanguinem mittendum, ut in cæteris, cenleo; horum enim Artificum sanguis, ut plurimum fœdus est & gelatinosus.

Antiquitus, *Romæ* præsertim, ubi tot *Thermæ* ad publicos usus prostabant, sordidarum artium Operariis non leve præsidium erat, corpora a contractis sordibus identidem abluere, & lassatum virium robur recreare, ut recte annotat *Baccius de Thermis* (a). At nostris temporibus, quibus res tam egregia obsolevit, singulari hoc beneficio carent omnes *Urbani Artifices*; propterea, ubi primo decumbunt, ad sordes detergendas, quæ perspiratum prohibent, & connutritam graveolentiam abigendam, in id præcipue incumbo, ut illorum corpora spongia vino albo odorato calenti imbuta abluantur, ac perfri-centur, sicuti ad præcautionem eosdem hortari soleo, ut festis saltem diebus, propriis in laribus dulci lavacro, curate, mundis vestibus induti in publicum prodeant. Mirum est enim, quantum a vestium munditie, ac puritate spiritus animales hilarentur: quare non satis vulgarem opinionem, quam etiam Medentium nonnulli fovent, improbare valeo, qua volunt, ægris decumbentibus non esse mutanda indusia, nec lintheamina illorum vires imbecilliores fiant; quæ de re egregiam habemus *Divini Præceptoris* (b) sententiam. *Laborantibus gratificationes*, ait ille, *ut munde facere aut potus, aut cibos, quæ videt molliter quæ-*

cumque tangit; quem locum satis diserte exponit *Vallesius* in commento.

Hinc non parum minor, quomodo *Lazarus Messianeri* (c) in sua de Feb. Doctrina nova, eos *Medicos* reprehendat, qui in febricitantibus lintheamina & indusia mutanda præcipiunt, hancque rationem afferat, quod indusia recenter lota vim retineant lixiviale lentorem inducentem, cum in lixivio vim deterisivam ac resolventem omnes agnoscant. Quomodo autem vestes sordidæ ad febrientium robur augendum tantum valeant, ex doctissimi *Verulamii* sententia in historia vitæ & mortis, quem pro sua opinione statuminanda adducit *Messianerius*, ego, pace tanti Viri, non satis video. Scripsit equidem *Hippocrates* (d), *vestes puras hyeme inducere oportere, oleo imbutas, ac sordidas æstate*; verum liber hic inter germanos *Hippocratis*, a *Galeno* non recensetur, qui illius Auctorem *Polybium* facit, præterquam quod ibi sermo est de sanorum diætâ, & quomodo pingues gracilescant, & graciles pinguescant. Corporibus enim gracilibus æstate, neque lotiones neque indusiorum mutationes tam crebræ forsan convenient, ne ob nimium perspiratum, ac spiritum distillationem au-geatur gracilitas.

Non possum autem, quin doctissimi *Vallesii* (e) verba hic referam. *Peccant vulgares Medici*, ait ille, *neque tunicam lineam mutare, neque lecti syndonem, neque manus faciemque lavare, neque quicquam aliud, quod ad munditiam spectet, suis ægrotis permittentes, ne si longus quidem morbus sit; quasi magni referat volutari in suis sordibus, ac quasi non augeat hoc omnem putrescentiam*. Hæc de re consuli poterunt *Levinus Lemnius* (f) & *Gaspara Rej* (g). Fullonibus itaque ac omnibus aliis Artificibus, qui ex sordidis artibus victitant, munditiam corporis ac

(a) L. 7. c. 7. (b) 4. in 6. Epid. (c) Exerc. 5. (d) In l. de Salubri Diæt. n. 3.

(e) Com. l. 8. de rat. vic. in acut. (f) Theat. Nat. magic. l. 2. c. 9. (g) In Juc. cap. p. 82.

vestium mutationem summe commendare oportet, ut, quantum fieri possit, iis affectibus, qui ex fœtore & sorditie proficisci solent, obviam iri possit.

Antequam autem a fullonica ad alias officinas divertamus, liceat mihi pro parergo egregiam animadversionem hic asserere, quam eruditissimus *Zarottus* ad superius citatum *Martialis* Epigramma excogitavit. Cum ergo *Martialis* ætate valde frequenter *Romæ* contingeret, ut a Fullonum testis, in publicas vias coniectis, ob gravcolentiam infestarentur prætereuntium nares, hinc satis probabilem conjecturam deducit *Zarottus*, causam percrutandi, quare *Vespasianus* P. R. tributum ex urina, teste *Suetonio*, imposuerit. Cum enim probabile sit, quod tunc temporis prostarent amphoræ urinarie ad urinam excipiendam, ob ingentem illius usum pro vestibus emaculandis, & pro purpuræ tinctura, credi posse ait, *Vespasianum* hinc ansam huiusmodi vestigal imponendi desumpsisse, quandoquidem lucri bonus est odor ex re qualibet; quod Græci quoque Imperatores imitati sunt, teste *Cedreno*. Tales amphoras urinarias solitas prostare innuit *Macrobius*, Q. Titium inducens, Judices vinolentos his verbis increpantem; *nulla est in angyporū amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam vini plerumque plenam habeant.*

Quoniam hac occasione circa urinarum considerationem paulisper immorati sumus, silentio præterire non licet, quæ de urinarum vi deobstruente, & efficacia in ciendis mensibus non semel observavi. Complures enim *Adolescentulas Moniales* novi, quæ cum ad multos menses catameniorum defectum passæ fuissent, ac ex communibus remediis, quæ in huiusmodi affectibus adhiberi solent, nil opis sensissent, propriis urinis epotis redditæ fue-

rint coloratæ, referatis nempe obstructionibus, ac mensstruis refluentibus, adeo ut hoc remedii genus satis familiare redditum fuerit.

Haud sum nescius, novum non esse, urinam variis in morbis bibi solitam, ut in Hydrope, quamvis id male cesserit familiari cuidam *Antigoni Regis*, qui, ut refert *Celsus* (a), suam urinam bibendo in exitium sese præcipitavit, hominem illum tamen notæ intemperantiæ fuisse Auctor ipse testatur. Observationi tamen de urina, menstruum fluxum promovente, congruit id, quod tradidit *Plinius* (b), *vaporatione nempe urinae puerorum impubium fieri menses feminarum*; quod remedium equidem a ratione non adeo alienum videtur, & cuius facile esset experimentum, si præsertim urina mane sit reddita, quæ ab *Helmontio* (c), urina sanguinis, dicitur. Quemadmodum autem ad viscerum obstructions referandas, *Sal Ammoniacum*, ac illius spiritus commendantur, & ex urina humana cum sale communi fit sal ammoniacum artificiale (quando nativum, ex Africa olim ad nos deferri solitum, in arena reperitur ex Camelorū urina prope Jovis Ammonis templum) sic urina humana, quæ ex cruoris massa varios sales absorpsit ac serum detulit, dum sub forma serosi laticis in orbem ageretur, vim deobstruendi adsciscet. *Solenander* (d) tradit, se agrestibus viris propriam urinam potandam, in hepatis, ac lienis duritiæ, neque sine prospero eventu, præscripsisse. Profecto iis, quibus volupe est hoc remedio uti, in officina Chymica viscerum elaborato, longe salubriorem putarem urinæ hominis sani, quam morbofi potum, uti scite, & eleganter ostendit *D. Rosinus Lentilius* (e) in *Ephemeridibus German.* de *äurouporias* examine; Verum non tam facile cuiquam persuaderi potest, ut alienam urinam sorbeat, nisi interdum urinam pue-

(a) L. 3. cap. 21. (b) H. N. l. 28. c. 6. (c) Dc. Sextup. Diges. n. 79.
(d) Conf. 2. Sec. p. (e) Dec. 3. An. 2. Ob. 116.

pueri, quam tamen imbecilliorē urina virili cenſeo, dum urinae puerorum, ut plurimum decolores ſunt ac veluti res fatua, ex quibus non multum ſpiritus ac ſalis volatilis elici poſſit.

Nemo fere eſt ex Chymicorum familia, qui per ſpagyricam analyſin examen aliquod de urina humana non inſtituerit. Cum enim ſaponariam ac deterſoriam vim in illa omnes agnoſcant, ob varia ac omnigena ſalia, quæ in ipſa hoſpitantur, non adeo facile eſt definire, quid in illa dominatum habeat. Latex enim aquoſus ſeu ſerum ſanguinis, dum per vaſa ſanguiflua in orbem fertur, ſales diverſi generis, ob tam diverſa eſculenta & potulenta, quæ aſſumimus, in quibus tot varii ac diverſi ſapores reſident, abſorbet, & per renales tubulos ad veſicam deſert; ex quo fit, ut urina varios ac diverſos ſapores adſciſcat, ut plurimum autem falſedinem præferat cum aliquo amarore. Elegantiffimum Tractatum de urinis *Vviliſius* conſcripſit, ſtatuens in urina humana portionem magnam aquoſi laticis, minorem vero ſalis, ſulphuris, & terræ, ac portionem aliquam ſpiritus: urinae humanæ multum ſalis communis ineſſe, cum ex illa extrahi poſſit ſpiritus acidus, Chymicæ operationes ſatis oſtendunt; quare vero ſit ſal urinae, & cuiuſnam indolis, non tam facile eſt decernere, quamvis in id operis multum inſudarint artis Maſtri.

Ingenue quidem *Helmontius* (a) fateatur, ſal lotii in toto Naturæ ſyſtemate ſibi ſimile non habere; non enim talis eſt *marinus, fontalis, rupeus, gemmeus, non nitrum, non petrae, non aluminis, aut boracis, non denique naturalium allius, ut neque ſal urinae vel armentorum*. Multo autem difficilius crediderim ſtatui poſſe, cuius naturæ ſit ſal lotii humani, quam quodecumque aliud alterius ſpeciei animalium, cum brutorum multo ſimplicior ſit victus, quam hominum, qui cibaria ele-

menta per omnia conquiſita ingerunt, ac ſimul aſſis commiſcent elixa, ſimul conchyliis turdis, ut ait *Horatius*. Specifica tamen & generoſa remedia ex lotio humano ad varios uſus, & chronicos morbos oppugnandos parari nemo non novit, & noſtra hac ætate ſpiritus ſalis ammoniaci, qui urinae ſoboles eſt, pro polychreſto habetur.

Ut ad propoſitum de urina foetida, qua utuntur Fullones ad purgamenta veſtium, ſcio equidem, Chymicos tam de urina recenti hominis ſani, quam veteri poſt longam digeſtionem in ſimo equino locutos fuiſſe, ſed apud eoſdem non multum diſcriminis adverto inter ſalem, & ſpiritum volatilem, qui ab utraque urinae ſpecie educitur; imo *Collectanea Chymica Leydenſis Auctores*, ſolum recenti urina hominis ſani utuntur, ad operationes ſuas perficiendas, cum tamen in urina foetida, ac veterrima maior vis deterſoria a Fullonibus agnoſcatur, quam in recenti, quamvis rationem ignorent. *Ariſtoteles* (b) quaerit, cur urina foetidior reddatur, quo diutius in corpore detenta fuerit; problema- tice reſpondet, atque, id forſan fieri, quia ob longiorem moram urina craſſior effici ſoleat, recens vero potioni ingeſtæ ſimilis ſit; at forſan quaſito melius ſatisfieret, dicendo, magis foetere urinam diu retentam, quod ea ſit urina ſanguinis, quæ ſecum deferat maſſæ ſanguineæ impuritates abſorptas, altera vero ſit urina potus. Forſan ergo urina hominum diu aſſervata, qualis eſt Fullonum, ac in teſtis illis fracedine imbutis fermentata, exhalante aquoſo humore, acrior ſit, & magis abſterſiva pro uſu Fullonum. *Collumella* (c) pro ovium ſcabioſarum remedio urinam humanam veterem, per nares & os inſuſam, commendat, imo pecudem puſtuloſam jubet deſodiendam in ſcrobe prope limen reſupinatam, ſuper quam totus grex mejat, quo pacto ait ſanitati reſtitui.

At

(a) In Sext. Dig. n. 58. (b) Sec. 13. Prob. p. (c) Lib. 7. c. 5.

At obtrudet aliquis, si hominum urinæ tam egregios præstant usus, & ex iis torparantur remedia, quæ vi polleant deobstruendi, & chronicos morbos oppugnandi, & hanc ob causam forsan Fullones olim non tentarentur podagra; unde fit quod iidem, ut superius dictum, cachectici fiant, lentis febribus, aliisque morbis ab humorum infarctu obnoxii. Verum reponam ego, non tam ab urinæ foetidæ graveolentia, quam a lanis oleo imbutis, & diuturna mora lanificum in locis conclusis, & sordidis, ubi degunt seminudi, Operarios prædictis affectibus laborare: foetidos tamen halitus continuo per nares & os susceptos spirituum animalium puritatem fœdare, indubium est; ac quemadmodum longior mora in loco odoribus aliquin gratis oppleto, noxas parit, haud secus censendum de iis, qui insuaves sunt, quamvis aliquando ad spirituum torporem excutiendum adhibeantur.

Antequam claudam hoc caput, lubet hic referre, antiquitus in hac Civitate ar-

(a) L. 3. Ep. (b) L. 7. c. 2.

tem fullonicam (cujus modo pauca sunt vestigia) adeo excelluisse, ac tam lucrosam existisse, ut Fullo olim inventus fuerit, qui eo opulentia devenit, ut Mutinensi populo manus gladiatorum exhibuerit, quod eodem tempore *Bononia* quoque Sutor præstitit; quare horum duorum Artificum insaniam suarum opum profusione popularem auram venantium, sic illustrit *Martialis* (a).

Sutor cerdo dedit tibi culta Bononia munus,

Fullo dedit Mutina, dic ubi Caupo dabit?

Lanarum vero Mutinensis agri, ac earum præcipue, quæ in plana & campestri regione ab ovillo grege, qui inter *Sculdennam*, & *Gabellum* pascitur, antiquitus obtinebantur, præstantia valde commendabatur, ut *Columella* (b) inter Gallicas lanas primas deferret iis, quæ habentur ab ovibus, quæ circa *Parmam*, *Mutinam*, quæ *macris stabulantur in campis*.

De Morbis, quibus obnoxii sunt Olearii, Coriarii, alique sordidi Artifices.

C A P U T XVI.

MUltæ aliæ officinæ quoque supersunt, quæ nasorum sunt pestes, & Operariis suis una cum lucri beneficio pensionem malam rependunt; quales sunt eæ, in quibus exercentur Olearii, Coriarii, Fidicinarii, Laniones, Cetarii, Salsamentarii, Casearii, & qui candelas sebaceas fabricantur. Quoties enim in hujusmodi loca pedem immisi, fateor me non levem stomachi subversionem passum fuisse, nec diu odoris pravitatem sine capitis dolore, ac vomituritione aliqua tolerare potuisse. Non immerito itaque legibus caveri solet, ne tales Opifices artes suas domi exercent, sed vel in Urbis pomeriis,

vel suburbiis, ut videre est apud *Cepollam* (a), *Paulum Zacchiam* (b) & alios. In hoc itaque capite de Artificibus oleariis primum erit sermo.

In hisce Regionibus, quæ nuncum satis feraces sunt, magna olei e nucibus copia confici solet, quo per noctem populares omnes uti solent in lucernis, raro autem oleo olivarum, ob illius caritatem; tota enim *Cispadana* & *Transpadana* Regio oleas nequaquam alit, & oleum olivarum, quod habemus, ab *Hetruria* ad nos deferri solet. Paratur autem oleum e nucibus, sicuti oleum olivarum; Nucleorum enim massa sub molis contrita, & in mol-

(a) De fer. ur. c. 5. n. 5.

(b) Q. M. L. 1. 4. T. 4. Q. 7.

lem pastam redacta coquitur ad ignem in magna sartagine ex cupro, dein ex pasta illa prælo imposita oleum exprimitur: dum autem hoc fit, atræ fuligines, ac tam infesti odores eleuantur, ut ii, qui ad hoc ministerium intenti sunt, rancidas illas exhalationes excipiant. Hinc non exigua mala illis emergunt, ac iis præsertim, qui in sartagine ad ignem materiam fumigantem fusque deque spatula versant, ut tussis, dyspnœæ, capitis dolores, vertigines, & cachexiæ; his adde, quod sordidas lacerinas huiusmodi Operarii continuo gestent, unde sordibus obducti pororum cutis constipationes frequenter patiantur, & exinde acutos morbos, pectoris præcipue, cum per hyemem tantum in hac re exerceri soleant. Quam noxius capiti sit fumus, qui ex oleo nucum expirat, experiuntur ii, qui in clauso cubiculo, & ubi nullum sit vaporarium, ad lucernas ex oleo nucum ad horas aliquot, seu scribunt, vel legunt, seu quid aliud operantur; non enim sine gravi capitis dolore, vertigine, stupore illinc abscedunt, toto cubiculo fumo oppleto. Nonnullos ego novi, quibus non minus noxia fuit exhalatio ex tali oleo in loco concluso, quam fumus carbonum, ut præcipue cuidam Literarum studioso, qui cum ob rem angustam domi, tali oleo pro elucubratione ad seram noctem in sua cellula usus fuisset, veternosus ad plures dies perstitit.

Haud secus male olent officinæ, in quibus oleum e seminibus lini paratur, cuius usus in hisce Regionibus non exiguus est nocturnum in lumen, ubi præsertim olei nucum defectus sit, neque minus graviter afficiuntur qui illud parant.

Haud aliter Coriarii, qui animalium coria in tinis cum calce & galla macerant, pedibus calcant, lavant, expurgant, sebo inungunt, varios ad usus, haud aliter, inquam, a continuo fœtore, & fœdis exhalationibus infestantur, quam superius me-

morati Operarii; hos enim videre est cadaverosa facie, subtumidos, luridos, anhelosos, ac omnes fere spleneticos. Non paucos ex huiusmodi Operariorum familia mihi observare contigit hydropicos factos; quomodo enim, cum in loco humido, & in aere a tetris illis halitibus e coriis semiputridis inquinato, fere semper degant, quomodo, inquam, fieri poterit, quin spirituum tum vitalium, tum animalium officinæ inquinentur, ac totius corporis œconomia una pervertatur? Non raro observavi, equos nullis stimulis, nulla vi adigi potuisse, ut ante huiusmodi officinas prætergredi velint, quin ubi primum talem odorem naribus hauserint, tanquam amentes, habenas nequaquam audiendo, celeri cursu domum repedasse. Ædificia propterea, in quibus coria elaborantur, vel prope muros Civitatum, uti cæteræ sordidæ artes, vel extra muros, ut in hac Urbe, sita sunt; ne aeris puritati officiant. Scitissime propterea Hippocrates(a) in historia *Philisci*, qui ex maligna febre sexta die mortuus est, locum descripsit, in quo decubuit; *Philiscus prope murum habitabat &c.* in cuius historiæ commento, doctissimus *Mercurialis* annotavit, Divinum Præceptorem verba illa *prope murum apposuisse, ut locum morbosum designaret, in quo ager ille degebat, cum loca Urbium circa mœnia semper magis morbosa sint, cum omnes Civitatum sordes eo soleant deferri, brutorumque cadavera, & alia inquinamenta.*

Romæ olim in *Transiberina Regione* sordidiores erant officinæ, ac præsertim Coriariorum, ut ex *Martiali*(b), qui varios fœtores enumerat, quibus *Thaidem* male olere ait, quos inter illum reponit, qui ex caninis pellibus, in transiberina regione maceratis, effundebatur; Sic enim ille.

Non ab amore recens Hircus, non ora Leonis

Non detracta Cani Transiberina cutis.
Usum

Usum hunc illius Regionis, ubi vilior plebecula degebat, & ubi sordidiores artes exercebantur, tetigit *Juvenalis* (a),
nec te fastidia mercis

Ullius subeant ableganda Tiberim ultra.

Infamis propterea illius Regionis aer apud Romanos audiebat, ob insignem foetorem, qui ex tam sordidis artibus, & olidis mercibus expirabat; quam ob causam *Judæi* antiquitus partem illam Urbis incolentes, & inquam, teste *Philone* (b), se infuderant, ut magis desertam, ac vilem, insigniter foetebant, non ob vernaculum, & insitum illis putorem, ut adhuc vulgo creditur.

Ad Coriariorum classem referri quoque possunt Fidicinarii ii, qui chordas parant pro musicis instrumentis; iisdem enim affectibus premuntur, cum his necesse sit in humidis locis, ac foetidis semper degere, animalium intestina tractando, eluendo, evolvendo; quare tales Operarios visere est, ut plurimum facie luridos, cachecticos, & tumidis cruribus.

In censu quoque sordidorum Artificum recensendi sunt Casearii, qui & ipsi ob graveolentiam suos manes patiuntur: de iis tamen Caseariis sermo est, qui ex vaccino lacte grandes illas & caseosas rotas efficiunt, quales forsitan olim erant *Lunensis*, de quibus *Martialis* (c):

*Caseus hetruscae signatus imagine
 Luna*

Præstabit pueris prandia mille tuis.
 & qualis apud nos est *Parmensis caseus*, *Placentinus*, *Laudensis*, & aliarum Civitatum in *Cispadana* & *Transpadana Regione*; fumantes enim illæ, ac pingues exhalationes Operarios non parum infestant. In Italia raro quidem intra Urbes opificium istud exercetur, sed potius in villis & locis campestribus paratur caseus. In hac Civitate tamen *Judæis*, quibus religio est iis uti cibarius, quæ illorum manibus

parata non fuerint, ex lacte e proximis villis advecto, intra sua septa, æstivo tempore caseum conficiunt, ac revera in iis tabernis, ubi idagunt, pessimus odor persentitur, eoque omnes fere muscæ conflunt.

Jo. Pet. Lotichius in libello suo de casei nequitia edito refert, vicum quendam *Frangofurti* esse, in quo caseus conficitur, ac tam gravem mephitim ex vico illo diffundi, ut in illum pravum odorem causam pestis, quæ Civitatem illam male mulcavit, referri posse crediderit.

Nullum porro charonæum antrum, nullam camarinam motam, ut erat Antiquorum adagium, esse existimo, ubi Operarii ob graveolentiam magis infestentur, quam loca illa, ubi candelæ sebaceæ fabricari solent. Etenim neque soli Operarii, sed etiam vicinæ domus, non levem noxam persentiunt, qua de causa hujusmodi ministeria ad loca viliora Urbis, ac prope pomœria ablegari solent, uti recte advertit, ac monet *Zacchia* (d), qui in specie mentionem habet de officinis, in quibus candelæ sebaceæ conflare solent. Cum enim aheni, in quibus sebihircini, bubuli, suilli mixtura continetur, ebullire cœperint, tam foeda ac nauseosa exhalatio circumquaque diffunditur, ut vicina tota inficiatur. Graviter itaque læduntur hujusmodi Artifices, dum ferventibus ahenis superstant, & pingues illas particulas ore, ac naribus excipiunt, ex quibus in pulmonum fistulari textura magni infarctus fiunt, unde respirandi difficultates, capitis dolores subsequuntur; speciatim vero nausea, ac vomituritio. Nihil autem est, quod nauseam, & fibrarum stomachi inversionem validius creat, quam pinguedo, vel solo adpectu, nedum intus admissa; sic pingues fœminas, ac nimis mammosas omnes fere horrere solent; propterea *Martialis* hujusmodi fœminarum genus a se procul ablegans, se *carnarium* dicebat, non *pinguiarium*.

Quam-

Quantum vero ad obtundendum ventriculi acidum, in quo appetentiæ fomes residet, polleant substantiæ pingues, & oleosæ, ut ut acidum occultum contineant, nemo est qui ignorat; neque immerito *Galenus* (a) ad famem caninam sedandam pinguis edulia, & oleaginosa commendabat, ut quæ acidi p. n. & ventriculi membranas arrodentis spicula infringere valeant *Avicenna* (b); propterea pro regimine iter agentium pinguium ciborum usum, ut adipis vacini laudat, ac refert quendam olei viol. lib. I. cum sebo epota decem diebus a cibo abstinentiam commode tolerasse. Mirum propterea non est, si hujusmodi operarios perpetua fere inappetentia, & nauseatio comitetur.

Non raro quoque observare mihi contigit mulieres prope has officinas habitantes, de uterinis passionibus ob hujusmodi odoris pravitatem conqueri, quod alicui fortasse mirum videri posset, cum ad hystericos affectus graveolentia commendentur ab *Hipp.* (c) si naribus apponantur; verum sicuti non semper suaveolentia uterinas suffocationes excitant, cum etiam odorata, ut cinnamomum, nux moscata, & similia mulieribus præfocatis pro remedio exhibeantur, quod *Horatii Augenii* (d), in hujusmodi casibus, infallibile, ut ipse ait, est præsidium, neque id a doctissimo *Emullero* improbetur, & ab *Hipp.* (e), in libro de Nat. Mul. vinum odoratissimum commendetur; ita non semper graveolentia naribus admota hystericas turbas sedant, uti observavit *Forestus* (f), & de nidore lucernæ extinctæ, quo hysterici insultus fiunt, foetus extinguuntur, perantiqua observatio est. Quare a putri sebaceo odore nequaquam miror, animales spiritus in motus inordinatos cieri, ac simul ob nauseam, ventriculo ad superiora contracto, uterum quoque convelli; sic

aliquando observari mihi contigit, delicatas mulieres ad candelæ sebaceum odorem pro nocturno lumine, animo linqui, & hystericis affectibus corripi.

De candelarum sebacearum pernicioso nidore videatur *Solenander* (g), qui refert, fratrem suum Joannem ad candelæ sebaceæ lumen gravioribus studiis intentum, magnam exinde noxam in pulmonibus, & cerebro accersivisse; addit insuper ex sebubulo graviorem odorem, quam ex ovillo, vel vervecino exire, nobis autem candelæ sebaceæ nunquam gravius olere censentur, quam cum illis aliqua suillæ pinguedinis portio admixta fuerit. Elegantem quoque habemus historiam in actis *Hafnienfibus* (h), ubi narratur historia cujusdam mulierculæ, quæ in formandis candelis promercalibus intenta in gravem capitis dolorem cum vertigine, oculorum ruborem, difficilem respirationem incidit, quam mulierem *Olaus Borrichius* curavit, primo vomitum provocando, postea aquis pectoralibus cum oxymellite scyllitico adhibitis; quibus hostem, ut ille ait, visus est sopire, sed non multo post remedium usu intermisso, orthopnoica facta est, & repetitis medicamentis artem suam diris exsecrando, hujusmodi artifices hortabatur, ut si pectori prospectum vellent, sub dio saltem ministeriū suum exercerent.

Literarum professores ego quoque monitos velim, ut a candelis sebaceis, quotiescumque in suis musæis literis operam dant, quantum possunt, abstineant, ac si opes non suppetant, ut cereis candelis uti possint, lucernis ex oleo olivarum, quæ palladi sacræ sunt, utantur, ut antiquis scientiarum cultoribus mos erat, quorum opera commendabantur, cum lucernam olerent. Hoc idem suadet *Fortunatus Plempius* (i), qui ait, non minus nidorem ac fumum candelarum sebacearum abor-

Tom. II.

F tum

(a) Com. 21. 2. Sec. (b) L. 1. Fen. 3. Do. 7. c. 2. (c) 2. de mo. Mul. n. 78.

(d) L. 12. Ep. 7. (e) De affe. form. ex utero. (f) L. 28. Ob. 30.

(g) Se. 5. conf. 6. p. 461. (h) Vol. 5. Ob. 86. (i) De Toga. Val. tue. cap. 35. & 39.

tum inferre, ac fumum lucernæ ex *Plinio* (a).

Talia ergo medicamenta, quando hujusmodi Artifices curandi occurrunt, qualia a clariss. *Borrichio* proponuntur, in usum revocanda, uti vomitoria, inter quæ stibium primum locum obtinet, fortia cathartica, abstergentia acria, & potissimum quæ ex aceto sunt composita, ut oxymel scylliticum, ac similia, cum nihil sit, quod pingue magis tundat ac abstergat, quam acetum.

Enitendum est igitur, ut tam interius quam exterius unguinosæ illæ particulæ, quibus viscera, & cutis hujusmodi Arti-

(a) L. 7. H. N. cap. 7.

ficum infracta sunt, ac spiritus irretiti, liberque transpiratus prohibetur, extrudantur, everrantur, sive ex superius recensitis affectibus, sive ex quocunque alio morbo, juxta temporum constitutiones, decumbant. Suspiciari enim semper licet, aliquid labis humoribus ac spiritibus ex fœdis illis particulis inesse, quas una cum aere in operum suorum exercitio combiberint. Hanc ob causam circa V.S. in hisce artificibus exercendam cautione opus est; liberaliter enim detracto sanguine, citissime fatiscunt illorum vires ac spiritus, qui ex conspurcato sanguine geniti non possunt non esse imbecilles ac evanidi.

De Morbis Tabacopæorum.

C A P U T XVI.

Verum a tam sordidis, & graveolentibus officinis ad nasorum delicias nostræ hujus ætatis, si lubet, divertamus, ad officinas scilicet, ubi Tabacum (licet mihi hoc vocabulo uti, quando jam Civitate donatum est) parari solet. Hujus seculi (saltem in Italia nostra) inventum, seu vitiosa consuetudo est pulvis iste, ex herba Nicotiana compositus, nihilque eo frequentius est cum mulieribus, tum viris, pueris quoque, ut illius emptio inter quotidianas familiæ impensas numeretur. Quales ergo noxas tum capiti, tum stomacho affigat pulvis iste ex Tabaco, satis norunt ipsi Tabacopæi, dum illum præparant. Inter alias merces, quæ ex *Liburnico Hetruriae Portu* ad nos deferri solent, placentæ quædam ex prædictæ plantæ foliis in funem convolutis concinnatæ reperiuntur, quas operarii explicant, evolvunt, ac molæ subdunt, ut in pulverem redigantur; dum autem equi oculis obducitis molam circumagunt, Operarii adstantes, qui Tabaci folia susque deque identidem versant, antequam affuescant, magno capitis dolore, vertigine, nausea, &

continua sternutatione tentari solent. Tanta enim ex illa tritura partium tenuium, æstate præsertim, diffunditur exhalatio, ut tota vicinia Tabaci odorem, non sine querimonia, & nausea perferant. Equi ipsi quoque molam circumagentes, frequenti caput concussione, tussi, & exsufflatione, acrem & infestam Tabaci exhalationem illam attestantur. Puellam hebræam novi (tabacopolia enim in tota fere Italia, sicuti multi alii publici proventus, locantur *Judeis*, quarum *cophinus sænumque suppellex*) quæ tota die explicandas placentas istas ex Tabaco incumbens, magnum ad vomitum irritamentum sentiebat, & frequentes alvi subductiones patiebatur, mihi que narravit, vasa hæmorrhoidalæ multum sanguinis profudisse, cum super placentas illas federet.

De usu ac abusu tabaci non est, quod hic quicquam agam, ne actum agere videar; qua de re videatur *Magnenus*, qui de hoc peculiarem tractatum conscripsit, ac doctissimus *Ftmullerus* in opere nuper Francofurti edito cum multis additamentis, ubi exactissima tabaci historia, & medica-

menta ex illo parata habentur; damna-
men non vulgaria ex nimio illius usu sub-
sequi fatentur omnes, ac variae observatio-
nes apud Scriptores exstant, de quo vi-
deatur *Helmontius* (a), qui illius fumi-
gationem execrando, stomachum per il-
lius fuliginem flavedine tinctum reper-
tum fuisse affirmat, & occultum virus
ipsi adscribit. Pulmones flaccidos, & ex-
succos reddi a tabaci fumo, ac paulatim
ad marasum deduci, adstruit *Simon Pan-
li*, sicuti, & *Richardus Mortonus* (b).
In hanc rem adiri poterit *Theoph. Bone-
tus* (c), qui multas cadaverum sectiones in-
stitutas refert, ex quibus apparet, quam
graves & abominandæ noxæ in pulmoni-
bus, ac cerebro, non solum ex Tabaci
fumo, sed etiam ex usu pulveris depre-
hensæ fuerint. Inesse autem tabaco, sicuti
omnibus iis, quæ ptarmicam vim possi-
dent, magnam acrimoniam, vellicatio,
quam infert naribus, satis demonstrat, uti
etiam illius masticatio, & virulentus ni-
dor, qui efficit, ut Tabacariorum semper
foeteant animæ.

Tam liberaliter ergo a Tabacopœis
odores illi ac pulvisculi volantes, qui
acriores sunt quo tenuiores, per os & na-
res excepti teneram pulmonum, & asperæ
arteriæ tunicam pungunt, & exsiccant,
tetrisque halitibus spiritus animales cere-
bri incolas obfuscant, imo narcosi quadam
obtundunt, ac eodem tempore stomachi
fermentum corrumpunt, illius acidum
infringendo.

Neque vero quis putet, tam celebrem
plantam, Reginæ titulo donatam, Euro-
pæis omnibus adeo gratam, multoque
magis iis ditionibus, ubi inter magnos
proventus Tabaci usus recensetur, infama-
re me velle. Multa a clarissimis Scriptori-
bus de Nicotianæ facultatibus literis pro-
dita fuere, ac merito inter plantas medi-

cas locum suum meretur, solum illius ni-
mius usus, ac intempestivus damnandus,
qui efficit ut variam sortem experta fue-
rit, ac tantundem bonæ famæ, quantum
malæ illi obtigerit. Multum salis volati-
lis tabaci foliis inesse, vi cuius absterfi-
vam & traumaticam vim possideat, aci-
dum luxurians compescendo, experien-
tia satis comprobatum est; hinc illius de-
coctum in empyemate magnis laudibus,
ac pro secreto commendatur ab *Epipha-
nio Ferdinando* (d). Tabaci folia itidem
masticata copiosum phlegma educere, ni-
hil vulgo notius est, ac nihil frequentius;
non levis tamen error in hoc committitur.
Nam non æque in omnibus salutaris est
hujusmodi masticatio, & tam copiosa lym-
phæ educatio; in corporibus enim obesis,
& ubi crassi succi abundant, pulvis ex
tabaco, & illius usus utilem præstabit
operam: non sic autem in iis, qui bilioso
& præfervido sunt temperamento prædi-
ti, ut scite advertit præ cæteris *Gulielm.
Piso* (e). Ego certe non paucos novi ad
marasum deductos ob hujusmodi masti-
cationem, qui, cum sibi ex ore conti-
nuum viderent depluere stillicidium, suæ
incolumitati hoc pacto bene consultum
falsa persuasione sibi blandiebantur, ac
iis ægre persuaderi potuit, male sanum
consilium esse fontes salivales, & totum
corpus hoc pacto suo latice nutritio ex-
hauriri. Adeo insanabile cacoethes tabaci
folia masticandi, ac fumum sugendi, tot
homines infatuavit, quod vitium, ut reor,
semper damnabitur, ac semper retine-
bitur.

Tabacum masticatum, seu illius fu-
mum per tubulum tabacarium exsuctum
appetentiam obruere, ita ut longum iter
illius usu possit confici sine famis molestiis,
& stomachi latratu, tradunt multi, inter
quos *Galie. Piso* (f), qui in peregrina-

F 2

tione

(a) In Custode errante n. 46. ac in Tract. de Mort. Occaf.

(b) Quadr. Bot. c. 6. de Pht.

(c) In suo Sepulch. t. 2. lib. 4. Se. ult. (d) Hist. 32.

(e) L. 4. c. 45. de re nat. & med. utr. Ind.

(f) In H. N. & Med. utriusque Indiæ l. 5. c. 43. in Tract. Mortis Occaf.

tione per loca deserta, tali masticatione, usus, nec lassitudinem, nec famem sensisse affirmat. *Helmontius* idem adstruit, aitque, id fieri, non quia *Nicotiana* famem sedet, quasi satisfaciat defectui, sed in quantum sensus defectum tollat, simulque functionum exercitia. Ab *Helmontio* non multum dissentit *Etmullerus* (a), qui ait, Tabacum, veluti omnia Narcotica, stuporem in spiritus inducere, & sale volatili oleoso, falsum stomachi fermentum obtundere, sicque famis morbus non sentiri: revera mihi sæpius observare contigit, hosce fumibibones, & tabaci masticatores, non secus ac vini egregios potiores continua fere ciborum inappetentia laborare. Sicuti enim vinum, ac illius spiritus acidum ventriculi fermentum enervant, ac infringunt, ita foliorum *Nicotianæ* masticatio frequens, ac illius fumus, salivarem succum, & stomachi robur obtundunt, ut suctionis sensus vix præsentiat. Idem prorsus sentit doctissimus *Plempius* (b), affirmans, Tabacum nequaquam nutrire, sed copia pituitosorum humorum in os prolucita, & deorsum demissa ventriculum esurientem & quasi famelicum expleri.

Mirari autem subit quomodo, non secus ac in coquinaria, tam ingeniosus fuerit nasus, ut tot artes, tot mangonia excogitarit pro condiendo, ac variis modis parando Tabaco, ut cuique, prout lubet, modo crassum, modo tenue, modo odorum, modo inodorum, arrideat, neque solum naso, sed palato quoque sapiat, illius fumo hausto, ac per os & nares regesto, adeo ut quibetisumque Tabacarios istos mihi visere contingat, pulverem hunc tam avide per nares attrahentes, vel fumum haurientes & exsufflantes, menti occurrat *Orlandus ab Areosto* descriptus, qui amissum cerebrum per nares resorbeat, vel *Cacus* in spelunca *Avē-tini* Montis cum *Hercule* decertans, qui

Faucibus ingentem fumum; mirabile dictu,

Evomat, involvatque domum caligine cæca.

At quale præsidium Tabacopæis præstabit *Ars Medica*? Quando causa occasionalis tolli nequeat, & lucri bonus odor hisce Operariis minus sensibilem, & molestum reddat tabaci odorem; monendi sunt, ut in triturando, cribrando, & quomodo-cumque tractando mercem hanc, sine cuius usu, non secus ac sine *Baccho* & *Cere*, frigerent spiritus, & civilis elegantia, quantum possunt, caveant ab examine illo volantium atomorum, os & nares obvelando, aerem recentem frequenter captando, faciem frigida abluendo, posca fauces persæpe eluendo, ac etiam bibendo, cum nihil aptius sit ad particulas illas, quæ faucibus ac stomacho inhæserint, abstergendas, obtundendas, quam quæ acetum habent admixtum. Emulsionem seminum melonum, ptisana hordeacea, serum vaccinum, oryza in lacte cocta, non inutilem præstabunt operam, ut minus lædantur. Cum in locis conclusis, & humentibus, ac præsertim cum sub mola Tabaci folia trituntur, tale ministerium peragi soleat, ac tales operarii, de capitis dolore, & nausea conquerantur, vomitoria pro more habui præscribere, ut quæ pulverem haustum, & ex sua natura vomitionem cientem, breviori via expurgent.

Quoniam ex odoribus, cum ingratis, tum suavibus, Artificibus, qui illos tractant, non levia incommoda proficiscuntur, nescio, qualis libido me incesserat, ut hic loci, non injucunda parebasi, pauca quædam de odorum natura perstringerem; verum hujusmodi provinciæ amplitudo me deterruit, veritus quippe, ne si in illam pedem immitterem, argumenti jucunditas nimis longe a proposito me abriperet. Hujusmodi ergo meditationi

pau.

(a) In Tract. de fame læsa.

(b) In lib. de Togatorum Valet. tuenda c. 4.

paulisper insistens, ac observans, multa quidem de odoribus, tum ab antiquis, tum nostræ ætatis *Philosophis* ac *Medicis*, passim literis fuisse prodita, sed particularem & absolutam historiam de odoribus in scientia naturalij adhuc desiderari, propterea mihi in mente obversari visa est idea, quæ odorum historia naturalis, & medica conscribi posset, odorum naturam juxta recentiorum, & antiquorum placita philosophica perpendendo, una cum illorum differentiis, ac distinctionibus in suas classes, proprietatibus, idiosyncrasiis causis, natali solo, compositione, mixturis, sicque de re unguentaria Antiquorum, exinde procedendo ad medicamenta ex odoribus petita, unde spirituum medicina juxta Modernos ortum habuit, postremo ad odores biblicos recensendos, quorum mentio fit in sacris codicibus, & quibus utebantur Judæi in sacrificiis, ac eos, quorum apud varias nationes *Græcos*, *Romanos*, *Ægyptios*, *Indos* erat usus in suffitibus, & ex-

piationibus, ad placandos & evocandos Deos. Quare materiam amplam visus sum subolscesse tractatum conscribendi, universalem odorum historiam complectentem, ut unico opere quod sparsim dictum est, & quod mihi per varia experimenta observare contingeret, haberetur. Olim *Petrus Servius, Medicus Romanus*, in sua elegantissima Philologica de odoribus Dissertatione tractatum physicum de Odoribus pollicitus est, sed quantum scire licuit, fidem suam non absolvit; meam tamen pro tali molimine, quod plus temporis, atque olei plus exposceret, hic oppignerare non intendo. Multa enim sunt, quæ e longinquo, ac primo adspectu plana, & facilia videntur, sed postmodum ardua, & prærupta deprehenduntur; scite profecto Poeta:

*Tollimus ingentes animos, & maxima
parvo
Tempore molimur.*

De Vespillonum Morbis.

C A P U T XVII.

Vespillonum, & libitinariorum apud veteres operosius, quam nostris temporibus, consueverat esse ministerium. Corpora enim extinctorum magna diligentia curabant, illa abluendo, ungendo, cremando, & cineres in urnis condendo; propterea ad hujusmodi opus accersebantur *Pollinifores*, *Succolatores*, *Ustores*, alique ex viliori plebe; nostris vero temporibus cadavera ad Templum, seu cœmeteria delata Vespillonibus traduntur, ut in sepulchris reponantur. Quia vero in urbibus, ac oppidis, saltem in Italia nostra, quælibet familia suum habet sepulchrum gentilitium in Templis nobilioribus, plebecula vero in suis paræciis in amplis sepulchris promiscue recondi solet; hinc Vespillones in antra illa foetidissima, cadaveribus semi-

putridis plena, descendendo, ut delatâ cadavera in iis recondant, pernicialibus morbis obnoxii sunt, potissimum vero malignis febribus, repentinæ morti, cachexiæ, hydropisi, catharris suffocativis, aliisque gravissimis morbis; sic illis semper cadaverosa facies, & luridus adpectus, ut qui cito rationes cum Orco inire tolerant. Ac profecto quæ gravior causa, & magis efficax ad pestilentes morbos excitandos fingi potest, quam talis in sepulchra descensus, ubi necesse sit, ad aliquod tempus putidam auram illam inspirare, ob cujus haustum animales spiritus (quorum natura, ætherea esse debet) coinquinantur, ineptique fiant ad munus suum exsequendum, scilicet ad totam vitalem machinam sustentandam? Haud immerito scri-

scripsit *Hippocrates* (a), aerem *Mortalibus* vita, & morborum auctorem esse; non potest ergo sepulchralis aer vespillonibus non esse summe pernicialis, & massæ sanguineæ corruptor. Antiquitus ad tam vile ministerium, sicuti ad metalla, & cloacas, cogebantur servi publici, qui semirasi erant, & inscripti dicebantur, unde *Martialis*;

Quatuor inscripti portabant vile cadaver,

Accipit infelix qualia mille rogus.

Nostri hac ætate sordidum lucrum, seu necessitas ipsa, & egestas liberos homines ad huiusmodi opus exsequendum compellit, sed forte parum fausta; nullum enim Vespillonem senem videre adhuc mihi contigit. Quantum vero polleat ad aerem inquinandum, cadaverum ex quocumque animalium genere corruptio, nemo non novit, cum sæpe observatum sit, post magna prælia commissa, per inssepulta cadavera, seu per antiqua sepulchra incaute aperta, diras pestilentias enatas: quæ ingentem populorum stragem ediderint. Mirum itaque non erit, si Vespillones, & Bustuarii, cadavera tractando, sepulchrorum ostia referando, ac dum in illa descendunt, pestiferos morbos accersant. Vespillo quidam satis notus, quem Pistonem nomine vocabant, cum juvenem tumulasset vestibibus bene munitum, & calceamentis novis indutum, paucos post dies circa meridiem Templi fores apertas observans, sepulchrum adiit, ac lapide amoto, in sepulchrum descendit, discalceatoque cadavere, super illud concidit, ibique animam effavit, violati sepulchri poenam merito luens.

Odor hic pessimus per sæpe in sacris Aedibus æstate præsertim, manifeste perferentitur cum gravi adstantium noxa, ob sepulchrorum copiam, & frequentem illorum reperationem, ut ut thure, myrrha, aliisque odoratis rebus vaporentur Templi. Hinc non immerito hanc nostrorum tem-

porum consuetudinem cadavera intra sacras Aedes tumulandi improbat *Lilius Gyraldus* in Opere suo eruditissimo de vario sepeliendi ritu, cum priscis temporibus, ac sub ipsis Christianæ Religionis primordiis, sola Martyrum Corpora in Templis recondi solerent, cæteri vero Fideles prope sacras Aedes, seu in Cæmeteris tumularentur. Rusticana gens nostra decentius sane, quam urbana, suorum cadavera sepelire pro more habet; quemlibet enim ex suis facto functum in arca lignea reponunt, & alta scrobe effossa in prato, prope suas Paræcias humo committunt, amicis, ac propinquis id muneris exsequentibus. Instituto mehercle laudando consueverant *Romani* extra Urbem cadavera efferre, uti etiam *Athenienses* in Ceramico, seu rogis imponendo, cineresque urnis lapideis, seu æneis, condendo, viâ latinâ, & Flaminîâ, ac præcipue militares viæ ob monumentorum frequentiam apud Romanos erant valde celebres, unde *Juvenalis* (b):

*experiar, quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur cinis, atque
Latina.*

Id autem tribus ex causis agébant, ut laudatus *Giraldus* asserit, primo quidem, ut monumenta illa Viatoribus incitamento essent ad virtutem capeffendam; hinc est, quod antiqua Epitaphia, ut plurimum Viatores alloquerentur; secundo, ut quotiescumque Civitas obsidione premeretur, Cives contra hostes alacrius pro suorum cineribus pugnarent; tertia, quæ erat potissima causa, ut a tetris exhalationibus, quæ a cadaverum putrefactione emanant, Urbem sartam tectam servarent. Singulari autem privilegio Virginibus Vestalibus, ac solis Imperatoribus permissum fuit, ut intra Urbem tumulari possent; quin lege duodecim Tabularum, ut apud *Tullium* (c) legimus, cavebatur ne Ustrina, licet extra Urbem, prope ædes alienas institui posset; Rogum bustumve novum ne prope Aedes alie-

(a) Lib. de Flatibus n. 6.

(b) Sat.

(c) P. 2. de leg.

alienas 60. ped. invito Domino adicito. Sic apud *Tullium*; neque id ob incendii metum, ut idem ait, sed ob tetrum in cadaverum ustura odorem. Adeo cavebant Veteres, ac aeris salubritati pro publica incolumitate prospiciebant, ut extra Urbis Pomœria non solum immunda quæque, sed fuorum quoque cineres ablegarent. Ipsam quoque agrorum stercoreationem damna-
Hesiodus, consultum magis volens salubritati, quam soli fecunditati, sicuti ædilitio edicto vetabatur, ne quid scorteum, hoc est ex pellibus, Templis inferretur; nefas enim erat aliquid morticinum in Templis recondi.

Ut vero pensum meum absolvam, Vespillonum, quorum ministerium adeo necessarium est, incolumitati prospiciendum; æquumque est, ut quando mortuorum corpora una cum Medicorum erroribus humi recondunt, Ars Medica iisdem beneficium aliquod pro dignitate servata rependat.

Cautiones itaque his proponendæ, ut minorem noxam, quantum licet, in opere libitinario persentiant, æque esse debent, quæ pestis tempore in ulu esse consueverunt, nempe, ut os, & fauces acri aceto abluant, ac strophium aceto imbutum gestent in pera, ut odoratum, ac spiritus reficiant, monumenta paulisper aperta relinquant, antequam in illa pedem immittant, ut conclusi halitus paulisper expirent. Opere peracto, ac domum regressi, vestes mutant, ac munditiei studeant, quantum fert misera illorum conditio. Ubi vero ex aliquo morbo ægrotant, magna circumspeditione curandi. Ego quoties huiusmodi hominum genus curandum habui, satis parce sanguinem detraxi; illorum enim sanguis cadaverosus est, ac qualis faciei color purgantia potius erunt ex usu, ut quæ magis convenient hisce hominibus, qui foeda laborant cacochymia, & in Orci familiam citissime transire solent.

De Obstetricum Morbis.

CAPUT XVIII.

A Vespillonum ministerio toto cœlo differt Obstetricum officium, hæc siquidem hominis in mundanam scenam ingressum curant, illi egressum; munus tamen amborum, mortalis vitæ ortum & occasum respiciens, qualis sit humana conditio, satis testatur. Obstetrices ergo, si non tam gravia damna referunt, dum Puerperis assident, uti Vespillones cadavera tumulando non immunes tamen, nec impune semper a morbis abeunt partus excipiendo una cum uterina proluvie, quæ ab antro muliebri confertim profluit, ut ipsæmet testantur, & observatio in non paucis planum fecit. De pravitate lochiorum non est, quod hic verba faciam, cum ad paucas horas illorum fluxus, vel diminutus, vel suppressus satis sit ad Puerperas necandas.

Haud sum nescius, multas antiquitus quæstiones fuisse, & adhuc esse de mensium nequitia, quam talem esse scripsit *Plinius* (a), ut multa acescant, sterilescent tactæ fruges, moriantur insita, exurantur hortorum germina & fructus, quibus Mulieres infederint. Sanguinem tamen menstruum a tot criminibus illi impactis absolute contendit *Fallopianus* (b) qui asserit, sanguinem menstruum bonum esse, & sua natura laudabilem, si fœmina alioquin sana sit, ac eundem ipsum esse, ex quo Mulier, & fœtus ipse nutriuntur, neque nisi a sola copia sanguinis uterum ad excretionem irritari; cui opinioni favet (c) *Rodericus a Castro*, *Gugl.* *Ballonius*, qui menstruum per uterum excretionem, non qualitate, sed quantitate peccare, & in annotationibus

ad

(a) *L. 7. H. N. c. 15.* (b) *De Med. Purg. c. 1.* (c) *De univ. Mul. Mc. l. 2. c. 10. l. 2. Conf. Hist. 2.*

ad quandam historiā locum insignem *Hippocratis* (a) observat, ubi Præceptor menstruum sanguinem non fluorem, sed *Florem* appellat τὸ καταύχον αἷμα, imo idem *Ballonius* neque qualitate, neque quantitate peccare asserit menstruum cruorem, sed *hujusmodi purgationem perfici arcano, & admirabili quodam naturæ consilio, aut divina providentia ad futuram procreationem.* Mihi certe non semel, nec sine magna admiratione observare licuit, mulieres diuturnis morbis confectas, & ad marasimum fere deductas, ac præcipue nobilem Monialem per decennium in lecto decumbentem prorsus exhaustam, cui quolibet mense, statis diebus, menses quamvis infatis modica quantitate, & ad paucas stillas, apparent. His tamen non obstantibus, menstruo sanguini malignum aliquid subesse merito suspicari licet; non solum enim nomine excretionis, sed secretionis menstruus fluxus notatur, quæ secretio cuiusdam nobis ignotæ fermentationis beneficio perficitur, particulis quibusdam salinis, ac omnigenis ad uteri glandulas præcipitatis, & e corpore ablegatis.

Vim hujus fermentationis, ac intestinae perturbationis satis experiuntur mulieres ipsæ, cum menstruus fluxus instat, ac dum actu profluit; quare a nonnullis, nec inepte, febris menstrua appellatur, sed febris medica; quam postmodum melior status, & corporis alacritas consequitur; eleganter propterea *Oribasius* (b), de molesta hac purgatione tractans, scripsit, *Mulieres, unde gaudent, inde tristiari, & unde tristantur, inde gaudere.* Si porro historiis adhibenda fides, menstruum propinatum philtro loco habetur, & vim dementandi possidere creditur, quo modo ferunt, *Cajum Caligulam* ab *Uxore Cæsonia* potionatum. Inter cautiones chirurgicas pro vulnerum curatione, *Fragosio, Lanfranco*, aliisque celeberrimis Chirurgis advertentibus, hæc

quoque numeratur, quod linea filamenta ex linteaminibus, & indusiis mulierum, non adhibeantur, licet pluries ablutis, quod religiose ab omnibus Chirurgis observari solet, idque ob menstrui cruoris virulentiam, quin monent, ut ab adspectu vulneratorum arceantur mulieres menstruatæ, ac homines quoque a venereis ludo adhuc calentes, ob hircosam suffumigationem, quam redolent; adeo ut non ita fabulosum videatur, id quod refert *Plinius* (c); & *Joachimus Camerarius apud Gasparum a Rejes* (d), apes nimirum homines insequi ab aphrodisiaca palæstra adhuc madentes, cum odorum suavitate maxime oblectentur, & castitatis sint observantissimæ.

Quidquid sit de menstrualis sanguinis conditione, num revera talis sit, qualis passim creditur, neutiquam tamen dubitare licet de uterino profluvio, quod partum præcedit & consequitur, quin malignitatis, & virulentia particeps sit, quod satis demonstrat lochiorum subita suppressio, vel parcius fluxus; malignæ febres siquidem præsto sunt, quæ miseras puerperas citissime ad interitum deducunt; quod non ita evenit in simplici mensium suppressione, quæ si morbosas mulieres, & cachecticas reddit, non tam funesta est, nec tam citam mortem accersit. Suffuratur enim fœtus seu ex sanguine, seu ex chylo id, quod magis sincerum est ac spirituosum, sicque utero gerens geniali succo fraudatur; unde non solum in tota massa sanguinea prava fit humorum congestio, sed in ipsa quoque uteri substantia, quæ in gravidis tempore gestationis, notante *Graafio, & Sylvio*, insigniter crassescit, ut quo magis distendatur, magis incrassetur. Humorum saburra propterea quæ prius, cum quæta esset & conclusa, non multum negotii facebat, partus tempore, commota velati *Camarina* ut dici solet, ni prompte, & continua-

(a) 2. de Mo. Mul. (b) Vid. Brasau. l. 5. Aph. 36. (c) l. 7. H. N. c. 7. (d) Camp. El. Q. 54.

nuato effluxu expurgetur, interimit.

Obstetrices igitur, dum parituris super sellam positis procumbentes adstant, manibus expansis partum excepturæ, ac in hujusmodi ministerio ad plures horas perstant, non leves noxas ex stillantibus lochiis in ipsis manibus persentiunt, ut aliquando a rodente, & acri materia iisdem manus inflammentur & ulcerentur. *Fernelius* (a) contagiosorum morborum vim admirans, refert, obstetricem quandam, quæ parturienti opem tulerat, talem in manu læsionem passam fuisse, ut illi tandem manus corrupta exciderit; puerperam tamen illam, ait *Fernelius*, gallica lue infectam fuisse. Quemadmodum igitur nutrix pollutum infantem lactans, in mammis primo luem contrahit, & a nutrice vitiata infans altus in ore & faucibus prima gallici morbi germina & cruciatus præfert; ita obstetrix illa in ipsis manibus, super quas stillabat gallica lochiorum illuvies, tam gravem noxam experta est. Id tamen sagacibus, & expertis obstetricibus non prorsus ignotum est; ubi enim illis alicui puerperæ gallica lue infectæ operam suam præstare necessum est, linteis manus obvolvunt, ut ab ipsis accipi, ac illas aqua & aceto persæpe abluunt, cum periculo suo didicerint, posse facillime hoc pacto luem veneream, aliosque morbos communicari. His addendum, quod obstetrices pravos odores ac halitus ex stillanti fluore, per os & nares excipiant, nec modum habeant, quo se tueantur, nisi alienis ac bene olentibus odoribus puerperis hystericas passiones excitare velint.

Minus forsan in *Anglia*, *Gallia*, *Germania*, aliisque Regionibus patiuntur obstetrices, cum puerperæ decumbentes in suis lectulis foetus suos edant, non in sellis perforatis sedentes, uti in *Italia*, quibus dum obstetrices assident pronæ semper & incurvæ, expansis manibus, ad ostium matricis foetum proditurum oppe-

rientes, tanto labore ac patientia (ubi præsertim matronis assident, ac laboriosi partus sunt) fatigantur, ut partu tandem edito, lares suos repetant infractæ & elumbes, artem suam diris execrantes.

Num apud veteres puerperæ super sellas, an in lectulis foetus suos edere pro more haberent, mihi non satis compertum, utut in hanc disquisitionem curiose incubuerim. Id autem satis perspectum esset cum multis aliis scitu dignis, nisi vulcanus sortem hanc literariæ Reip. invidisset, *Tbo. Bartolini Bibliothecam* concremando, ubi opus elegantissimum ad umbilicum pene deductum de puerperio veterum vir clariss. habebat. Mos tamen partus in lecto edendi etiam apud nostrates cœpit inolescere ritu sane, ut reor, laudando, multa siquidem incommoda sic evitantur. Sæpe enim contingit (nisi partus sint adeo faciles) ut mulieres, antequam pariant, pluries e lecto ad sellam, & e sellis ad lectum, post irritos conatus referantur cum magna virium jactura; seu, postquam enixæ fuerint, magnis hæmorrhagiis subsequen-
 tib; super sellas ipsas animo linquantur, & expirent. Foetus autem facilius effundi jacendo, quam surrecto corpore, aut sedendo, docent bruta omnia, quæ humi procumbunt, dum pariunt, obstetricante natura. At fortasse id brutis necessarium videbitur, ne illorum foetus in terram concidant, & exanimentur, seu quia, cum prona in terram spectent, alium uteri positum ab homine obtineant, ideoque in illis facilius sit foetus exclusio; verum etiam parva animalia, ut catellæ, felles, mures, in quibus de casu foetus o sublimi non multum vereri oportet, jacendo pariunt. Neque vero crediderim, situm uteri rectum in parituris ad faciliorem partum multum conferre, cum suspicari liceat, foetum e suis involucriis expeditum, & exitum affectantem, præpropere ad uteri vaginam præcipitari, ac

Tom. 2.

G

per-

persæpe in situ præternaturali, ut non raro observatur, exporrectis manibus, seu quoque alio modo prodire.

At quonam præsidio Obstetricibus Ars Medica obstetricabit, ac opem feret, ut artem suam sine noxa, quantum licet, exercent? nonnisi ut identidem, quando sint induciæ, manus & brachia aqua aut vino abluant, ut ab opere suo expeditæ, faciem

ac fauces posca colluant, vestes puras demum reversæ induant, summatim munditiei studeant. A Vetula quadam Obstetricæ accepi, se, quotiescunque Puerperam aliquam haberet gallicæ luis suspectam seu cachecticam, extremos conatus parituræ opperiri, antequam illam super sellam reponat, ne tamdiu lochiali tabe manus conspergantur.

De Nutricum Morbis.

C A P U T XIX.

Obstetricibus munere suo defunctis, Nutrices succedunt, quæ foetum editum alendum suscipiunt: hæ quoque in lactationis progressu variis affectibus tentari solent. Hic autem nutricis nomine non solum intelligi velim eas mulieres, quæ pretio conductæ alienos partus, sed eas etiam, quæ proprios lactant. Affectus autem, quibus ut plurimum Nutrices vexari solent, sunt contabescentiæ, hystericæ passionis, pustulæ, & scabies, capitis dolores, vertigines, anhelus difficultates, ac visus imbecillitates; multa alia quoque incommoda patiuntur, in mammis præsertim, dum lac nimis abundat, dum grumescit in mammis, dum mammæ ipsæ inflammantur, abscessum patiuntur, ac in papillis scissuræ nascuntur. Facile est autem concipere, quomodo ex diuturna lactatione sequatur atrophiam & contabescentiā; foetu enim grandiori factō multumque lactis fugente (sive lac ex sanguine, ut Prisci sensere, seu ex chylo, ut rectius Recentiores, generetur) Nutricum corpora geniali succo fraudantur, quo nutrirī deberent, & sic paulatim graciles ab exhaustu, & juncæ fiunt, ut Plautus verbo utar, ac præsertim cum gemellos interdum lactant, seu cum lucri gratia una cum proprio filio puerum colactaneum habent. Affectibus vero pruriginosis corripī solent, tum quod

tractando, & ulnis ac in sinu infantes gestando, qui lactea crusta, & acoribus infestari solent (dum, qui sic non purgantur a magnis morbis corripī solent, teste Hippocrate (a)) Nutrices inficiuntur, tum quod benigniori sanguinis seu chyli parte ad mammas delata, & in lac permutata, serosi, & salsi humores supersunt pro corporis alimonia, qui postea in cute pustulas, & psoam excitent. *Lactans quadam pustulas per corpus quidem habebat, cum autem cessavit lactare, sedate sunt astate,* scripsit Hippocrates (b); locum hunc egregie explicat Martianus noster (nostrum appello, quia in hisce Regionibus natus & educatus, utpote Saxolensis, non Romanus) contra Valesii expositionem, qui sibi finxit, huic mulieri, dum lactaret, menstrua defecisse, ac propterea ex multa cachochymia pustulas ortum habuisse; ait enim Martianus, causam harum pustularum rejiciendam potius in errata, quæ committunt lactantes in cibo, & potu, hoc modo lac augeri existimantes, partim appetentia irritante, quæ in lactantibus magna esse consuevit, quibus accedunt vigiliæ, somni interrupti, quibus Nutrices lactationis causa frequenter subjiciuntur, quorum occasione cruditates in corpore generantur, quibus si quid humoris salsi associetur, pustularū apta materia evadunt, Aliam

(a) De Morb. Sac. n. 7.

(b) 2. in 2. Epid.

Aliam historiam lactantis mulieris habemus pariter apud *Hippocratem* (a); *Thersandri* uxor leucophlegmatica non valde existens lactans acute febricitavit. Haec lingua exusta est, aliis etiam ustionem subeuntibus; Sub hoc tempus lingua etiam exasperabatur, ut grandine multa, & lumbricis per os. Circa 20. vero non perfecte judicata est; eodem modo *Vallesius* acutæ febris causam menstruis evacuationibus detentis acceptam refert; est enim maxima lactantium noxa, ait ille, impura excrementa, quæ singulis menses exire solent, retinere pro puro lacte, quod exsurgitur. Verum *Martiani* expositio magis arridet. Lactantes enim in statu præternaturali nequaquam statuendæ sunt, eo quod lactationis tempore iis menses non fluant, quod equidem verum esset, si naturaliter simul lactarent, & menstruas purgationes haberent, sed potius culpanda sunt errata in victu, noctes infomnes, succi nutritii exhaustus, & alia a doctissimo *Martiano* recensita. Mulierem enim illam crassissimis succis refertam in universo corpore, ac primis viis, ut dici solet, ex ipsis verbis Divini Præceptoris, satis constat, dum illam scripsit leucophlegmaticam fuisse, & lumbricos per os rejectasse.

Has igitur ob causas, visus imbecillitatem, capitis dolores, vertigines, dyspnœas identidem pati solent Nutrices, & albis fluoribus obnoxie fieri, ac præcipue cum ad plures annos protrahitur lactatio. *Experientia* compertum esse, ait *Ballonius*, (b) Medicus suorum temporum experientissimus, omnes fere mulieres, quæ diu fuerint Nutrices, gracilescere, aut morbis postea opportunas, aut debiles vivere, aut fluxui muliebri obnoxias; in iis enim facilis est humorum liquatio, & partium excipientium propensio, quod cuidam mulieri contigit, ait ille, quæ adeo lacte exuberabat, ut diu tres infantes lactaverit; hinc vaso-

rum inanitio & infirmitas consequi potuit? Idem *Ballonius* (c) casum refert cujusdam nutricis, ex quo cautio non contemnenda pro nutricum recta curatione elici poterit; lubet autem ejusdem verba referre; Cuidam mulieri in spinam fluxio, rigida pene erat, nutrix erat, & lactandi diligentia, & assiduitas occasio mali fortasse fuerat. Datum medicamentum potens; gossypium cum oleo applicatum; brevi convaluit, secta vena non est; Lecti tepor, & unctio pepasmi promoverunt. Alius Medicus venam fortasse aperuisset; hinc errant per sæpe Medici, qui causas affectuum in Nutricibus ad mensium suppressionem referentes, subito sectionem venæ imperant. In simili casu hodierni Medici, apud nostrates saltem, non semel tantum, sed bis aut ter venam secuissent, quod remedii genus si omitterent, grande nefas, & morte piandum, se patraturos crederent. Ubi enim Nutrix aliqua ob prædictos affectus, seu quo alio morbo laboret, in sanguinis missione pro curationis cardine spem totam reponunt, eo solo fundamento, quod toto lactationis tempore a menstruis purgationibus immunis fuerit; verum in hoc sæpissime peccari solet, non enim solum ad mensium carentiam, tanquam ad mali fomitem & sanguinis abundantiam causam respiciendum, sed ad cacochymiam, & malum ex longa lactatione contractum. Quare cum obvia sint, ac passim occurrant lactantes curandæ, paucæque sint (apud nostrates saltem) quæ in Nobilium domibus infantes alant, & quæ opipare vivant, caute procedendum in venæ sectione, ne corpus magis effectum reddatur, & morbus ingraveleat; in hoc bivio itaque satius est, per viam medicamentorum purgantium incedere, quam per phlebotomiam intempestive, seu temere institutam.

Quot porro incommoda in ipsis mammis patiantur Nutrices, veluti nimiam la-

G 2

Etis

(a) 4. Epid. c. 4. ex Vallesio.

(b) L. 2. Ep.

(c) L. 2. Epidem.

Etis abundantiam, & profusionem, cum lac tenuius est (unde sequatur virium imbecillitas & atrophia) lactis grumescenziam, mammarum inflammationes, abscessus, in papillis scissuras, nemo non novit; propterea ab horum affectuum causis exactius perquirendis, & curatione proponenda, ne actum agere videat, superfedebat, cum apud Practicos hæc omnia prostant abunde descripta, una cū magna remedium supellectile, veluti videre est apud experientissimum *Etmullerum* (a).

Solent interdum Nutrices de dolore quodam compressivo in dorso conqueri, quod observatur potissimum in iis nutricibus, quæ recenter pepererint, & multo lacte abundant, ob mammas nimis molles & laxas, seu quia ab infante debiliore non satis exhauriantur, dolorem autem compressivum in dorso præsertim perferunt, eo quod vasa lactea thoracica, circa aggerem spinalis medullæ perreptantia, & chylosam materiam pro lactis generatione ad axillares seu mammas (ut creditur) deferentia, nimis turgeant, ac distenta sint, cuius remedium erit moderamen in victu, ac præsertim in generosioris vini potu, atque etiam aliqua sanguinis detractio, si dolor premat; hæc autem dolorosa compressio, quam interdum febris consequitur, observari solet in mulieribus eufarcis, & habitioribus.

Hystericis quoque affectibus, ut superius annotavi, infestari solent Nutrices, ac ea potissimum, quæ in domibus Nobilium degunt euechymis cibis altæ, sed magna diligentia procul a conjugali commercio custoditæ; ventre enim saginato, uterus liquore seminali turgescens, indignatur, ac in furores agitur, cum non exigua lactei liquoris in mammis defædatione. Omnes fere, qui de nutricum regimine scripsere, hoc primum, tanquam rem indubiam, ac veluti oraculum e Tripode accipiunt, quod nutritrix a virili concubitu abstinere debeat, ne

lac vitietur. *A Venere omnino abstinendam esse, quæ lac præbebit, moneo; nam & mentes viri consuetudine provocantur, & lac odoris gratiam in deterius mutat;* verba sunt *Galen*i (b). Nimius essem, si Auctores omnes, qui cautionem hanc, tanquam necessariam proponunt, recensere vellem, quam sicuti parum rationi consonam, ita non multum salutarem, neque experientie congruam deprehendi. Haud ibo inficias, quod si lactans conceperit, non nisi prævum, & imbecille alimentum suppeditare possit, & quin subito ablactandus sit infans, seu alteri Nutrici tradendus. Satis curiosa est historia, & notatu digna, quam *Regnerus de Graff* (c) refert; ait enim, quendam *Delphis* Catellam satis pinguem domi habuisse, cuius mammis lac *Felis* exsugebat, licet catella nunquam generasset, quæ ideo Herus diligenter custodiebat, ne tunc temporis, cum illam coitum appetere cognoscebat, domo exiret, & amasium reperiret cui jungeretur; sed cum tandem canis extraneus clam illam iniisset, ex eo tempore felis noluit amplius catellæ lac exsugere. Inficiari itaque non ausim, quin concubitus, si immodicus sit ac satis frequens, lacti labem aliquam affricare debeat; at forsan, lac magis vitari credendum est, si nutrices, quæ infantes in alienis domibus nutriunt, a suorum conjugum consuetudine & adspectu quoque arceantur, adeo ut lares suos ac filios invisere nequeant; ex quo fit, ut vetitos hymenæos magis appetant, ac perversas curas animo diu noctuque versantes, in hystericas passiones, easque vehementes prolabantur; sic quidquid delirant nutrices, seu qui ipsas domi alunt & oculatius quam proprias uxores custodiunt, plebuntur innoxia infantum corpuscula.

Sentiant ergo, ut lubet, Scriptores fere omnes, & *Galen*i placito subscribant, jubentque nutrices a virorum consortio prohibendas, ac in gynæceis tanquam in

car-

(a) Valet. Infant.

(b) In p. de tuen. val. c. 9.

(c) De Virg. Organ.

carceribus detinendas, namque ego illorum pace aliter sentio, ac veluti Orator(a) quidam agebat circa iudicium recte dicendi, *Ad populum provocho*; adverte enim apud popularem gentem, matres omnes foetus suos alere, nisi fortuitum aliquid contingat, & cum suis conjugibus qualibet nocte cubare, nec sine consueto veneris exercitio, neque tot incommoda, & lactis depravationes observari, quot verentur, ac sibi fingunt *Medici* in Magnatum ac Principum nutricibus, quas volunt castitati addictas; propterea cautelam hanc non adeo tutam ac salutarem esse existimo, utut a celebrioribus *Practicis* commendetur. Profecto in hac Civitate perpauci modo sunt Nobiles, qui propriis in domibus nutrices habeant; cum enim illarum salacitas, & petulantia, postquam bene pastae fuerint, intoleranda sit, nec quicquam felicius observent filios suos educari, quam urbanæ plebis, & rusticanae gentis filios, ni forsan morbosiores sint ac imbecilliores, propterea omnes fere liberos suos nutricibus tradunt, quæ illos propriis in laribus una cum sua familia nutrant, quin lubentius rusticanis mulieribus, quam urbanis natos suos committunt, ut robustiori lacte alantur.

Unus, quod sciam, laudatus *Martianus(b)* regulam hanc, nutrices a virili concubitu arcendi, licet bona fide tam salutarem creditam, prorsus improbat; cum enim modum, prout ipse sentiebat, quo in gravidis & puerperis lac generetur, indicasset, hæc subdit verba. *Quæ si vera sunt, non recte sentire videntur illi, qui coitum nutricibus prohibent, lac inde vitari existimantes; coitu enim mediante motus concitatur in utero, a quo lactis generatio dependet, & ex coitu alacritas inducitur mulieri, unde venulae laxantur, ut dicebat Hippocrates(c), quæ ad lactis ubertatem, ac bonitatem plurimum confer-*

re indubitatum est; imo si veneri assuetas, abstinentia tantopore lædit, quod viro orbatæ quotidie experiuntur, quæ variis morborum generibus sunt subjectæ, nutrices a proprio viro penitus segregare non est tutum. Hæc Vir ille doctissimus. Profecto si res bene pensitetur, lactis primordia genefin suam utero debere, fateri necessum est; Utero enim veneris deliciis exultante & commoto, universa corporis systasis commovetur, & vasa sanguifera ampliora fiunt. Hic mihi succurrit consuetudo quædam, ac nutricum apud Veteres in solenni nuptiarum celebritate officium; nutrix enim novæ nuptæ, primo thalamum ingressuræ, collum filo metiebatur, mane vero observabat, num idem filum ad collum remetiendum sufficeret, quod si non satis fuisset, lætabunda proclamabat, virginem a viro mulierem factam fuisse; sic *Catallus* ad ritum hunc alludens in nuptiis *Thetidis, & Pelei*:

Non illam nutrix orienti luce revifens,

Hesterno collum poterit circumdare filo.

Collo scilicet novæ nuptæ turgidiore facto, ac venis in aphrodisiaca palæstra tumefactis.

Mecum sæpe ad mechanicum Naturæ artificium animum advertens, quo edito foetu, ac etiam ante partum, lac generetur in mammis, quasi ab intelligentia quadam id fiat, quæ prodituri foetus necessitati in antecessum prospiciat, nihil investigare potui, quo mihi saltem blandiri possem, sicuti curiositati haudquaquam ab iis satisfactum, qui quæstionem hanc tractarent, quos inter (d) *Diemerbrækius*, *Gasparus Bartholinus*, *Thomæ filius*, alique, quos memorat laudatus *Diemerbrækius*, quare circa rem hanc paululum digredi liceat.

Lactearum historia, quam in hoc fortunatissimo seculo primus inchoavit *Ase-*

lius,

[(a) L.7.Ep.17. (b) De Nat.Pu.ver.250. (c) De Mor.Mul.l.p. (d) L.1.c.2. Anat.Diss.de Mamm.

lius, absolvit *Pecquetus* (quamvis illam adumbrasse visus fuerit (a) *Hippocrates*) sat celebris est, cum Professorum nemo in re Medica tam hospes sit, qui chyli motum per proprios ductus, & in vasa sanguiflua ingressum ignorat, seu quid Recentiores sentiant de lactis materia, quam firmiter credunt a chyli fontibus derivari (quamvis Professorum industria vias adhuc non indigitarit, utut *Diemerbrækius* multis exemplis illam demonstrasse persuasum habeat) adeo ut lac chyli portionem esse sanguini permixtam, ac in mammis separatam credibile sit, uti *Bibliotheca Anatomica Auctores* arbitrantur, idque sat probabilibus conjecturis, quas primus mente concepit, ac mundo patefecit *Martianus noster* (b), qui egregius *Hippocratis* commentator si modo viveret, ac lactearum sylvam, quam sibi confinxit, intueretur, quantum sibi plauderet; hæc, inquam, olim dubia de lactis materia, modo in propatulo sunt; solum superesset, ut reor, modum mechanicum nosse, quo appropinquante partu, ac etiam post partum, licet large fluentibus puerperiis, chylosus latex in mammarias glandulas, tam pleno fluente urgeatur, cum eo non sponte chylum moveri, neque a somniata vi tractrice abripi, seu a facultate quadam intelligente dirigi, pro comperto sit.

Quando igitur Recentiorum commenta in hac re non perplacent, Veterum adeamus oracula, ac videamus, num aliquid referre contingat, quod veri specimen aliquod præferat.

*Qui vetere utuntur vino sapientes puto,
Et qui lubenter, veteres spectant fabulas:
Nam novæ, quæ prodant fabula,
Multo sunt nequiores, quam novi numeri.*

Sic *Plautus* (c).

Magnus *Hippocrates*, qui licet aliquando

in explicandis, quæ in nostris corporibus fiunt, admirandis operibus, naturæ nomine usus fuerit, mechanicam tamen necessitatem hanc (de qua adeo gloriantur nostræ ætatis scriptores, ut fermentis, in quibus ad tempus aliquod jacuere scholæ, ad pistores ablegatis, omnia per mechanisimum, & artificiosam structuram explicent) sat manifeste agnovit, ut ex variis ejusdem locis constat, ait enim (d) Mulieres facile parere, quando disruptis pellibus pueri momentum in caput inclinatum prædominetur, obliquum autem, & in pedes procedere, si momentum huc inclinavit; recte autem Interpretes græcam vocem *fori* momentum, & inclinationem verterunt. *Hippocrates* ergo lactis generationem, & modum per automatismum exponit, his verbis: (e) Lac autem ob hujusmodi necessitatem fit; cum uteri tumidi præ puero sunt, ventrem mulieris comprimunt; ejus autem pleni ubi compressio contigerit, pinguisimum de partibus, ac cibis foras prosilit in omentum, & carnem. En quomodo *Cous Senex* per illa verba, Lac autem ob hujusmodi necessitatem fit, modum mechanicum innuit, per quod phenomenon istud apparere debeat.

In prægnante igitur muliere, cum foetus grandior fieri incipit, uterus, intestina, ventriculum, diaphragma, & superiores omnes partes comprimit, & in spatium magis angustum cogit, chylum eodem tempore per abdominis lacteas, & thoracicos ductus propellendo versus mammas; ex quo fit, ut facilius ad easdem mammas, quarum mollis, & laxior est textura, per chyliferos ductus deferatur, si non adhuc bene patentes, saltem per arterias mammarias, ut *Richardo Lover*, *P. Dioni*, & aliis placet, nec alio impulsore opus sit, quam hujusmodi compressione, cui succenturiare possit ejusdem foetus motus, ex

(a) De Glan. n. 3.

(b) Co. Hip. de nat. Pueri.

(c) Prolo. Calin.

(d) Epid. de Nat. Pus. n. 21. & 42. de Dia. nu. 5.

(e) De Nat. Pu. n. 21.

eodem Hipp. (a) Ubi enim moveri cœperit infans in utero, prima lactis signa apparent in mammis; haud secus clariss. Pecquetus, lactearum thoracicarum primus observator, credidit, a motu diaphragmatis chylosum laticem a lacteis abdominis in thoracicas urgeri, ut exinde in cruoris massam devolvatur. Curiosum ac notatu dignum est, quod refert Herodotus (b) de modo, quo Scythæ utuntur ad uberiores lactis equini, quo victitant, copiam impetrandam. Sufflatoria ossea, inquit ille, fistulissimillima sumuntur, eaque genitalibus equarum imposita ore inflantur, hoc aliis facientibus, alii equas emulgent; hoc ideo se facere ajunt, quod venæ equarum inflata impleantur, & mamma descendant. Uterus ergo in prægnante muliere, quamvis non ita proximus mammis, ut in brutis in terram pronis, a grandiori fœtu distentus, sat virium habere videtur ad vicinas partes comprimendas, & succum in vasis contentum sursum propellendum; cui compressioni a pleno utero factæ socias vires junget ejusdem pueri motus in utero.

Quia vero fœtu edito, ac utero ad naturalem suam magnitudinem redeunte, cessat hujusmodi compressio, ac motus propellens, propterea subdit Hippocrates (c), lac procedere in mammas, si lactaverint; dum enim mammae lactant, & exsuguntur, venulae in mammis ampliores fiunt, ampliores autem factæ a ventre pinguedinem trahentes in mammas distribuunt. Suctio itaque a puero facta sufficiens est ad chyli motum continuandum, alioquin suctione omiſsa fontes illi cito arescerent. Is ergo est mechanicus modus, quo Divinus Senex lac in mammis generari credit. Hujusmodi autem compressioni ab Hippocrate excogitatæ favere non parum videtur observatio, quæ constat, in animalibus, quæ plures fœtus unico partu

edunt, & longum utrinque mammiarum ordinem habent, uti fues, canes, feles, &c. eas mamillas, quæ uteri cornibus, ubi major est compressio, sunt proximiores, esse magis lacte distentas, tum ante, tum post editos fœtus (quod mihi non semel cum ruri essem, observare contigit) atque hinc fieri quod catuli, quibus obtigerit medias mamillas sugere, robustiores, ac pinguiorcs sint cæteris, qui ab extremis lac exsugant.

Per mechanicam igitur, humoris, ex quo lac fit in mammis, motum exponere anisus est Hippocrates, cujus vestigia si postmodum illius successores pressissent, jamdiu Medicina in multis majorem perfectionis gradum adepta fuisset; verum in arduis quæstionibus ad naturam confugientes (quo vocabulo in physicis nullum aliud malignius est, & quod inscitæ magis patrocinetur) male de arte medica meruere. Quæstionem hanc satis diffuse tractat Diemerbræk. (d), quærens, quidnam chylum per ductus chylicos ad cor fluere solitum impellat, vel deducat ad mammas, ut ex eo lac generetur, Deussingii opinione prius explosa, qui ad qualitatem quandam cuncta in corpore rarefacientem & fermentantem referebat, ipse opinionem suam statuere contendit, sed parum firmo talo stantem, utpote soli imaginationi suffultam; phænomenon enim istud ad fortem imaginationem puerperæ ad lactis generationem, pro fœtus nutritu intente cogitantis, refert, quam opinionem satis docte Bartholinus confutavit. Ad dissolvendum autem Diemerbrækii (e) commentum, id unum sufficere crederem, quod puerperæ nobiles & magis delicatæ, quæ fœtus suos alere renuunt, ne iis mammae peniles evadant, non solum nihil cogitant, vel appetunt lactis generationem in mammis, verum præcipua illis cogitatio est de lactis aversione a mam-

mis;

(a) P. de Mo. Mul. n. 97.

(b)

L. 4. in Melp.

(c)

De Nat. Puc. n. 22.

(d) L. 2. Anatom. cap. 2.

(e)

Dissert. de mam. & lact.

mis ; iis tamen invitis, & irritis omnibus quibus ad hoc utuntur remediis, tertia, vel quarta die a partu fit lactis ad mammas confluxus. Nihil tamen firmi in hac re, & quod quæstioni satisfaciatur, proponit *Bartholinus*, quin dubitanter excogitata sua exponit. Primo causis externis mammillas ad lactificationem disponentibus subitam mutationem accenset, quæ in virginibus observatur, cum menstrua fluere incipiunt, pili in pudendis nascuntur, vox mutatur, & mammae sororitari incipiunt, deinde femini masculino in conceptione massam sanguineam fermentanti, & chylum ad facilem secessionem in mammis disponenti; causas vero internas, per quas tribus, vel quatuor diebus a partu mammae turgeant, sanguinis chylosi refluxui ad uterum ingenti copia pro foetus nutritione fluere solito, acceptum refert. Idem pene commentus est *Ortlob(a)*, qui conceptis verbis ait, *quod utero, post factum editum contracto, materia ad alendum foetum destinata a sanguine iterum resorbetur, & sic distenta plus ordinario glandulae mammarum, humoris huius secretionem, cui in utero vacabant, denuo suscipiant*. Ingeniosa isthæc excogitata profecto sunt, ac licet verum sit, lac utero genesis suam debere (nisi enim concipiat uterus, ut in sterilibus, ac monialibus, aliisque, que nunquam nubunt, lac in mammis non apparet, nisi perraro, & nonnunquam in virginibus) semper tamen licebit quærere, cur, utero a pondere exsoluto, chylosus sanguis per arterias hypogastricas ad foetus alimoniam deferri solitus, a venis resorptus, deinde ad dextrum cordis sinum, inde ad sinistram arterioso sanguini remixtus, cur inquam, & a quam intelligentia dirigatur ad mammas, ibique lactis formam acquirat, idque foetu edito, & adhuc fluentibus lochiis, non alio tempore, quando foeminae extra graviditatem habitiores sunt, & magis

succulentæ, non autem exhaustæ, veluti gestationis tempore, ob partus labores, nec non propter magnam lochiorum proluvium. Quare adhuc integra manet quæstio, quo impulsore, & quibus machinamentis lactis materia in puerperis ad mammas propellatur; id enim plane ignorari existimo.

Profecto credendum est, *Divinum Architectum* tali structura, ac ignoto adhuc artificio, utrum ac mammas fabrefecisse, ut lege ordinaria uteri foeturæ succedat in mammis lactis generatio, sicuti modo scimus, foetus e claustris uteri erumpentis pulmones, qui per nonimestre spatium otio vacarant, munus suum inchœare, aere externo per os subeunte, ac vi sua elastica eosdem inflante, ut eodem tempore foraminis ovalis usus intercideret, & sanguis per alios ductus circulum suum absolvat. Consensum igitur mammarum cum utero, eumque admirandum esse, fateri necessum est, sed humanæ sagacitati & anatomicae inspectioni adhuc ignotum. Talem consensum novit *Hippocrates*; (b) si papillæ mammarum, & rubor pallidus fuerit, morbosum est uteri vas, scripsit ille. Laudatus *Bartholinus* uteri, & placenta cum mammis consensum, per mutuam similitudinem substantiæ glandulosæ, quam habent inter se placenta uterina & mammae, exposuit, ita ut sanguis chylosus ad Placentam fluere solitus, dum in orbem fertur ad mammas, tanquam ad sibi cognatum domicilium, divertat; verum sine placenta, ut in virginibus, quibus interdum lac generatur in mammis, consensum hunc inter mammas & uterum admittere necessum est, experientiæ satis attestante, in mulierum mammis, ob uteri exorbitantias, generari per sæpe cancrolos tumores, quales in Monialibus magis, quam in cæteris mulieribus, observantur, non ob menstruorum defectum, sed potius, ut reor, ob cœlibem vitam; mihi enim sæpius ob-

ser-

(a) *Hist. Par. Diss. 14.*

(b) *6, Epid. Sec. 6.*

re contigit, Vestales Virgines bene coloratas, menstruis purgationibus rite fluentibus, sed salaci natura præditas, ex horrendis mammarum canceris misere obisse; quoniam in Italia quælibet Civitas complures habet religiosos virginum cœtus, perraro fit, ut monasterium aliquod existet, quod tam diram pestem intus non alat. Cur ergo propter uteri deliria plectuntur mammae; non sic, neque tam frequenter, aliæ partes? Certe ob consensum adhuc occultum, & profectorum indagini impervium, quem forsitan dies aliqua aperiet, cum nondum sit occupata veritas.

Admirandum hunc inter mammæ & uterum consensum, binos libidinis fontes, abunde testatur earundem mamillarum confricatio, quæ in foeminis, ut ipsæmet fatentur, non leve est veneris languentis irritamentum. Observat *Carpus* (a), mammarum contrectationem, ac præsertim papillarum, quæ ad modum virgæ arriguntur, sopitam venerem excitare; lubet autem hic ejusdem verba referre: *juvant etiam mamillæ incitando coitum, pertractando eas, tam in mare, quam in fœmina, licet magis in fœmina, quam in mare; sunt etiam venæ venientes a regione virgæ ad mamillas, & hoc est verissimum, quod si tangatur papilla mamillæ, statim ipsa papilla erigitur, sicut virga.* Quædam igitur inter has partes erit sympathia, & consensio potius per vasa, quam per substantiæ similitudinem, ut credidit *Bartholinus*, quæ nulla fere est, cum uterus a loci iis repurgatus, ac naturali suæ magnitudini redditus, totus membranofus sit a mammis valde differens, quarum textura potius glandulosa est.

Rationes ergo, seu commenta Neotericorum, cur a partu, non alio tempore, mammae lacte turgeant, *Hippocratis* placito nullatenus videntur præferen-

da. Licet enim motum sanguinis, & chyli, qualis oculis nostris patet, ignorarit *Cous Senex*, hanc tamen mirabilem sympathiam & mutuam inter mammæ & uterum commercium, summa attentione observavit, & lactis generationem per compressionem, & motum fœtus in utero non incongrue exposuit, cui opinioni qui non acquiescit, meliora proferat; ast huic seculo, ad metam proferanti, problematis hujus solutionem nequaquam concessum iri credendum est, quam summus rerum dispensator alteri successuro forsitan reservatam voluit.

Verum hujusce arcani, quod tot præclarissima ingenia exercuit, indagine omissa, ad Nutricum affectus redeamus, & ex penu medico præsidium aliquod iidem laborantibus eruamus. Si gravis igitur sit affectio, quæcumque ea sit, & ex nimia lactatione ortum ducat, ablactatio est imperanda, causæ etenim procatarctice amotio reliquis præferenda. Si tabis imminētis adsit suspicio, quam indicant totius corporis macies sensim augescens, dejectio appetitus, noctes insomnes, decolor facies, illico a lactatione cessandum, ac ea adhibenda remedia, quæ tabem præcavent, & corpus renutrient. Tabem ex nimia lactatione describit *Richardus Mortonius* (b); consulatur ergo hic auctor, qui pro hujusmodi contabescencia varia proponit remedia. Unicum tamen præsidium in hujusmodi casu erit lactis asinini, seu vaccini usus, modo febris acutior, acor nimius ventriculi, & alia non obstant; rationi quippe congruum, ut si e lactis dispendio orta fuerit corporis consumptio per lactis usum quoque sequatur ejusdem reparatio. Lac ergo asinum ad pravos humores expurgandos primo conveniet, mox vacicinium ad maciem reparandam; hæc enim vera est methodus lac exhibendi in tabe, & qua utebatur divinus præceptor in his-

H

sto.

(a) Com. 2. in An. Mun. p. 326 (b) Peth. cap. 6.

floria Eratolai filii; huic enim a gravi & longa dysenteria confecto, & ad extremam maciem deducto, lac asininum prius exhibuit ad purgationem, mox bubulum ad nutritionem. *Bibenti lac asininum* (inquit (a), H pp.) *coctum novem heminarum atticarum mensura ad duos dies, biliosa purgatio vehemens oborta est, & cessarunt dolores, & ciborum appetentia accessit, postea vero bubuli lactis crudi quatuor heminas atticas bibit pro vice una, cyathos duos in diem primum sextam aquæ partem admiscens, & vini nigri anst. ri parum*; egregia vero est *Prosp. Martiani* (b) in hunc locum animadversio. *Notum etiam est* (inquit ille) *lac reficendi gratia dari, non asininum, ut posteriores faciunt, qui in tabe cæteris præferunt, sed bubulum, quod sua crassitie corpus reficere aptum est.* Lætea itaque diæta tali methodo utramque paginam implebit, corpus enim ab humorum saburra primum expurgabit, deinde illud refarciet. Historiam refert *Mortonus* cujusdam mulieris, quæ post quatuor mensium lactationem, cum in magnam virium imbecillitatem, appetitus dejectionem, passiones suffocativas incidisset neque illius consiliis auscultare voluisset, nimirum, ut a lactatione cessaret, & lactea diæta uteretur, tabem pulmonarem, cum tussi, gravi anhelitu, & febre hæctica tandem delapsa est.

Si vero passiones hystericæ a nimia plenitudine ortum habeant, veluti magnatum, ac principum nutricibus evenit, tunc aliqua evacuatio molienda, ac in specie phlebotomia celebranda, ad vasorum plenitudinem tollendam, strictionem diætæ eodem tempore instituendo; sicut alia remedia administranda, quæ ad passiones hystericas sedandas præscribi solent, quorum apud Practicos magna est supellex; at si prædicti hystericæ affectus (quod non raro in nutricibus hujus gene-

ris contingit) fiant, eo quod bene passio multo semine abundant, seu, ut cum Recentioribus loquar, ovarium turgescat, & falloppiana tuba classicum canat, ad venereum certamen incitando, in tali casu vel dimittendæ sunt a lactationis ministerio, vel isdem aliqua cum suis viris consuetudo permittenda, ne in furorem agantur, cum summa lactantis pueri pernicie. Quia vero aphrodisiacas ideas tacita mente secum interdum versant, & cæco igne carpuntur ob metum, ne ad pauperes suos lares ablegentur, neque semper manifestis paroxysmis hystericis tententur, cauto opus erit; variis autem signis occulta passio se prodit, nimirum si non hilares, ut prius, appareant, si taciturnæ præter morem sint, si quando vir aliquis venustus & elegans ad illarum adspæctum obvius sit, & cum illo colloquantur, hilarentur, & catulire videantur; si ergo hujus generis signa observentur, indubie censeretur poterit illas venereos ludos mente agitare, in quo certe non adeo culpandæ sunt, imo veniam aliquam merentur, cum naturales affectus sint, qui easdem, licet invitas, noctu diuque excruciant; ubi enim patella libidinis (sic enim *D. Hieronymus* uterum appellat) effervere cœperit, corpus universum, ac mens ipsa concutitur; hæ nutrices itaque cæstro venereo concitæ characteres indelebiles factui imprimunt, observatumque est, inquit *Helmontius* (c), nutricem salacem, furiosam, suam fragilitatem transtulisse in pueros.

Persæpe, ut diximus, lactantes mulieres, quæ potissimum succulentæ sunt, & albidiores, multoquo lacte distenta habent ubera, de dolore quodam compressivo in humeris solent conqueri, quod sit ex pleniori succi lactei per thoracicos ductus latis promocondos, in subclaviam, ac versus mammos illapsu; in quo casu moderamen in victu adhibendum, & abstinendum

(a) Epid. 7. num. 3.

(b) de Nat. Mul. n. 15.

(c) De Infan. nutrit.

dum ab iis, quæ lactis copiam augere natura sint: affectum hunc *Hippocrati* haud ignotum fuisse patet ex ejusdem verbis: *A cibis, ac potibus humeri inflantur*, ait ille, de gravidis mulieribus sermonem habens; in cujus loci commento *Martianus (a)*, qui, ut superius dictum, lactis materiam e ventriculo deducit, tanquam præcipuo corporis fonte, qui dat omnibus, & accipit ab omnibus, testimonium ipsarum nutricum adducit, quæ statim ac, ait ille, cibum ac potum maxime assumpserunt, testantur hujusmodi humorem ab humeris descendere per claviculas ad mammas ipsas; idque evidentius persentire ajunt, dum actu fugit puer, ex quo evenit, ut nihil magis ubertatem lactis tollere possit, quam cucurbitularum dorso applicatio, quod experimentum nutricibus cognitum in causa est, ut remedium hujusmodi ut plurimum recusent, ne lacte destituantur.

Quoad affectus pruriginosos, quibus nutrices vexari solent, et a quibus ægre cavere possunt, dum pueros, quibus familiare est lacteam crustam in capite habere, ulnis gestant, , mammas apponunt; adhibenda remedia, quæ hujusmodi affectus curent, ac topica potius antipforica erunt ex usu, quam interna remedia, ut purgationes, ac mille alia tædia, quæ in cutaneis affectibus in usu esse solent; quare etiam, impurgato corpore, inunctiones scabiem profligantes erunt permittendæ, siquidem cum non a pravo humorum apparatu, sed a contactu, & assidua infantum contrectatione tales iis suboriantur affectus, nihil metuendum videtur, si quamprimum miasma illud pforicum cuti inhærens extinguatur. Si tamen scabies ex cacochymia ob diuturnam lactationem oborta fuerit, secus agendum; prævi enim humores prius expurgandi erunt, deinde topici scabies exterminanda; com- plures tamen nutrices ego novi perfecte

sanatas, paucos post menses a lactatione, dira scabie defœdatas, non aliam ob causam, quam propter assiduam infantum scabie insectorum contrectationem. Cautæ igitur sint nutrices in tractandis pueris, quos alunt, & quantum possunt munditiei studeant, tum sibi, tum lactentibus pueris; neque enim tam fœdi, & ulcerosi infantes spectarentur, uti persæpe contingit, unde fit ut inter ploratus, & ejulatus contabescant. Refert *Galenus (b)*, historiam de puella quodam, qui cum tota die plorasset, & nutrix consilii inopemodum nesciret, quo illi quietem conciliaret, quando nec motu, nec appositione ad mammas, vel quoquo alio modo, illum lenire posset, vestium sordidarum mutatione, jussu *Galen*i, & dulci lavacro, conquievit, & longissimo somno obdormivit.

Antequam a Nutricibus discedam, non contemnendam cautionem pro illarum, ac infantum regimine, lubet proponere, nimirum, ut parciores sint in suis alumnis tam crebro lactandis, nec eos quoties plorant, ad ubera apponant; in hoc enim valde peccatur, centies enim in die lac præbent, & noctu magis, ne illos plorantes audiant, quo pacto se ipsas sensim exhauriunt, & infantes nimio lacte onerant, adeo ut Nutrix, & Infans misere ægrotent. Quomodo enim tenellus stomachus tantam lactis copiam conficiat, ut cruditates, aciescentiæ, coagulationes, & frequentes vomitiones non contingant, & mulier lactans ex continuo suctu non contabescat? Cautius profecto rusticanae mulieres nostrates filios suos alunt, quibus ter vel quater in die tantum lac præbent, sinuntque, ut plorent quantum velint, dum ipsæ agrestibus operibus intentæ sunt, exemplo a vitulis lactentibus, ut ipsæ ajunt, desumpto, quos non patiuntur, nisi ter singulis diebus è vaccæ uberibus lac sugere. Ob hunc nutricum abusum, tam fre-

(a) 2. Epid. Sc. 3.

(b) 2. de San. tue. c. 8.

quenter aluminos suos lactandi, forsan & iusta alimenti mensura, qua debeant
mos inolevit in *Anglia, Germania*, infan- ali, sub sensum cadat; qua de re egregia
tes pulte ex lacte vaccino, vitellis ovo- documenta exstant apud ^(a) *Helmontium*,
rum cum saccharo nutriendi, cum sic *Zod. Med. Gall. Etmullerum*, aliosque
puerorum regimen facilius institui possit, Scriptores,

(a) de Inf. nutrit. An. 3. Val. Inf.

De Morbis, quibus obnoxii sunt Oenopæi, Cerevisarii, & Zythopæi.

C A P U T XX.

Postquam ad fontes ejus liquoris, quo ip-
primum hausto vitali aere nutrimur, sive
diversati fuimus, modo ad alterius liquo-
ris, quo mensæ, & convivia hilarantur,
contemplationem lubet divertere. Offici-
næ itaque & cellaria, in quibus Oenopæi
autumnali tempore vinum parant; ac vi-
ni spiritum, aquam vitæ vulgo dictam,
per distillationem eliciunt, perlustranda,
& affectus examinandi, quibus tentari so-
lent hujusmodi Operarii. Neque vero de
temulentia, quæ a vino large hausto fieri
solet, hic mihi erit sermo, sed de ea, quæ
ex odore, & vini spiritibus per aerem di-
spersis, ac per os & nares cum aere admis-
sis contingit; tales enim ministri, licet ab-
stemii, tota die vinum elutriando, ac vi-
nacea e tinis educendo, propter operis
assiduitatem, ebrii persæpe fiunt, & omnes
ebrietatis noxas per sentiunt.

Cum inter præcipuos Mutinensis agri
proventus, in eo tractu præsertim, qui
Gubellum, & Scultennam interjacet, is sit,
qui e vino & vini spiritu obtinetur, cum-
que in tota Cispadana, & Transpadana Re-
gione nusquam uberius spiritus vini copia
habeatur, dum quotannis millena, & gran-
dia spiritus vini dolia Venetias, Mediola-
num, aliasque Urbes deferantur, spectacu-
lum visu dignum est, autumnali tempore,
magna ædificia, ingentes tinas, longum
dolorum ordinem una laboratorii, qui-
bus vinum distillatur, conspiciere. Quo-
niam vero experientia compertum est
multum vini spiritus ab ipsis vinaceis eli-
ci, propterea magnis trabibus vinacea in

ipsis tinis diu compressa detinent, sinunt-
que ut una cum vino ebulliant, ac fermen-
tentur ad menses, atque etiam per totam
hyemem; vino deinde in dolis reposito,
vinacea una cum vini portione in magna
vasa cuprea conjiciunt, sicque distillatio-
nem instituunt. Antea consueverant, quid-
quid succi vinaceis inesset, prælis expri-
mere, at cum observarint multo plus spi-
ritus vini a vinaceis impetrari, si, opere
licet laborioso, distillationi subjiciantur,
jamdudum præla a suis officinis proscri-
bere.

Operarii ergo dum operi adstant, & pe-
rfecta distillatione, e cupreis vasis vinacea
fumantia educunt, novaque indunt, ac vasa
spiritu vini plena in dolis reponunt, om-
nes fere temulenti fiunt. Licet autem mi-
nisterium istud, non in hypogæis, seu con-
cluso loco, sed in amplis porticibus id fieri
soleat, tanta nihilominus partium volati-
lium spiritus vini sit diffusio, ut qui non
assuetus in hæc loca pedem immiserit,
acutum odorem diu perferre nequeat.
Gallinæ quoque & reliquæ aves cortales,
sues, aliaque animalia, quæ in hisce locis
degunt, & calentibus vinaceis, e cadis
extractis pascuntur, temulenta fiunt. Qui
vero huic ministerio operam suam loca-
runt ad plures menses, ac per totam fere
hyemem in hisce ædificiis versantur, ve-
ternosi, vieti, macilentissimi, tristes, vertiginosi,
ac cibi parum appetentes evadunt.

Non incuriosa, neque contemnenda, pro-
vera temulentia causa cognoscenda, quæ-
stio est, quam facultate vinum ebrie-
ta-

tatem inducat, num acida, an alkalica, figente, an liquante. Quæstionem hanc satis erudite tractat *Etmullerus*, (a) qui varias Scriptorum opiniones recenset, & varia rationum ex æquo fere decertantium momenta adducit; ipse tamen *Tachenii*, *Bekii*, aliorumque pro acida inebriandi potestate sentientium, rationibus rejectis, alkalicam, ac sulphuream eam esse statuit, quæ vim inebriantem possideat.

Hac de re mihi olim cum doctissimo Viro, Chymicæ peritissimo, habitus est sermo, qui totam inebriandi facultatem acido volatili, quod in vino præpollet, & vi cuius e musto transit in vinum, adscribens, magni roboris rationes, & argumenta, ut id evinceret, mihi attulit, quæ hic compendiose referam. Vinum acidæ proprietatis esse ostendit, agebat ille. 1. Curiosum *Helmontii* (b) experimentum, quo vini spiritus temporis fere momento per spiritum salis armoniaci in offam albam concrevit, ac eo densiorem, quo purior urinae spiritus fuerit. 2. Effervescencia, quæ observatur in calente sanguine, si illi vini spiritus remisceatur, non secus ac si vitrioli spiritus superaffundatur, fit major. 3. Tincturarum, ut castorii, mirrhæ &c. cum vini spiritu paratarum per spiritum salis armoniaci præcipitatio, dum scilicet acidum vini volatile, spiritum alkalinum plenius saturatum aggreditur, & corpus, quod solutum continebat, dimittit. 4. Vini generosi per alkalina absorbentia, ut sulphur, oculos cancri, testas ovorum, talis enervatio, ut Martem non amplius aggrediatur, neque si destilletur, spiritum fundat, nisi paucum ac imbecillum. 5. Spiritus ardentis, ac inflammabilis ab ipso aceto extractio, ut chymicæ operationes testantur. 6. Remedia ebrietatem cum præcaventia tum curantia ex alkalicorum familia desumpta, ut semen Sinapi jejuno stomacho comestum, quod vulgi est euphorisum, pecudum pulmo asinus ex *Plinio*. (c)

Aliud quod commendat *Hippocrates* (d), ubi quis ebrius est, aut ad potationes ire velit, cujusmodi sunt omnia fere remedia ebriis adhiberi solita, quæ cum multo alkali turgere constet, nec ebrietatem, neque illius causam oppugnarent, imo graviores redderent, si vis inebriandi, qua pollet vinum, in parte sulphurea & alkalica sita esset. Hæc illi pro vini acido, quod ebrietatis auctorem facit; quibus rationes, & experimenta ex parte altera, ego quoque opponam, mox ad ea quæ a doctissimo Viro sunt allata, aliquid reponam.

Partem vini sulphuream & alkalinam eam esse, quæ vim inebriandi possideat. evincunt. 1. Spiritus vini inflammabilitas, cum satis constet, nullum spiritum manifeste acidum, & de quo non sit ambigendi locus, uti spiritum Vitrioli, Nitri, esse inflammabilem, imo talia potius ad inflammabilitatem tollendam apta esse, veluti observatur in pyrio pulvere, qui spiritu vitrioli irroratus ac postmodum exsiccat, non exardescit amplius, quod non evenit, si vini spiritu madescat. 2. Vini, ac illius spiritus usus in ulceribus, & gangrænis, ad compescendum scilicet acidum luxurians, & corrosivum, quo secatent ulcera, & a quo confoventur, alioquin pessimus esset in ulceribus spiritus vini usus. 3. Observatio constans, & indubia, quod nunquam visus fuerit vini spiritus, in acetum degenerasse, sed solum, cum veterascit, languidiorem fieri, cum vina, spirituosiori parte abeunte potius, quam depressa, plerumque acescant: nec non alia observatio satis nota, & perspecta, quod ubi vinum ad acescentiam vergat, per exigua vini spiritus portio obtineatur, quod in vinis pendulis & mucidis nequaquam evenit; hinc qui publicos proventus habent pro aqua vitæ promercali paranda, aliquo pretio quidem vina pendula, & corrupta emunt, ut e quibus aliquam vini spiritus portionem evocent, nullo vero

aci-

(a) Diss. de Temul. (b) De Aura Vitali. (c) H. N. l. 3. c. 14. (d) de Vic. Acut. n. 59.

acidula, quæ frustrante diligentia, non nisi phlegma insipidum, mox acrem liquorem exhibent. 4. Spirituum acidorum mineralium; ut spiritus Vitrioli, Nitri, &c. per vini spiritum dulcificatio, qui si acidus esset, & hoc nomine inebriaret, eosdem acidus spiritus non castigaret, & mitiores redderet, cum nullum simile aliud sibi simile infringat, sed roboret. (a) 5. Spiritus vini cum nitri spiritu notabilis effervescentia, cum ad invicem remiscuntur, qualis effervescentia naturam in vini spiritu. Nitri spiritui manifeste acido oppositam arguit. 6. Vini spiritus sine destillatione rectificatio, nimirum per iteratam Salis Tartari, Calcis cinerum clavellatarum infusionem. Etenim si vini spiritus ex acidorum familia esset, Sal Tartari, Calx, quæ inter alkalia primas tenent, vini spiritum haud quam rectificarent, ac fortiozem redderent, imo potius infirmarent, illius acidum absorbendo; licet autem dici possit sal Tartari phlegma absorbere, sicque vini spiritum rectificare; non apparet tamen ratio, quare Sal Tartari, acidum, quod vini spiritui inesse supponitur, non absorbeat; ac illo potius, quam phlegmate non saturetur. 7. Vina sacco percolata (quæ reliquis vinis non colatis, cæteris paribus, semper debiliora sunt, cum sacco frangantur vires, ut ait Plinius) facile aciescentia, ac præcipue cum æstatem senserint, quod in reliquis vinis non evenit, quæ a particulis spirituosioribus ab acore præservantur. 8. Vina generosa podagrigis minus noxia, quam vina tenuia, & acidula, sicut vina Rhenana, quæ a Sylvio (b) in arthritide damnatur, quia paucos spiritu volatili prædita sint, quod multo ante annotarat Crato (c), qui in consolatione medica pro articularis morbi doloribus, scripsit, eos qui tenuium vinorum usum innoxium putant admodum falli, sed salubrius esse, parva vini un-

garici, vel malvatici bibere; quam tenuia vina copiose haurire; hoc idem testantur (c) Helmontius, Vvillesius, alique gravissimi viri, qui vina tenuia & acidula prorsus improbant; ut quæ acidum multiplicando, dolores arthriticos adaugeant.

Ad ea porro, quæ superius pro acidum vini inebriativo, mihi a perito Chemicus objecta sunt, respondere possem, primo experimentum de coagulatione, & effervescentia spiritus vini cum spiritu urinæ tantum non esse, ut spiritum vini acidum naturæ esse evincat. Multa enim alkalica indolis inter se commixta effervescent, ut Sal Tartari, Oleo Tartari affusum, quod experimentum tradit celeberrimus (c) D. Jo: Bohn, quod non acido occulto tribuendum ait, quod Tartarus in sui solutione combiberit; cum aqua affusa Sali Tartari idem præstet; sicuti etiam multa acida inter se commixta effervescent passim observantur, & multa acida alkalicis mixta, sine subsequente coagulatione, adeo ut regula generalis statui nequeat.

Quoad ebullitionem, quæ fit in sanguine recens educto, quando illi permisceatur vini spiritus, non secus ac si spiritus Vitrioli affundatur; hanc satis variam, nec semper eodem modo respondentem deprehendi, cum sanguinis varia, ac diversa esse possit conditio, ac modo peccet in acidi, modo alkali exuperantia; quare quando notabiliter ebulliet, vini spiritu illi superaffuso, probabiliter credi poterit in tali sanguine superabundare acidum. Præcipitatio porro tincturarum cum spiritu vini paratarum, quæ per spiritum Sal. Armoniaci fieri observatur, non multum est roboris, siquidem multæ præcipitationes fiunt per aquam simplicem frigidam, ut in præparatione Resinæ Jalappæ, Mechoachæ; quare si vini spiritus inter acida connumerandus esset, ex regula

com.

(a) Etimull. Pyr. Ra. c. 10. (b) Appen. Pra. M. tra. 8. n. 204. (c) L. 2. Con. 27.

(d) In Volup. vixen, de And. Bru. p. 2. c. 14. (e) de Acr. in subl. infl. c. 4.

communi Chymicorum, quod ea, quæ solvuntur per acida, præcipitantur per alkalica; aquam oportet esse alkalicam. corpus, ut norunt omnes, insipidum non tantum & nullius acrimoniæ particeps, sed utriusque acrimoniæ acidæ, & alkalicæ correctivum.

Neque eadafferendam vini aciditatem, uti ebrietatis causam, sufficit, quod dicitur de vini enervatione per alkaliorum infusionem; etenim cum varia corpora ad invicem miscentur, fit novum concretum diversarum virium; sic aqua enervat tam acida, quam alkalia, & diluit quamcumque acrimoniam. Detur porro Chymicis, ab aceto forti per destillationem portionem aliquam spiritus ardentis elici, id tamen non evincet talem spiritum flagrantem esse de acidorum familia. Nullum enim corpus tam acidum, quam alkalicum tam simplex reperire est, quod de opposita vi aliquid in sinu suo non contineat. Quod porro spectat ultimam rationem a remediis ebrietatem curantibus, atque etiam præservantibus petitam, quæ de alkaliorum familia, ut plurimum sunt, dicendum ea potius morbi causam, quam morbum ipsum respicere, promovere nempe feri abundantiam ad vias urinarias, quo modo facilius est ebrietatis solutio, sicuti eadem vim habere præservativam; nam ex *Hippocratis* (a) oraculo, quæ facta tollunt, ante facta fieri prohibent. Cæterum acida quoque inter ebrietatis remedia, uti acetum, adhiberi solent. Acetum capiti applicatum, nec non epithema ex succo sempervivi majoris cum aceto commendat *Etmullerus*, (b) si testibus applicetur, quod remedium ait potenter ebrietatem discutere.

Ia alkali ergo volatile, seu sulphur narcoticum, quod vino infit, ac vim habeat humorum ac spirituum motum sufflaminandi, ebrietatis causam *Etmullerus*,

& alii referunt, quod ex tremore, stupore, soporositate, qualia observantur ex opio assumpto, deducunt. Verum an probabilius est vi ligandi, ac figendi a vino proscripta, vinum (quo nulla substantia spirituosior est, & sanguini ac spiritibus magis affinis) largiter potum, dum per venas dividitur, & caput petit, liquare potius, fundere, & articularum oscula per cerebrum disseminatarum referare, sicque totam cerebri systasim, multo sero irrorare, & emollire, ut nervorum tonus laxetur, & præarrata accidentia subsequantur? An idem etiam de opio affirmandum, nimirum quod humores, ac spiritus nequaquam vinciat, & increasset, ut creditur, sed potius alkali suo volatili, ac fumoso fundat, ac liquet, ut ex illius vi diaphoretica, & diuretica, de qua nemo ambigit, conjectare licet? Profecto in hac re doctissimo *Vuillisia* (c) non parum hæret aqua, ait enim *qualitates quas opio sanguinem figendi, increassandi nonnulli attribuunt, se non tam facile deprehendisse*. Quidquid sit de opii facultate seu figente, seu liquante, id enim disquirere modo non vacat, hoc ausim de vino, ac illius spiritu asserere, quod licet eadem fere accidentia ac opium invadat, veluti tremorem, torporem, somnum profundum, aphoniam &c. diverso tamen operandi modo, ab opio hæc efficiat; in soporati enim ab opio pulsus exilis, tardus, pallorem, faciem cadaverosam, extremorum perfrigerationem deprehendo, in ebriis vero ex liberali vini potu, seu illius spiritu, pulsus validos, faciem rubentem, flammantes oculos, & venarum inflationem ut plurimum observo, unde *Virgilius* (d) Silenum suum ebrium describit.

Inflatū hesternæ venas, ut semper Jaccho.

Hujusmodi autem feri e massa sanguinea in cerebrum diffusionem ab impetu faciente vini spiritu excitatam, ipsamet-

te-

(a) 3. in 6. Epid.

(b) De Vig. & Som. c. 3.

(c) pla. Ral. l. 1. Sc. 6.

(d) Eclog. 6.

testatur autopsiam mortuis enim ex ebrietate, cranio dissecto, repertum est cerebrum multo fero lactescente perfusum, veluti videre est apud *Theophilum Bonetam* (a). Hanc feri fusionem attestatur pariter crapulæ solutio, de qua *Hippocrates* (b), licet enim cita vomitio multum conferat ad ebrietatis noxas minuendas, vera tamen solutio, per copiosam diuresim habetur, fero exundante ad urinarias vias amandato; adeo verum est vulgatum illud, vinum sanare eas dispositiones, quas facit, facultate nimirum qua pollet, humores extenuandi, & urinas eicendi, quod pariter innuere visus est *Aristoteles* (c), qui disquirens quare crapulam minus sentiant, qui dilutum, seu mixtum, quam qui merum bibunt, præter alias rationes hanc affert, *quod merum, sicut cætera, ita se ipsam concoquit*. Aliquem ebrietatis usum excogitarunt Antiqui, ut apud *Hippocratem* (d) videre est. *Mnesitheus* Medicus Atheniensis, in epistola de liberaliore potu, apud *Athenæum* (e), & *Langium* (f). Accidit autem, aiebat, ut qui se plurimo mero ingurgitarint, corpus & anima graviter offendantur; verum quodam dierum intervallo inebriari, videtur mihi corpus expurgare, & animum recreare. Coacervantur enim in nobis ex quotidiana potatione quadam humorum acedines, quarum opportunissimus est per urinam exitus, & purgatio per computationem maxime competit, abluitur enim corpus. Lacones ergo ex antiquissimo Medico *Mnesitheo* corpus per urinam & vomitum expurgabant: & animum *φθονόλας* poculo exhilarabant.

Non semel, nec sine admiratione mihi observare contigit, autumnali tempore, cum plenis spumat vindemia labris, & assidua fit vini elutriatio e tinis in dolia, eos, qui huic operi in cellariis adstant, ma-

gnam urinæ profusionem experiri, ita ut centies in die mingant, & urinam reddant tenuem ac limpidam aquæ ad instar. Id autem non aliam ob causam fieri crediderim, quam ob magnam spirituum e vino emanationem, qui spirituales vias subeant, & in massa sanguinea feri fusionem efficiant. Sic vinum recens expertus sum, diuresim multo liberalius promovere, quam vinum vetus, licet meracum, & generosum, adeo ut ubi feri redundantiam per urinarias vias educere consultum fuerit, vinum recens, sed percolatum, ac partibus crassioribus depuratum, vino veteri præferre non verear.

Ut autem in semitam redeamus, sanguineam massam in hisce operariis a partibus vini volatilibus, quibus ad saturitatem oppletus est aer, primo affici, ac in motum fermentativum cieri, deinde spiritus animales, censendum est: quantum enim sit sanguini cognata res vinum, nemo non novit, neque inepte *Androcydes* sapientia clarus, apud *Plinium* (g), ut *Alexandrum M.* ab intemperantia cohiberet, illum monuit, ut quando vinum potaturus esset, meminisset, se bibere sanguinem terræ. Ob eandem affinitatem, afficiuntur spiritus animales, quorum tam ingens copia ex perenni, qui suggeritur, vini spiritu generatur, ut intra cerebri loculamenta hospitari nequeant; hinc totius animalis regiminis perturbatio, non secus, ac in apum *Repub.*, cum ob nimiam illarum foeturam, quæ examen suppleverit, oriuntur turbæ; sic vertigines, stupiditates, capitis dolores, non secus ac in ingenti plethora vasis distentis, subsequuntur, ac postremo ex totius naturalis œconomix perversione macies, virium languor, & superius recensita accidemia, quæ in assuetis quidem mitiora sunt, graviora vere in iis, qui se primo huic ministerio addixerint. Refert *Zacutus*

(a) Sepul. p. 1. sc. 13. ob. 87. (b) 5. Aph. 5. (c) Sc. 3. pr. 3. & 22. (d) 3. de dia. n. 22.
(e) L. 11. c. 10. (f) L. 1. Ep. 30. (g) L. 14. H. N. c. 5.

tus Lusitanus (a), Aulicum quendam, cum in villam concessisset, in cellam vinariam forte ingressum, ita a vini odore percussus fuisse, ut in terram syderatus deciderit, & intra horas expiravit.

Idem quoque contingere his in regionibus, ubi pro vino conficitur Cerevisia, veluti in *Germania*, *Anglia*, ac penes omnes Septentrionales populos, satis perspectum est. Cum enim dictis in locis, licet floreat vites, ut plurimum tamen non maturescant botri; propterea ex hordeo, & seminibus cerealibus, quibus abundant, ad germinationem fermentatis cum lupulorum folliculis potionem sibi parant, qua passim loco vini utuntur, ac illius potiores *haud aliter titubant, quam si mera vina bibissent*, ut de aqua *Lyncestrii* amnis cecinit *Ovidius* (b). Antiquitus Septentrionales populos similes potiones parare sibi consuevisse ex *Virgilio* (c) habemus, his carminibus, ubi de gente Septentrioni subiecta sermonem habet.

Hic nocturna ludo ducunt, & pocula lati

Fermento, atque acidis imitantur vi-tea sorbis.

Sicuti ergo a doctis viris accepi, & apud scriptores literis traditum est, operarii, qui in hypogæis ad cerevisiam parandam incumbunt, iisdem fere affectibus vexari solent, quibus apud nos oenopœi, & vini destillatores; sicuti enim huiusmodi potionum genus non modicam vim inebriandi possidet, ut ex cerevisia spiritum ardentem, quem *Platerus* (d) lupulis adscribit, liceat extrahere; ita qui potiones huiusmodi præparant, digerunt, ac in vasis recondunt, capitis doloribus, vertigine, anxietate tentari solent. Inter cerevisiam ac vinum multum equidem convenit; nam sicuti vinum, cum verno tempore florent vites, ob odorata effluvia, per aerem dispersa, non exiguum al-

terationem perferunt, uti omnes norunt, hoc idem contingit in cerevisia, quam ajunt florente hordeo non parum turbari, teste *Helmontio*; & sicuti vinum, ac illius spiritus immodice potus, appetitum prorsus deiecit, sic idem prorsus cerevisia efficit recentior pota, teste eodem *Helmontio* (e), qui tradit fermentum stomachi ab illa infringi atque enervari. Facilitatem hanc inebriandi, quam habent portiones ex hordeo factæ admirans *Plinius* (f) scripsit, *mira vitiorum solertia inventum esse, quomodo aqua inebriaret*.

Quibus ergo præsidis ars medica oenopœis, ac vini destillatoribus succurret, qui labores suos impendunt, pro re tanti momenti ac necessitatis elaboranda, tum ad vitam sustentandam, tum ad elegantiora, ac præstantiora remedia concinnanda, adeo ut si vini spiritu Chymicorum officinæ carerent, ad tantum existimationis fastigium nunquam Chymica ascendisset. Artem hanc destillandi, & separandi varias ac diversas substantias, quæ vino insunt, mente concepit, ac in votis habuit *Galenus* (g), qui scripsit, *se pericula omnia subiturum, siquam machinam, aut artem invenire posset, sicut in lacte, contrariarum partium separationis, ita in hoc quoque*. Ego igitur, quotiescumque huiusmodi artifices curandos habeo, si ex prædictis affectibus decumbant, seu cum in illorum officinas pedem immisi, suasor sum ut a vino, eo magis a vini spiritu, abstineant, ac prorsus abstemii fiant, per totum illud tempus saltem, quo tali ministerio operam suam locarint; sicuti ut quantum possunt ab halitibus, qui e vino expirant, faciem avertant, eamque frigida identidem perfundant, nec non ut a suis ergasteriis, ad auram liberiores captandam interdum pedem efferant. Ubi vero actu decumbere cogantur, opere dimisso, ea

Tom. II.

(a) De prin. Med. hist. l. l. h. 6.

(b) 15. Met.

(c) 3. Geor.

(d) T. p. Pra. M. d. c. 3.

(e) De fame læsa.

(f) L. 14. H. N. c. 22.

(g) L. 1. de simp. M. c. fac. c. 17.

remedia præscribenda, quæ ad temulentiam & affectus temulentiam comitantes curandos adhiberi solent, quæ de re consulantur Auctores, ac præcipue inter cæteros *Etmullerus* (a); talia autem sunt v. g. acetum, castorium, spiritus salis armoniaci præcipue; nihil enim est quod efficacius vitia, ex vini abusu contracta emendet, quam id, quod de spiritu volatili urinoso participet.

Multa quoque recenset *Plinius* ad ebrietatem præcavendam, quæ vulgo satis perspecta sunt, ut amygdalæ amaræ, brassica, & dulcia fere omnia, quibus Recentiores multa addidere, qualia sunt, quæ *Platerus* in sua *Praxi Medica* longa enarratione ad tædium u. que proponit; popularium enim suorum conditionem mi-

(a) De Temul.

sertus, cum scribat tanquam civile quoddam introductum fuisse, in conviviiis potculis certare, prolixam remediorum ab ebrietate præservantium seriem recenset, ut absinthium, rutam, lac, pulmones animalium assos, poscam, poma acida, tum composita medicamenta, ut electuaria, ac varias mixturas, quæ prius sumpta ab ebrietate præservent.

Operariis id genus, quibus tam conquisitis remediis, ob ipsorum miseram conditionem, uti non datur, simplicia potius, ac facile parabilia remedia erunt ex usu, ut brassica, cujus per tot secula commendatur virtus, ad ebrietatem tum præcavendam, tum sanandam, raphanus, aqua aceto diluta, quam *Platerus* ebrietatis antidotum appellat.

De Pistorum & Molitorum Morbis.

C A P U T XXI.

Multas esse artes (quibus ars medica annumeranda) quæ illis, quibus earum cognitio contingit, multum laboris ac molestiæ exhibent, illis vero quibus earum usus indigent, jucundæ ac utiles existant, scripsit *Hipp.* (a). In hujusmodi artium censu *Ars Pistoria* profecto collocanda est; quid enim hominum vitæ utilius, imo quid æque necessarium, ac panificium? Quodnam vero opificium magis incommodum, ac molestum suis artificibus, veluti ex laborata cerere? sive enim farinam cribrent, seu pinsant, ac pastam subigant, seu panem in furnis coquant, multis laboribus ac tædiis fatigantur, ideoque variis morbis conflictari solent. Pistores ut plurimum nocturni sunt artifices, dum enim cæteri diurno labore expediti somnum capeffunt, ac vires detritas reficiunt, hi tota nocte exercentur, mox per totam fere diem, tanquam soli-

fugæ, somno indulgere coguntur, adeo ut in ipsa Urbe habeamus Antipodes, contrario scilicet vivendi genere degentes.

Surgite, jam vendit pueris jentacula Pistor.

ajebat *Martialis*, nocte scilicet elaborata & percocta: albescente enim die, ac urbana plebe ad consueta exercitia redeunte, panis copiam paratam esse necesse est, alioquin seditionem moveret venter. Quales enim turbas in magnis Urbibus excitarit interdum panis deficientia, satis loquuntur historiae, & nuper *Hispaniarum Regis Aula* hanc ob causam populares motus non parum extimuit; hinc *Juvenalis* (b), ad plebem in officio continendam, *Panem, & Circenses* commendabat, annonæ scilicet abundantiam, & spectacula.

Primum ergo qui farinam a fursure cribratoris machinis secernunt, saccos ex-

cutiunt, versant, ut ut faciem custodiant, non possunt tamen, quin, dum pro respirationis necessario usu aerem hauriunt, volitantes farinæ particulas excipiant, quæ cum salivari succo fermentantur, & fauces non solum, sed stomachum, & pulmones pasta infarciunt; unde facili negotio tussiculosi fiunt, anhelosi, rauci, ac demum asthmatici, trachæa, & pulmonaribus viis incrustatis, liberoque aeris commercio impedito. Oculos quoque non parum perstringunt, quæ iis hærent farinæ particulae, ac lippitudinem non raro inducunt.

Nullam ab hisce noxis præservatoriam cautionem, quam possim suggerere, habere me fateor; illorum consuetudinem fascia linea os sibi obvelandi commendo, aut id non satis est, quin una cum aere inspirato farinæ atomi pectoris penetralia irrepant. Morem hunc, pistorum, ori sudario obvoluto, capistrandi, perantiquum fuisse constat, uti apud *Pignorium* (a) in opere elegantissimo de servis videre est, ubi auctoritas *Athenai* affertur; id tamen non pietatis officio factum fuisse constat, sed Sybaritico luxu, ne scilicet sudor ex ore distillans influeret, aut subactam farinam halitus afflaret. Hisce operariis proderit, si aqua faciem perfundant, si oxycrato fauces persæpe colluant, si oxymelite utantur, si identidem purgationem aliquam instituunt, aut cum a respirandi difficultate premuntur, emeticum aliquod capiant, ut impactæ materiæ excutiantur, quo remedii genere, ex his nonnullos animam pene agentes, restitutos vidi.

Qui porro pastam manibus pinsunt, subigunt, ac in panem, & placentas efformant, coquunt, cum ut plurimum in hyemacausis, hyeme præsertim, ut panis bene fermentetur, opus suum perficiant, ubi e loco impense calido ad aerem externum exeunt, ac domos suas repetunt, ad somnum captandum, facili negotio in

magnas pororum cutis adstrictiones incidunt, unde postea gravedines, rucedines, ac pectoris morbi, ut pleuritides, peripneumonix suboriantur; quibus affectibus, adeo popularibus, qualia remedia sint adhibenda, nemo non novit. Non pauci tamen momenti erit nosse, qualis fuerit causa occasionalis; quare ad naturalem corporis perspiratum restituendum erit præcipue incumbendum, ægrum in calido conclavi detinendo, frictiones cum oleo adhibendo, intrinsecus vero ea, quæ diaphoresim promoveant, in usum revocando. Non sine admiratione quidem in hisce operariis magis, quam aliis hominibus, observavi, quod graves pleuritides, vel in ipso morbi principio sine ulla fere expuitione, liberali sudore erumpente, judicentur; quod fit, ut reor, quia in hujusmodi casibus acuta febris, morbus primarius a lateris dolore comitatus, a causa externa, subita scilicet pororum cutis occlusionem, ortum potius, quam a pravo humorum apparatu duxerit; adeo ut cutis spiraculis reſeratis, ac manante sudore, solvatur febris una cum dolore pleuritico; resorpta scilicet, quæ in pectus fluxerat materia, ac cessante ejusdem fluxuræ rejectione; adeo refert, ex *Hippocratis* (b) monito in *Stymargi* famula *devenire ad occasionem, & occasionis initium*.

Interdum pistoribus inflari manus observavi, atque etiam una dolere; omnibus autem hisce artificibus præter morem crassescunt manus, quod evenit ob continuam pastæ manuum pressione subactionem, succo alibili ab arteriarum osculis abundanter expresso, ibique detento; nec tam facile ob fibrarum structuram remeante. Artem autem suam facile produnt pistorum, dummodo manus ostendant; nemo enim inter mechanicos operarios est, qui manus habeat crassiores. *Exercitium siquidem, ut ait Avicenna, magni*

fiat membrum, quod in alio quoque ministerio verum deprehenditur. Lotiones manuum ex lixivio, vino albo generoso, ac similibus erunt ex usu.

Aliud quoque pistoribus malum accidit, omnes enim facile videas valgos fieri, h. e. suris extrorsum intortis, quales habent cancri, & lacerti; cum enim in Cispadana, & Transpadana Regione pro more habeant super solidam tabulam, seu tripodem tereti ligno figuræ conicæ tripodis capiti affixo, ut circumvolvi possit, cum inquam pro more habeant, magnam pastæ molem subitam prædicto ligno ex alto deducto, magna vi brachiorum & genibus quoque premere, alio interim pastam versante, contorquentur crura ad externa, cum ea in parte imbecillior sit genuum articulatio. Huic malo nullum est remedium, nam licet juvenes sint, & robusti, cito valgi fiunt, & progressu temporis claudi.

Inter pistorum melior forsitan conditio eorum est, qui panem coquunt; etenim si ex nimio calore, dum panem furnis inducunt acedunt, noxas non leves patiuntur, æstate præsertim dum toti sudore disfluunt, non parum tamen a panis calentis odore reficiuntur; panis enim recens victum analepticum suggerit, ac solo odore spiritus exhilarat, ut de *Sal. volatili Plantarum* notat *Vvedelius*(a), & in sua *Physica subterranea* *Becherus*(b), qui virtuti perlarum confortativæ panis odorem præponit.

Hujusmodi artificum genus frequentius quam reliquos operarios ægrotare observavi, in populosis Civitatibus præsertim, ubi minori impendio, ac lubentius plebecula panem emit, quam sibi illum domi conficiat, secus quam fieri solet in parvis oppidis ac villis, in quibus sibi quilibet pinfor est. *Romanos* quoque ab urbe condita usque ad annum DXXX. Pistores non habuisse, cum *Quirites* ipsi sibi pa-

nem domi conficerent, idque opus esset pistrinum, tradit *Plinius* (c); postmodum vero urbe populosissima facta, pistorum opus per publicos servos inductum. Ubi ergo hujusmodi artifices curandi occurrant, ex quocunque morbo ægrotent, non parum conducet ad affectiones, quibus ex artis conditione sunt obnoxii, animum diligenter advertere.

Frugum quoque molitores, quos ex farinæ volatu semper candidatos esse necessum est, in eodem albo describere non abs re arbitror; frugum enim in tenuissimum pollinem tritarum volitantes particulae, totum molendini spatium implent, quare velint, nolint, os, nares, oculos, aures, & totum corpus farina conspersum gestant: ex his itaque non paucos asthmaticos factos, ac tandem in hydropem lapsos observavi. Herniosi quoque fieri solent, dum fumentum ac farinæ saccos humeris gestant, disrupto aut laxato peritoneo; quia vero diu noctuque inter rotarum & molarum strepitum, ac ex alto cadentium aquarum sonitum degunt, omnes ut plurimum surdastri sunt, aurium tympano ab obiecto fortiori, quam par sit, assidue verberato, ac e tono suo dejecto.

Observatione dignum est, quod Molitores, sicuti & Pistorum, phthiriasi, hoc est pediculari morbo ut plurimum laborent, adeo ut vulgus pediculos per jocum, pulices albos molitorum appellet. Num id contingat, quod hujusmodi operarii sordibus fere semper involuti sint, ac raro vestibus exuti somnum capiant; seu quod farinæ mixtura cum cutaneis sordibus talium animalculorum foeturæ multum conferat, non satis liquet; certum est tamen omnes fere molitores hujusmodi satellitio armatos, semper incedere, idque si *Danieli Hinsio* notum fuisset, profecto in elegantissima sua oratione *de laudibus pediculi ad conscriptos Mendicorum*

rum Patres, molitoribus dignum locum concessisset.

Gravioribus sane morbis antiquitus, quam hac nostra ætate, tales operarii exercebantur. Non enim hæcæ machinas ad fruges in farinam terendas habebant veteres, quales nos habemus, aquæ ministerio per incile delabentis, & ingentes rotas versantis, quamvis apud *Palladium* (a) scriptorem antiquum aliqua sit mentio de frugum tritura aquæ beneficio; loco enim citato scribit, *quod si aquæ copia sit, fursam balnearum debeant pistores suscipere, ut ibi formatis aquariis molis, sive animalium, sive hominum labore, frumenta frangantur*. Pistrinis antiquitus utebantur, ut frumentum molerent, quorum usus nunc est ad tundendas, & fruges suis membranarum seu spoliandas, seu frangendas. Quare non solum a jumentis, sed etiam ab hominibus, servis, ac mulieribus circumagebantur molæ; unde nomen traxere molæ trusatiles, cum totis viribus in gyrum truderentur; alicujus sceleris rei propterea ad pistrinum vincti, pœnali opere ducebantur; sic apud *Plantum* nil magis frequens ac servis magis ominosum, quam pistrini nomen. *L. Apulejus* le asinum factum *velata facie molæ adstrictum fuisse*, ait, *ut calcans vestigia sua incerto errore vagaretur*. *Sampsonem* quoque a *Philistæis* excoecatum ad versandam molam (quam trusatilem profecto fuisse credendum est) ex sacris codicibus habemus; servis autem huic operi addictis, ne a vertigine infestarentur, oculos fodere consueverant.

Opus ergo laboriosissimum istud erat, cui servi & ancillæ addicebantur, & quod huiusmodi Operarios cito conficeret, gravissimis morbis illos enecando. *Job* (b) id.

circo inter alias imprecationes pro miseriarum complemento, hanc quoque recensuit. *Molat, inquit, alteri Uxor mea*, id est, ut *Vatablus*, ac alii *Interpretes* exponunt *fiat vilis Ancilla*; quamvis non delint, qui dictum istud ad turpia detorqueant, de quo vid. (c) *Augustinus Pfeiferus* de antiquitatibus Hebraicis. Apud *Romanos* quoque magnus erat Pistrinorum numerus, & quælibet Romanæ Urbis regio determinatū Pistrinorum numerum habebat, quem notat *P. Victor* de Urbis Regionibus. Postquam autem ubique fere locorum, si aquæ copia suppetat, molæ aquariæ ad meliorem usum sunt redactæ, nullus alius est Pistrinorum usus, quam ad tundenda, seu findenda grana; hinc sublato per Christianam Religionem servitutis iugo, non tam grave & asperum est molitorium opus, nec adeo morborum frax, ut prius temporibus. Eadem ergo Molitoribus, ac Pistoribus curatio adhibenda, ubi a volatili farina per os excepta læsio contigerit; quod si a pöderum gestatione heriosii fiant, subligaculo utantur, quod etiā ad huiusmodi affectum præcavendum gestare possent, uti ipsis suavisior esse soleo.

Ad animatam vero pediculorum pestem abigendam, primo mundities erit procuranda, ac indumenta crebro mutanda; commendantur in specie lotiones ex decoctione Absinthii, fol. persici, centauriæ, staphysagriæ, lupinorum; tursur aceto mixtum a *Q. Sereno* pro tali morbo celebratur, præ cæteris vero multæ sunt efficacæ linimenta, quibus aliquid mercurii saliva extincti fuerit admixtum; commoda quoque sunt in hanc rem lintea, quibus Aurifabri utuntur in detergendis vasis post deaurationem.

CAPUT XXII.

Non vulgares quoque sunt noxæ, quas pati coguntur, qui circa *Amyrum* parandum exercentur; satis vulgatus est modus illud conficiendi, nullaque ferè est muliercula, quæ illum igaret, perfrequens enim est Amyli usus ad lineas vestes, & collaria dealbanda. In hisce Regionibus Monialium est opificium, quod postea Pharmacopolis, aliisque divendunt. Æstate igitur, cum Amylum parare volunt, triticum in aqua ad germinationem usque maceratum in marmoreis vasis reponunt; aliquis deinde ex illorum servis triticum sic emollitum, nudis pedibus terit, non secus ac cum vindemiæ tempore premuntur uvæ; quamvis autem sub dio id faciant, tam gravis tamen est odor, qui ex spumante illa materia exhalat, ut qui pedibus eam premit, ac superstat, nec non servulæ, quæ manibus materiam illam pressam colligunt, ut inde succum sole exsicccandum eliciant, de capitis dolore valde conquerantur, nec non de gravi respirandi difficultate, tussi molestissima, ut opus aliquando cogantur intermittere, ni suffocationis periculum subire velint. Id ego persæpe observavi, ac revera mihi intolerandus ille odor videbatur, qui nescio quid acidi penetrantissimi redolere visus est. Acidum enim volatile, quo triticum turget, ob fermentationem in motum concitum, a reliquarum partium consortio secedere, & in auras magna ex parte evolare, arbitrari licet; hanc ob causam capitis dolores, dyspnœam, tussim excitare aptum est: nihil enim molli pulmonum texturæ, ac mēbranosis partibus est magis hostile, quàm acida exalatio, qualis est fumus ex sulphure, aliisque acorem spirantibus.

Hoc Opearios monere soleo, ut in aprico, & quantum possunt, in ampliori

spatio, nō in cōclusis locis, opus huiusmodi perficiant. Quoties vero gravem aliquam noxam exinde contraxerint, oleum amygdal. dulcium, emulsiones seminum melonum, ptisana hordeacea, haustus vini generosi, odor spiritus salis armoniaci, aquæ theriacales fuerunt ex usu.

Huiusmodi occasione lubet paululum Amyli naturam, ac indolem penitus perscrutari, quam suspicari licet aliam forsitan esse, quam quæ a *Medicis* passim statuitur. Unanimi fere cum veterum, tum recentiorum consensu, supponitur, Amylum acres humores temperandi, fluxiones sistendi, ulcera sanandi vi pollere. *Plinius* (a) in sanguinis rejectione, in vesicæ dolore Amylum commendat. *Galenus* (b) in ventris profluvio, in asperæ arteriæ inflammationibus, oculorum lacrymatione, ac ubi opus sit partes ulceratas mollire, & lævigare, multis laudibus Amylum extollit. *Vallesius* (c) de Sacra Philolophia factum *Elisæi* exponens, qui farinam conjiciendo in olla, ubi cocta fuerat colocynthis, amarorē corripuit, Amylum ad dysenteriam sanandam, & quamcumque acrimoniam hebetandam, cæteris remediis præfert; hoc idem sentiunt quicumque de Amylo scripserunt.

Hæc opinio mihi quoque sat probabilis semper visa est, non solum quod Amylum sit ad gustum res fatua, ac prorsus saporis experta, adeo ut tanquam egregium acris materiæ absorptivum, & prædictis affectibus maxime accommodum credi possit, sed quia persuasum haberem, in illius præparatione quidquid acrimonix, & acoris frugis fermentatæ inesset in auras exspirasse, ac di radiis solaribus æstivis exsicccandum apponitur, aqueum humorem acredinis participem absumptum fuisse; nam, ut ait *Gorræus*, (d) sub ardentissimo sole est exsic-

(a) Lib. 22. c. 25. H. N. (b) De Sim. Med. fac. 2. de Comp. Med. 2. loc. (c) C. 36. (d) De Sim. Med. cap.

candum, ne si paulisper madidum relinqua-
tur, acorem contrahat; at mulierum ob-
servatio amyli naturam non parum sus-
pectam mihi reddidit, ut illius candori non
multum sit fidendum. Cum in hisce re-
gionibus satis frequens sit amyli usus in
cunctis fere domibus, ac præsertim apud
religiosos ordines, ad vestes dealbandas,
& solidandas, ut variis plicaturis elegan-
tiores redantur, observant passim mulie-
res, quæ in hoc ministerio præstant, quod
ubi tunicæ lineæ ad aliquod tēpus, amy-
lo sic imbutæ persisterint, observant in-
quam, quod cito arrodantur; quare ut id
præcaveant, ubi nigrescere cœperint, il-
las aqua simplici eluunt, amyllum deter-
gendo, sicque illas asservant, donec suo
tempore lotricibus a sordibus expurgan-
das tradant. Hujusmodi observatio amy-
lo non levem inesse acrimoniam abscondi-
tam, & quæ ad gustum non tam facile se
prodat, abunde testatur; etenim si amy-
lum ad aliquod tempus tunicas, collaria,
& quodcumque ex lino contextum opus
arrodit, qua fide igitur in morbis pectoris,
in faucium asperitate, in dysenteris, ac
ubi mollire opus sit, ut ait Galenus(a), tam
confidenter illud exhibebimus? *Pli-*

nus (b) ipse, licet in his affectibus, ut pau-
lo ante dictum, illud commendavit, sus-
pectam tamen esse illius naturam prodi-
dit. *Amylum* (inquit ille) *hebetat oculos,*
& gula inutilis est, contra quam credi-
tur. Laudanda certe in hac re est quarum-
dam mulierum observatio, quæ, ne amy-
lum tam facile arrodatur, gummi arabicum
illi permiscet.

Non pauca certe existere credendum
est, quorum usus communis est, sed quia
sensum, ac tacito pede noxas suas infe-
runt, innoxia putantur, donec casus ali-
quis occultam pravitatem ostendat; sic in
genere alimentorum multa facile videntur
in stomacho concoqui, quæ in venis pra-
vos succos postmodum relinquunt; hinc
scite *Avicenna* (c). Ille, inquit, *in quo*
mala digeruntur nutrientia, ob hoc non
decipiatur, quoniam post diēs in ipso ma-
li generabuntur humores aegritudinem
facientes, & pernecantes; quod idem scri-
psit *Galenus* (d), dum alimentorum fa-
cultates examinaret. *Nobis enim non ad-*
vertentibus, pravus succus post longum
tempus in venis colligitur; qui postea exi-
guam ad putredinem occasionem nactus,
febres malignas accendit; inquit ille.

(a) L. 22. c. 5.

(b) H. N. l. 22. c. 25.

(c) 3. p. Do. 2. c. 6.

(d) 2. de Alim. fac. c. 6.

De Morbis, quibus Frugum Cribratores, & Mensores vexari solent.

CAPUT XXIII.

Frugēs omnes, ac præcipue triticum,
sive in puteis, & scrobibus, veluti
mos est in *Hetruria*, reconditæ, sive in
horreis, & sub domorum tectis, ut in to-
ta *Cispadana*, & *Transpadana* regione,
pulverem subtilissimum semper admixtum
habent, non ex eo solum, quem ex area
ob trituram referant, sed alium peioris
notæ, quem eadem fruges, cum diu asser-
vantur, ex semetipsis dimittunt. Siqui-
dem cum multo sale volatili semina cerea-
lia turgēant, adeo ut, si non bene ad soles

æstivos exsiccata recondantur, summe in-
calecant, ac in pulverem quam citissime
faciscant, ex his semper tenues particule
ex cortice, quo vestiuntur, decedunt; qui-
bus accedit pulvis residuus, & caries ex
frugum consumptione, quam faciunt ti-
næ, teredines, curculiones, aliæque fru-
gum pestes, & illarum excrementa. Hinc
quoties frumentum, aliasque fruges ad
molendum cribrare necesse sit, vel metiri,
cum a rei annonariæ negotiatoribus huc,
& illuc convehuntur, cribratores, & men-
so-

Tores ab ejusmodi pulvere adeo graviter infestari solent, ut opere peracto, artem hujusmodi mille diris ejurare consuecant. Fauces, pulmones, oculi labem non parvam perferunt; fauces enim illo pulvere replentur, & exarescunt, pulmonares fistulae pulverulenta materia incrustantur, unde tussis sicca ac ferina subsequitur; oculi pariter valde rubent ac plorant. Sic omnes fere, tum cribratores, tum mensores, qui ex tali arte victitant, anhelosi sunt, cachectici, ac raro consenscunt, quin facillime in orthopnoeam, ac tandem in hydropem decidunt. Talem porro acridinem habet is pulvis, ut pruritus ingentem per totum corpus excitet, qualis in esseris interdum observatur.

Quare ex fruge tam benigna, qualem est triticum, tam perniciosus pulvis emanet, interdum admirans, suspicari coepi, latitare in illo pulvere vermiculos, sensibus impervios, eosque in cribratione, ac mensura frugum in motum cieri, ac per aerem dispergi, qui postea facile cuti haerentes talem ardorem, ac pruritus per universum corpus possint excitare. Celebrissimus *Ant. Leuwenæk* (a) suis Microscopiis tradit, se in frumento quosdam vermiculos observasse, quos, nec inepte, lupos appellat; verminosam itaque progeniem eam esse, quæ hosce Operarios tam graviter infestet, sat probabiliter credi poterit.

Non minus quoque admiratione dignum, quomodo ex tritico, ubi diu in loco concluso, veluti in locis subterraneis, uti mos est in Hetruria, asservatum fuerit, tam noxia exhalatio elevetur, ut satis sit ad necandum, si quis in dicta loca pedem immittat ad frumentum eximendum, nisi prius permittatur, ut referato ostio per socialis aura paulisper exspiret. Hanc ob causam putat *Zacchia* (b), non solum prohiberi posse vicinos, ne tales frumentarios puteos construant, sed etiam cogi, ut constructos destruant; monetque civi-

tatum salubritati magis prospici, si tales putei apricis in locis, quam longe ab incolarum habitatione construantur. Sapienter sane *Lucensis Resp.* pro more habet, uti accepi, quotannis Augusto mense, frumentum e publicis horreis eductum, & cribratum solaribus radiis per aliquot dies exponere, ac postmodum in priorem locum recondere, quo pacto ad plures annos a teredine & corruptione frumenta sua publicum in bonum præservant.

Cur autem triticum magis quam aliæ fruges, pulverulentum fiat ac minus longævum, quærit *Theophrastus* (c), & causam refert in horrea, opere tectorio lævigata, calce nempe & arena illita; Sic enim ait, *triticum plus caloris sentire, ac pulverem calidum & siccum, calceisque illinimentum calorem fovere*, hancque ob causam putrescere, ac in pulverem dissolvi, quam rationem haudquaquam approbat *J. C. Scaliger* in hujus loci commento; ea enim, quæ calida sunt, & sicca, inquit ille, tantum abest, ut ad putredinem disponant, ut potius ab illa præservent. Putat ergo, pulverulentum triticum fieri, eo, quod acervatum sufficientem non habeat transpiratum; *quod enim suffocatum est, fervet ac putret*, ait ille; at ratio isthæc non plane satisfacit; observatione etenim satis compertum est, frumentum, si tamen siccum, & bene custoditum in horreis fuerit repositum, diutius conservari, si multum sit, atque confectum, & nunquam agitetur. Facilem ergo tritici in pulverem fatiscentiam, ac illius minorem longævitatē, quam cæterarum frugum, ex copia partium volatiliū, quibus ad turgentiam saturatum est, nec non a laxiori ejusdem textura lubet deducere.

Multæ in hanc rem curiosæ quæstiones examinandæ occurrerent, ni vereretur, ne a proposito (quod mihi procul dubio objectum iri existimo) nimis longe digredi possem. Disquisitione præfecto dignum esset,

(a) Arc. Nat. Ep. 71.

(b) Quæst. Med. leg. l. 5. Tit. 4. Q. 7.

(c) L. 1. c. 17. de hist. Plan.

set; quare Lolium, quod probabiliter esse creditur degener tritici soboles, quando ob ingentes vernaes pluvias triticum in lolium degenerat, sicuti nuperis annis experti fuimus; quare inquam Lolium ad viginti ac amplius annos integrum, & incorruptum servetur, triticum vero vix quartum annum pertingat, quin fere totum in pulverem abeat; An quod lolium compactæ ac durioris substantiæ sit, quam triticum, cum vere lolium, si frangatur & conteratur, manifeste solidius deprehendatur, quam ob causam cæteræ fruges, ut fabæ, ciceres, viciæ durabiliores sunt? An potius quod tineæ ac teredines ob amarorem, & ingratum alimentum, quod præstat lolium, illud averfentur?

Cum annis elapsis ob carbuncularem morbum, quo in his regionibus laborarunt fruges, necesse fuerit triticum aqua pura in magnis vasis diligenter abluere, ac ad solis radios exficcare, observavi, niveum candorem pani ex frumento sic loto conciliari; quare etiam si frumentum sanum sit, non inutilem diligentiam fore crediderim, illud, antequam ad molendinum deferatur, diligenter abluere & exficcare. Pro more equidem habent hujusmodi Operarii strophiliis fauces, ac nares obvelare, ne a pulvere suffocentur, ac persæpe frigida fauces, & oculos abluere, vestesque excutere: at neque sic cavendo satis cavent.

Commodum certe iis esset balneis uti

ad abluendas pulvereas sordes, quæ cuti una cum sudore inhæserint, sed ob illorum defuetudinem ac obsoletum usum tam grandi beneficio carent miseri Artifices. Neque enim credendum est, a priscis illis Urbium, & Legum Conditoribus, tanta impensa ac magnificentia, non solum in magnis Civitatibus, sed Oppidis quoque publicas thermas institutas ad solum luxum, ac delicias fæminarum, hominumque otiosorum; qui *crudum Pavonem in balnea ferent*, sed in hominum exercitatorum, & Artificum commodum quoque, ut paucis ære, aquæ lavacro in iis sordes, ac lassitudinem deponerent, corpusque laboribus confectum reficerent. Quare male eveniat iis, qui rem tam bellam infamaverunt; cum enim mille flagitia in balneis promiscuis perpetrarentur, illorum usum a Christiana pietate sublatum constat.

Hujusmodi Artifices ergo a frugum carie male mulctari solitos, monere soleo, ut ptisanis, emulsionibus seminum melonum, fero vaccino, malvarum decoctione frequenter utantur; sic enim ulcerosi pulveris diluitur acrimonia. Cæterum quando ex asthmate, aliisque affectibus prædictis laborant, ea remedia adhibenda, quæ iisdem magis convenient, seu si ex aliis decumbant, solida cautela utendum, oculo scilicet ad partem imbecilliolem semper intento, ne totus morbi impetus in eam præceps feratur,

De Lapidarum Morbis.

C A P U T XXIV.

Non contemnendi quoque sunt morbi affectus, quibus Lapidæ, Statuarii, Lithotomi, ac id genus Operarii, confectari solent. Dum enim in subterraneis marmora e rupe discindunt, secant, scalpri incidunt, ut statuæ & alia opera effingantur, ramenta aspera, aculeata, angulosa, quæ resiliunt, inspirando persæpe hauriunt; unde a tussi infestari solent, ac ex

iis nonnulli astmaticas passiones contrahunt, ac tabidi fiunt. His accedit vapor metallicus ex marmore, tophis, ac lapidibus exhalans, qui nares, ac cerebrum manifeste percellit; sic Lithotomos qui circa lydium lapidem exercentur a gravi odore, qui jugiter expirat, tum capite, tum stomacho male habere, ajunt, ut ad vomendum interdum compellantur; hinc in

horum Artificum dissectis cadaveribus inventi sunt pulmones, exiguis calculis operti. Satis curiosum est id, quod refert *Diemerbroekius* (a) de variis Lapidibus ex asthmate mortuis, quorum corpora, ait se dissectuisse, atque in illorum pulmonibus arenæ acervos reperisse, ut dum pulmonares vesiculas cultro discinderet, sibi videretur arenosum corpus secare; ibidem quoque refert a magistro lapicida sibi relatum, quod dum lapides incideret, tam subtilis pulvis assurgeret, ut bubulas vesicæ in officina pendentes permearet, adeo ut unius anni curriculo, in ventre vesicæ manipulum unum illius pulveris repererit, quem pulverem illum esse ajebat, qui lapicidas parum cautos ad interitum paulatim deduceret.

Lapides quoque in horum artificum ventriculo, ac intestinis inventos esse, passim loquuntur medicæ historiæ; neque alia causa materialis excogitari potest, præter pulvereas particulas per os susceptas, & paulatim congestas, de quo videatur *Olaus Borrichius* de generatione lapidum in microcosmo; non enim semper a causis internis ac succis lapidificiis gigni in nostris corporibus calculosam progeniem credendum est, quin etiam aliquando, innoxiiis visceribus, extrinsecus hæc pestis adveniat. Calculi ortum a causa externa annotavit *Vvedelius* (b) in

cujusdam calcarii ancillæ; in cujus pulmonibus inventum esse calculum refert, a calcis particulis, ut ipse existimat, per os haustis genitum.

In ventre boum, ac inte stinis, lapides sæpe reperiri frequens est lanionum observatio, quæ *Aristotelis* (c) opinionem evertit asserentis, nullum animal, homine excepto, calculo affici, nisi forsan *Aristotelem* docerem calculo solum locutum velimus. Hoc idem in equis annotavit *Scaliger* (d), qui ait equum egressisse tophos durissimos, quorum unum ipse aservabat. De calculis equorum, quos *hipopolitos* appellant, ac illorum virtutibus, multa apud Auctores leguntur scripta, penes quos sit fides. A veritate non multum aberrari crediderim, si putemus in bobus, & equis, dum per æstatem, linguis exsertis, per vias pulverulentas & glareosas currus trahunt, in illorum ventriculis, a pulvere ac ramentis per os absorptis, generari calculos.

Purgationes per alvum, & vomitiones hisce artificibus erunt opportuniora remedia, ad exturbandas nempe noxias illas particulas, quæ stomacho, ac intestinis infederiat, & in grandiores calculos per novam materiæ aggestionem transire valeant; sicuti monendi erunt, ut quantum possunt, cauti sint, ne minuta illa fragmina per os hauriant.

(a) L. 2. An. c. 13. (b) Pathol. Dog. se. 2. c. 4. (c) Sect. 10. Prob. 40. (d) Exerc. 123.

De Lotricum Morbis.

C A P U T XXV.

Non raro mihi contigit Lotrices ægrotantes invifere ex variis affectibus e suo opere contractis. Hæ mulieres cum semper humidis in locis degant, manusque & pedes aqua humentes habeant, cacheeticæ sunt, ac in hujusmodi opere si consenescant, ad hydropem transeunt, quales ex his non paucas observavi; menstruum quoque paucitate, ut plurimum labo-

rant, unde malorum ilias prodire consuevit; neque id adeo mirum est. Etenim si observatio satis frequens est, multas mulieres menstruas purgationes habentes, nudis pedibus incedendo, seu crura ac pedes frigida abludendo, subita mensium suppressione detineri, multo magis Lotricibus, quæ ex hac arte sibi quæstum procurant, id evenit; hujus causa est aer humidus, in quo

affidue degunt, & balneatio continua, quæ illarum corpora rorantia sunt; Cutis enim pori obstruuntur, unde per exigua difflatio, ac transpiratus, quare tota cruoris massa crassis succis infarcitur; hinc cachexiæ, mensium suppressiones, & quæ his succedunt mala.

Aliis quoque calamitatibus succumbunt Lotrices, dum enim ex bulliente lixivio, cui interdum cinerum loco caleem addunt, fumantes vapores captant, tussi primo, mox dispnoea tentari solent. Apud *Gregorium Horstium*, ex *Boneto* (a), historia memoratur famulæ cujusdam, quæ dum capite in ahenum lixivio plenum ad lintheamina mundanda ore prono fumum exciperet, magna pectoris angustia correpta est, quæ ad septennium obstinate perstitit, donec tandem suffocata interiit; cadavere aperto repertus est pulmo lividus, & in illius bronchiis nigræ carunculæ acri liberum comœatum prohibentes inventæ sunt. Lixiviales ergo fumi, quos non possunt non haurire, naturalem pulmonum structuram vitare apti sunt, eosdem plus, quam par est, exsiccando, & ad manus suam absolvendum ineptos reddendo.

His addendum, quod dum lintheamina,

(a) Sepul. T. I. l. 2. Sec. 1.

De Morbis, quibus Lini, Cannabis, ac sericearum Placentarum Carminatores tentari solent

C A P U T XXVI.

VEstium ac alimentorum eadem fere est necessitas, quæ in ipsis mundi primordiis satis apparuit, cum primævi nostri Parentes post gratiæ chlamydem amissam angebantur, ut nuditatem suam operirent. Multa nobis suppeditavit parens Natura, ut ab aeris injuriis nostra corpora muniremus, veluti lanam, linum, cannabem, gossypium, quibus addi quoque poterit sericum, quo certe carere possemus; cum ad sceminarum, ac virorum quoque

ac indusia mille sordibus foedâ, ut scabiosis, forum hominum, gallica lue inquinatorum, menstruatorum mulierum, abluunt, omnigenam gravium halituum miscellam ore ac naribus excipiunt, ex quibus cerebrum, ac spiritus animales inquinantur. Fissuras præterea in manibus ob lixivii acrimoniam pati solent adeo graves, ut manuum inflammatio una cum febre, aliquando subsequatur.

Ut hisce mulieribus, quæ munditiæ præstant, ars medica gratificetur, videndum quomodo a prædictis affectibus præservari queant; illas ego hortari soleo, ut opere peracto, vestibus humidis abjectis, siccas induant, in quo certe negligentiores sunt; frictionibus utantur, faciem a fumo ferventis lixivii, quantum possunt, avertant, manus unguento rosato, vel butyro sæpe inungant, a cibis crassi succi caveant; aliisque erratis in victu. Cum vero actu ex aliquo morbo, ut febribus, catarrhis, decumbere coguntur, purgantia, validiora exhibenda, ut crassi humores deturbentur; stibiata quoque ex usu erunt, nisi acutus sit morbus, sicuti remedia deobstruentia, & naturalem calorem roborantia convenient, qualia in cachecticis adhiberi solent.

velanda potius, quam operienda corpora sit inventum. Cum hæc ut plurimum indumentorum sint materia, non levia sunt incommoda, quæ sentiunt ii, qui circa ea præparanda operam suam impendunt. Quam noxia sit cannabis ac lini maceratio autumnali tempore, cum infestus odor ac graviter lædens satis longe percipiatur, nihil notius; haud secus, qui linum, & cannabem pectunt, ut neri possit, ac Textoribus tradi pro telis conficiendis, male ve-

gantur. Pulvis enim teter, ac noxius ex hac materia evolat, ut per os, fauces, pulmones subiens, operarios ad continuam tussim compellat, ac ad asthmaticam passionem sensim deducat.

E *Galliae* regionibus *Italiae* finitimis cannabis Carminatores turmatim per totam *Cispadanam*, & *Transpadanam* regionem sub hyemis initium dispergi consuecunt, quando nostri Artifices artem hanc cannabinam pectendi adeo bene non callent. Ac profecto homines id genus visere est cannabinam pulvere semper obductos, colore faciei pallido, tussiculosos, asthmaticos, arlippos: praeterea cum exerceantur ut plurimum in locis conclusis, ob hyemis asperitatem, quo tempore magis in hoc opere occupati sunt, non possunt, quin dum cannabinam unguibus valde perunctam pectunt, foedas particulas per os excipiant, sicque inquinatis spiritibus, & respirationis organis infarctis, graves affectus suboriatur. His accedit, quod cannabis ac linum, cum in aquis stagnantibus ac putridis macerentur, ac ceno obruantur, ut infra aquam demersa promptius ad necessariam macerationem deveniant, particulae illae, quas carminatores hauriunt, non nisi virulentae sunt, ac humanae naturae prorsus hostiles. In lino pectendo gravius, quam cannabe affici se ajunt, forsitan quod pulvis subtilior est, ac facilius partes spirituales subeat, illasque ad excutiendam rem noxiam magis irritet.

Pessime porro habent, qui sericeas quoddam placentas, a serici fabrica residuas pectunt, ut stamen quoddam inde conficiant varios ad usus pro urbana gente, utpote minoris pretii, quam sericum. Etenim dum bombycum folliculi, aqua calente macerati, a nostris mulieribus (quibus solis id muneris demandatum est, quasi solum in illorum gratiam sericum natura condiderit) evolvuntur, & in tenuissima fila super alabra explicantur, ab hoc opere filamenta quaedam crassa supersunt, qui-

bus portiones aliquae de bombycum cadaveribus permixtae sunt, sicque placentae quaedam conficiuntur, quae ad solem efficcantur, & suis artificibus traduntur, ut minutis pectinibus stamen educant. Qui ergo dictas placentas pectunt, ferina tussi una cum magna respirandi difficultate infestari solent, paucique ex his operariis in hac arte consenscunt; tota vero virulentia in hujus materiae elaboratione, e particulis illis cadaveronibus bombycum, quae hujusmodi placentis permixtae sunt, ortum ducit. Observatione dignum est, quod parvi hujus insecti excrementa, quando vivit, ac mori folis pascitur, si per aliquot dies acervatim projecta in aliquo loco haerint, donec putrescant, tam gravem odorem postmodum commota exhalant, ut totam viciniam inficiant; quare in aliquibus Civitatibus edicto caveri solet, ne in publicos vicos tales fordes projiciantur, sed extra Urbis pomeria asportentur.

Habet ergo insectum hoc, ut multa alia ejusdem generis, veluti bruchi, & erucae, quae ad instar bombycum integras sylvas interdum depascuntur, & in folliculis se recondunt, nescio quid pravam, & corrosivam acrimoniam, pulmonibus infestam. Novi in hac Civitate integram familiam, quae ex hac arte paucas opes sibi compararat, misere obisse, tabe confectam, & hujusce calamitatis culpam in artem, cui erant perpetuo addicti, a *Medicis* fuisse rejectam.

Lacteam dietam hisce artificibus maxime commendare soleo, ut qua nil sit efficacius, ad corrosivam & ulcerantem acrimoniam retundendam. Juscula quoque ex malvae, violarum, endiviae decoctione, siue succi depurati ex iisdem herbis, erunt ex usu; seu si sentiant se graviter laedi, aliunde sibi victum quaerit, cum pessimum sit lucrum, quod sanitatem, rem adeo pretiosam pessundet.

CAPUT XXVII.

INter publica ædificia, quibus *Romana Civitas* ad luxum usque eminebat, nil publicis thermis magnificentius olim visebatur, ac qualis esset illarum magnitudo, ex earundem cadaveribus, ac reliquiis semisepultis satis etiamnum dignoscitur. Neque solum *Romæ*, sed in aliis quoque Civitatibus, in privatis ædibus, in villis ipsis, balnea conspiciebantur, summa impensa constructa, adeo ut severissimus morum censor *Seneca* (a), luxum hunc Romanorum Civium carpens, scripserit: *Pauperem ac sordidum sibi videri, nisi parietes magnis, & pretiosis orbibus resplenderent, nisi Alexandrina marmora numidicis crustis distincta essent, nisi vitro absconderentur camera, nisi aquam argentea epistomia funderent*. Jam obsolevit thermarum usus, ac pene modum ignoramus, quo balneis *Medici* ipsi utebantur, nec non vocabula ipsa structuram, ac tot alia scitu digna, nisi *And. Baccius* in opere suo laudatissimo de Thermis, *Mercurialis* in sua Gymnastica, *Sigonius* noster de jure antiq. Rom. thermarum historiam e tenebris eruisset, & absolvissent. Cum in popularium gratiam itaque ab Imperatoribus constructa essent balnea, & quælibet Urbis regio publicas thermas haberet, ut, cum luberet, quod quotidie fieri solebat, cum viri, tum foeminae parvo sumptu lavarentur, dum quilibet posset *quadrante lavari*, ut ait *Juvenalis* (b), & pueri gratis lavarentur, ut ex eodem *Satyrico* habemus.

*Nec pueri credunt, nisi qui nondum
are lavantur,*

inaumerabilem profecto credendum est fuisse fervorem, ac fervarum turbam promiscuam, quæ continuo in thermis pro hujusmodi ministerio diu noctuque immo-

raretur, quos *Balneatores*, seu *Aquariolos* appellabant. Hanc igitur operariorum turbam enhydrobiam, in locis humidis concameratis degentem, & corporibus lavandis intentam, modo in calidario, modo in tepidario, modo in frigidario sudoribus, sordibus, unguentis quoque, quibus erant delibuti, depilandis occupatam; hos aquariolos, inquam, credere licet variis ægritudinibus obnoxios fuisse, ut cachexiæ, crurum tumoribus, ulceribus, inflationibus, ac anasarcae. Ex *Luciliæ* carmine, quæ agerentur ab hujusmodi ministris, dum corpora eorum, qui balnea adibant, curarent, satis apparet.

Scabor, supellor, desquamor, pumicor, ornor, expilor, pingor.

Quamvis jamdudum obsoleverit antiquus balnearum usus, seu quod gymnasticæ exercitationes, & ipsæ obsoleverint, in quarum gratiam balnea videbantur constructa, seu quod veteres, ut nonnulli credunt, indusiorum, ac interularum linearum usum non haberent, ac solum laneis vestibus uterentur, ideoque ad sordes abstergendas, illis necessaria foret frequens lavatio; adhuc tamen in Urbe, & popularis Civitatibus, aliqua persant balnearum vestigia, ad valetudinariorum utum, quamvis etiam nonnulli pro decoratione, & munditie per æstatem balnea aquarum dulcium adire soleant. Nostra hac ætate, qui infectiones aliquas cutaneas habent, ut scabiem, psoram, gallicam litem, balnea ista, & hypocausta adeunt, ubi balneatores aqua tepida ipsos rite abluunt, ac sæpe parvas cucurbitulas scarificatas toti corpori apponunt, sanguinem satis liberaliter educendo, sicque lotos, perfrictos, & minutatim intercios, domum dimittunt, idque persæpe, tum ægri, tum Bal-

nea.

neatores sine *Medici* consilio agunt; quod non bene, ipsi viderint; profecto mihi non raro contigit, nonnullos ex his videre, qui consulto talem curationis formam in semetipsis tentarint, in summum discrimen perductos, & ob nimiam sanguinis copiam cucurbitulis extractam fere exanimatos, cum interdum ad 3. vel 4. libras sanguinem educant. Opinio enim apud nonnullos obtinuit, sanguinem cutaneum notæ longe inferioris esse ab illo, qui e venis majoribus educitur, quasi sanguis per cucurbitulas ductus floridior non esset (incisis quippe arteriis capillaribus) quam sanguis incisæ venæ, qui atrior semper apparet. Isti ergo Balneatores huic arti addiēt i, quantum observare licuit, pal-

lidi sunt, luridi, subtumidi, cachectici; ac interdum ab iis morbis corripuntur, a quibus cæteros sanare contendunt.

Ne cum tædio ea repetantur, quæ superius sunt dicta, ad cachexiam, & con- similes affectus curandos, hic nihil aliud adjiciam, muneri meo satisfactum putans, si solum innuam, quibus affectibus præter naturam, hic, vel ille *Artifex* premi so- leat. Non enim in hoc meo opusculo mens est integros morborum tractatus & absolutas ex æsse curationes, cum magna formularum suppellectile, conscribere, sed tantum Clinicæ professoribus monita quædam pro feliciore artificum curatione sug- gerere.

De Morbis eorum, qui in Salinis operantur.

CAPUT XXVIII.

SCite quidem & eleganter scripsit *Plinius* (a), nihil sole, & sale utilius; ad- di potest, nihil esse magis necessarium. Sa- lis necessitatem ad humanos usus prævi- dens natura, seu *Divinus Opifex*, in ipsis mundi primordiis mare salis promocondum constituit, ex quo per subterraneos ductus aqua ad summos usque montes eveheretur, unde postea aquæ salis fontes, & scaturi- gines emanarent. Hinc sal fossile, & na- tivum variis in locis habetur, sponte sale concrecente, dum aqua illa salia præter- fluit; nisi putemus in ipsa mundi fabrica *Deum* salis montes condidisse. Sal facti- tium, & cujus magis communis est usus, ex aqua marina habetur, quæ a maris æstu- in fossas quasdam, & areas deducta, per æstatem ab urenti sole exsiccat, copiose in fundo residente sale.

Hiscæ regionibus, ac toti pene Italiæ ma- gnæ salis factitii copiam suppeditat Cer- via civitas ad maris Adriatici littus posita. Ravennatensi Ecclesiæ olim immediate sub-

ditæ. Libenter equidē Urbem illam adiis- sem, verum tantum otii a meis occupa- tionibus impetrare non potui. Curavi ita- que, ut per literas scirem, id quod opta- bam, quod humanissime præstitit *D. Joseph Lanzonius Ferrariensis*, Medicinæ Pro- fessor clariss. At non tam opportune ejus- dem literæ sunt delatæ, ut caput istud re- ferre possem inter eos artifices, qui circa mineralia operantur. Ex literis igitur a *Medico* in ipsa civitate Cerviæ Medicinam faciente scriptis, scire licuit; in illa civi- tate, ac illius salinis, aerem spiritibus cor- rosivis esse adeo saturatum, ut ferrum ar- rodat, quod paulatim, ceræ ad instar emol- lescit, ac in pulverem fatiscit. Operarios vero omnes fere cachecticos esse, hydro- picos, & sordidas plagas in cruribus ge- stare. Eisdem quoque summe voraces esse, & bibaces, ut nunquam saturentur; hinc per sæpe iis operariis repentinæ mortes sunt, modum illos curandi varium inibi esse, prout varii ac diversi *Medici* eo sunt

cre-

crebro conducti; perexiguum tandem esse remediis locum, in acutis saltem, qui soporosos affectus semper comites habent, idque propter salis copiam, seu montes ipsos salis, quos summa admiratione se conspexisse ait *F. Leander Albertus* in ejus civitatis descriptione. Credibile est magnam spiritus salis copiam elevari, qui totum aerem illum ad saturitatem acido corrosivo impleat, ut martem arrodant, nec non in operariis illis sanguinis indolem, quæ dulcis, & benigna esse debet, ad summum acorem disponat; hinc postea cachexiæ, hydropes, crurum ulcera, quæ ex sui natura a luxuriante acido foventur, ortum habeant.

Causam porro tantæ appetentiæ ac edacitatis, quasi bulimo laborent, in eundem salis acidum spiritum stomachi fermentum acuentem, rationabiliter fas est referre. Caninam appetentiam, quam vino solvi scripsit *Hippocrates* (a) in aphorismis, ab acido præternaturali in ventriculo stabulante progigni, veteres quoque cognovere; qua de causa vina generosa & meraca ad talem affectum præscribebant, nec non pingua edulia, & quæcumque alia, quæ ex multo parantur oleo, ut in commento hippocratici effati exposuit *Galenus*, ut quæ apta essent acidum stomachi fermentum infringere, ac dulcificare, eo modo quo acidi spiritus, vini spiritu dulcificari solent. Bibacitatis causam pariter referre licet in falsas exhalationes, seu in ferofam colluviem, qua scatent, & ad hydropisim sunt dispositi, cum sitis perpetua hydropicos comitetur.

Num revera tam graves affectus ex solo salis spiritu, quem una cum aere inspirato operarii combibunt, an vero ex aliis causis, ut ex aere alioquin parum salubri, cum Civitas in hoc pessime audiat, mihi non satis compertum. Ex relatione mihi communicata, ab incolis urbem illam penè desertam esse habeo, ideoque ex sum-

morum Pontificum privilegio, eidem civitati consensum, ut ex quacumque regione exsules, ibi tutum alium habeant, & ære alieno obstricti, qui hanc civitatem pro domicilio sibi delegerint, ad debiti solutionem non possint cogi, verum ad debitum naturæ persolvendum facillime adigi solent. Profecto multis aliis in locis, ubi sal conficitur, non tam graves noxas patiuntur operarii, ut sola acidi spiritus exhalatio culpari possit. *Urbs Veneta, Adriaci Maris Regina*, populosissima est, & quamvis a marinis exhalationibus sit circumsepta, satis tamen salubri cœlo fruitur, qua de re videatur opus elegantissimum *D. Lodovici Testi* Venetiis Medicinæ Professoris celeberrimi. In agro Placentino putei sunt aquæ falsæ, ex qua decocta sal elicitur, & cum portione aliqua bubuli sanguinis granulatur, nec operarios quicquid complures sunt (cum inter magnos proventus Ducalis cameræ salis fabrica censetur) tam graviter affici accepi.

Rem valde operosam esse salis fabricam, ut tam graves affectus operariis, non solum ex materia, quam tractant, sed ex laboribus etiam, quos sustinent, subsequi, sit satis probabile. Quibus ærumnis expositi sint hujusmodi artifices videre est apud *Georgium Agricolum* (b), qui multus est in hac re, & non solum diversa artificia pro aquis falsis coquendis, seu aqua maris falsa in areas corrivanda, sed ministros quoque operantes describit, quos ait ob nimium officinarum calorem, capita tantummodo pileis stramineis, & venter subligaculis tegere, cætera nudos esse. Quare & ab ignis vehementia, & æstivis caloribus, aliisque ærumnis vexari solent.

Non ibo tamen inficias, quin opificum hujusmodi operariis suis non sit admodum infestum; observo etenim, quod in cameris, ubi sal *Cervina* ad nos advectum reponitur, ut postea per totam Estensem

di-

(a) 2. Aph. 22. (b) L. 12. de re. met.

dirionem distribuatur, parietes femirofi men congruum, ut *Medici* in hæc loci sunt, ita ut inter lateres rimæ veluti quædam exstent, quod marini salis spiritui clu- de cauti sint, præsertim in venæ sectione rino adscribendum, qui alkali calcis præ- præscribenda; sanguine etenim a salis ex- fertim aggrediatur, ac illo saturetur, si- halationibus depravato, ac ad diacrisim cuti sit, quando in confectione salis Pla- prono, facile, secta vena, subsequenter centini, ob admixtionem sanguinis, vel exsolutiones, & morborum in pejorem sta- fellis bubuli, acidum salis sanguinis alka- tum lapsus. Purgationes potius, eæque li arripit, unde sequitur granulatio. Sic fortiores, videntur magis propriæ, ut quæ observare licet eos, qui in tabernis publi- ferofam colluviem valeant educere, & al- cis continuo morantur, ut sal divendant, kali, quo omnia fere purgantia præpol- ut plurimum decolores, & lubricæ vale- lent, acidam humorum diathesim tempera- tudinis esse.

Miseram profecto horum artificum conditionem esse pronunciare licet; etenim, cum sal ut plurimum, in *Italia* saltem in locis maritimis, ubi maris aqua in fossis & areis conclusa restagnat, atque ob id aerem inquinat, ac non tam facile sit *Medicos* reperire, qui hujusmodi in locis Medicinam exercere velint, persæpe infelices operarii acutis morbis correpti citissime, remediis destituti pereunt, vel lenta ægitudine contabescunt. Rationi ta-

conducti, in curandis hisce operariis valde cauti sint, præsertim in venæ sectione præscribenda; sanguine etenim a salis exhalationibus depravato, ac ad diacrisim prono, facile, secta vena, subsequenter exsolutiones, & morborum in pejorem statum lapsus. Purgationes potius, eæque fortiores, videntur magis propriæ, ut quæ ferofam colluviem valeant educere, & alkali, quo omnia fere purgantia præpolent, acidam humorum diathesim temperare. Vina generosa, aromata, & quæcumque sale volatili prædita sunt, tabacum masticatum, & decocta ipsa ex tabaci foliis; summatim, quæcumque acorem sanguinis infringere apta sunt, in usum erunt revocanda. Modus, quo salis spiritus communiter solet dulcificari, spiritum nempe vini rectificato, pro regula veluti Polycleti esse poterit, ut sciri possit, quonam remedii genere in hisce artificibus curandis sit utendum.

De Morbis, quibus tentari solent Statarii Artifices:

C A P U T XXIX.

HActenus de iis artificibus, quibus ob materię pravitatem, quam trahunt, morbi contingunt; modo ad alios artifices, quibus aliis ex causis, veluti si tu quodam membrorum, ac motionibus corporis incongruis, morboſi affectus succrescunt, dum operantur, quales sunt artifices tota die stantes, sedentes, proni, incurvi, currentes, equitantes, vel quomodolibet sua corpora exercentes, lubet divertere. Primo ergo statarii artifices in scenam prodibunt, ut fabri lignarii, dolantes, secantes, sculptores, fabri ferrarii, murarii, alique, quos hic non referam, ne nimis longam operariorum nomenclaturam instituam. Artes ergo statariæ suos artifices varicibus potissimum obnoxios habent; ob motum enim toni-

cum musculorum, tum fluentis, tum refluxantis sanguinis cursus retardatur, unde in crurum venis ac valvulis restagnat, ac tumescencias illas efficit, quas varices appellant. Musculorum distentio quantum valeat ad sanguinis naturalem motum remorandum, cuilibet facile est in semetipso experiri, proprium pulsum in brachio distento observando, quem valde exilem deprehendet. Distentis ergo crurum, & lumborum muscularibus fibris, comprimuntur arteriæ deorsum tendentes: quare arctato spatio, non eo impetu, ut solent in deambulantibus, ex altera musculorum actione, sanguinem protrudunt. Hinc sanguis, qui ex arteriis in venas remigrat, vim necessariam ab arteriarum appulsu non obtinet, ut sursum per

per lineam perpendicularem adscendat, idcirco suo impullore a tergo destitutus inibi subsistit, & varices in cruribus efficit. Sic *Juvenalis* (a) de Haruspice (cum id genus hominibus mos esset diu stare ad extispicia intentis)

varicosus fiet haruspex.

Olim diu stare, ac tam firmo talo, ut vix quis dimoveri posset, exercitii genus erat, & Romanæ militiæ peculiare, veluti in sua Gymnastica tradit doctissimus *Mercurialis* (b), ubi ait, satis probabili conjectura *C. Marius* varicosum factum, eo quod, ut fortissimum ducem decebat, stare in acie consuevisset. Sic *Vespasianus*, *Suetonio* referente, dicere solebat, Imperatorem stantem mori debere. Propterea *C. Marius*, utpote stationi assuetus in uno crurum stando, sibi varices excindi passus est. *Poetarum Princeps* (c) quoque, *Aeneam* describit stantem, dum illi lapis Medicus sagittam infixam studeret evellere.

*Stabat acerba fremens ingentem nixus
in hastas Aeneas.*

Admiratione dignum est, quod *A. Gellius* refert de *Socrate* (d), qui stare solitus dicitur, pertinaci statu perdius, atque pernox, a summo lucis ortu, ad Solem alterum Orientem, inconnivens, immobilis, iisdem in vestigiis, & ore, atque oculis eundem in locum directis, cogitabundus, tanquam quodam secessu mentis atque animi facta a corpore.

Ulcera quoque in cruribus, articulo- rum imbecillitatem, nephriticas passiones, sanguinis miētum, statariæ artes solent inferre. Servos in Aulis Principum (nobiles quoque, ut in *Aula Regum Hispaniæ*, in qua nulla sunt sedilia) non paucos observavi valde conquerentes de renum dolore, nullamque aliam causam, quam continuam stationem ipsimet, nec male, agnoscunt; corpore enim in situ erecto stante,

Tom. II.

lumbarium musculorum fibras intentas esse necessum est, ac renes necessario in consensum trahi, ut non tam libere cursum naturalem peragat sanguis, nec a sanguine serum secernatur, unde postea prædicti affectus subsequantur.

Stomachi quoque imbecillitas statariam comitatur; in stantibus enim & in figura erecta stomachus necessario pensilis est, non sic autem in sessili vita, & figura inflexa, in qua ventriculus intestinis incumbit; hinc quoties stomachi passione aliqua laboramus, totum corpus ad anteriora inflectimus, ac genua, & crura contrahimus. Observatio doctissimi *Baconis* (e) est, damnatos ad remiges, licet tot ærumnis expositos, satis pingues esse, & boni habitus; eo quia sedentes remigent, & artus magis quam abdomen, & stomachum exerceant, quod etiam in textoribus observatur, qui manus ac pedes eodem tempore exercent; partibus autem externis motis, & internis quiescentibus, pinguiora sunt, & habitiora corpora, quam in statione, ac deambulatione, quibus lassitudo facile subsequitur.

Quare autem tanta defatigatio stationem, licet non adeo diuturnam sequatur, si conferatur cum deambulatione, & cursitatione, quamvis longa, non indignum est disquisitione; communiter creditur, id fieri, ob motum tonicum musculorum omnium antagonistarum, tum extensorum, tum flexorum, qui stent in continua actione, ad hoc ut homo erectus perstet; ast opinionem hanc evertit doctissimus *Borellus* (f), qui demonstrat retentionem brachii in directum, fieri sine actione musculorum flexorum, sed per solam actionem extensorum, idemque fieri in figura erecta hominis, ubi omnes flexores feriari ait, operantibus solum extensoribus. Rationem vero, cur ex statione tanta fiat lassitudo, idem ingeniosissimus scri-

L

ptor A

(a) Sat. 6. (b) L. 6. c. 1. (c) L. 12. *Æneid.* (d) Lib. 2. *Noc. Att. c. 1.*
(e) *Hist. Nat. Gen. 3.* (f) *De not. Anima. Prop. 131.*

ptor ex continuata eorundem musculo-
rum actione deducit; naturam enim ait
alterna, & interpolata actione gaudere,
& recreari, atque hinc fieri, ut deambu-
lacio non tantam inferat lassitudinem,
adeo ut stantes minus delassentur, si al-
ternatim pedi uno insistant; hunc naturæ
genium in brutis animantibus observare
est, sicuti in pullis, qui pedi uni aliquando
insistunt, altero sublato, ac in quadru-
pedibus, cum interdum observentur asini,
dum stare coguntur, alterum ex postero-
ribus pedibus stapedi imponere.

Non solum autem in corporis motio-
nibus, grata est hæc alternatio, sed in om-
nibus pene naturalibus functionibus. Ete-
nim si fixo obtutu objectum aliquod spe-
ctemus, si eundem sonum auribus perci-
piamus, si eadem epulæ in convivio ap-
ponantur, si iidem odores nares pertingant,
molestia percipitur; tam grata est naturæ
alternatio & vicissitudo. Sic *Hebræi* in

deserto cœlesti manna pasti *Ægypti* allia;
& cæpas votis optabant, sic ut ait *Horatius* (a);

*Ridetur, chorda qui semper oberrat
eadem.*

Qui ergo statariis artibus addicti sunt,
quotiescunque se offerat occasio, monendi
sunt, ut cum possunt, continuatam sta-
tionem interrumpant, vel paululum se-
dendo, vel deambulando, vel quomodo-
libet corpus movendo. Id genus homi-
nibus salubria erunt ea, quæ lassitudinem
tollunt, & partium tonum restituant, ut
frictiones humidæ, fomenta, balnea. Pro
varicum vero curatione, ulcerum, renum,
herniarum, cæterorumque affectuum, con-
sulendi erunt practici Auctores, qui de
his scripsere; non enim mihi animus est
curationes particulares morborum, ne
actum agere videar, instituere, sed Pro-
fessoribus in praxi provectis innuere,
quibus affectibus obnoxii sint artifices.

(a) *Art. poc.*

De Sedentariis Artificibus, ac illorum Morbis.

C A P U T XXX.

Qui porro sedentariam vitam degunt,
Sellularii Artifices propterea dicti,
veluti sutores, & sarcinatores, suos
particulares morbos patiuntur. *Sutores*
proprie dicuntur, qui calceos suunt, unde
Martialis (a) de Sutore quodam, ad tan-
tum divitiarum a fortuna evecto, ut lu-
dum, hoc est gladiatorium spectaculum,
populo exhibuerit, ad musam conversus,
sic lusit.

*Frangite leves calamos, & scinde Tha-
lia libellos,*

Si dare Sutori calcens ista potest.

Sarcinatores vero sunt, qui vestes
suunt, utrumque tamen artificum genus,
& quotquot alii artifices, cum viri, tum
fœminæ, qui sedendo opus aliquod mo-

liuntur, ob vitam sedentariam, & infles-
sam corporis figuram, dum tota die se-
dentes, in sutrinis opificiis suis incum-
bunt, curvi fiunt, gibbosi, obstipo ca-
pite, quærentibus aliquid similes. *Simi-
tas* vero potius est, quam vera gibbosi-
tas; nam limitas æqualis est, in qua dorsi
vertebræ æqualiter extuberant; etenim
cum nonnisi curvi opera sua perficiant,
fieri nequit, quin vertebrarum ligamen-
ta extrorsum vergentia distrahantur, &
callositatem aliquam contrahant, ob quam
ad naturalem suum situm redire ne-
queant. *Simitatem* observavit *Vvede-
lius* (b) in sutore jam sene, quam limita-
tem incurabilem ait fuisse ob neglectum
in juventute malum.

Sar-

Sarcinatores autem dum vestimenta consuunt, cum fere ex necessitate crurum alterum super femur inflexum cogantur detinere, crurum stupore, claudicatione, ischiade, non raro tentari solent; quare sic *Plantus (a)*:

Pervigilat noctes totas, tum autem interdiu,

Quasi claudus Sutor, domi sedet totos dies.

Ridenda certe res est, Collegia isthæc Sutorum, & Sarcinatorum aliquando intueri, diebus quibusdam festis ipsis solemnibus, cum per Urbem rite ac bini procedunt, seu cum aliquem ex ipsorum collegio vita functum ad sepulchrum comitantur, ridenda res est, inquam, agmen illud incurvum, gibbosum, claudicans, & modo in hanc, modo in illam partem propendens conspectare, quasi omnes, data opera, ad hujusmodi spectaculum fuissent delecti.

Scabiosi quoque, decolores, ac mali habitus esse solent sedentarii Artifices, Sarcinatores potissimum, ac mulieres, quæ suis in laribus die ac nocte, ut victum sibi quaerint, acu operantur; hæc enim mala in exercitatos comitantur, nam vitium capit sanguis, ni moveatur corpus; unde illius excrementa in cute resistunt, & universus corporis habitus defœdatur. Alvum quoque molliorem habent, secus quam homines exercitati, quorum fæces paucæ sunt, flavæ, duræ, licuti docuit *Hippocrates (b)*. Apud eundem *Hippocratem (c)* exstat historia de *Cleotimo* sutore, cui alvo liquefacta multo tempore, & calore oborto, juxta Hepar tumor tuberculosus ad imum ventrem descendit, & alvus liquefacta fiebat. Similiter alium describit *(d)*, qui in lutrina decumbebat, & sanguinem e naribus effudit, cui postmodum secessus modici facti sunt.

Mala igitur intemperie, & multa vitiorum succorum redundantia laborare solent hujusmodi Artifices, ob vitam sellulariam, quam degunt, ac præsertim Sutores. Non sic tamen multi alii Artifices, qui sedendo operantur, uti Figuli, Textores, qui brachia & pedes, totumque corpus exercent; ac propterea seniores sunt, ut quibus sanguinis impuritates facilius per hujusmodi motum discutiantur. Omnes Sellularii Artifices lumborum dolore premi solent. Notum est *Platinum* illud, *Lumbi sedendo, Oculi spectando dolent*.

Quænam præservatoriæ cautiones hisce Artificibus præscribi possint, quando causa occasionalis persistet, ac se, suamque familiam quotidiano victu sustentandi necessitas urgeat, ego non video. Purgationes tamen Vere, & Autumno institutæ id præstabunt, ut tam ingens non acervetur crassorum humorum multitudo, ac rarius ægrotent. Monendi quoque sunt, ut festis saltem diebus, corpora exercent, & plurimum dierum ob vitam sessilem damnum, alicujus diei utilitate aliqua ex parte compensent. Cum autem actu in lectis decumbunt, sive ob enarratos, seu alios affectus, humorum evacuatio molienda, ac partibus, quæ ex artis ministerio magis laborant attente prospiciendum, ad eas enim facilis est metastasis. In hanc rem locus memoratu dignus est apud *Hippocratem*, *(e)* ubi duos Artifices describit, manu laborantes, ut ipse ait, quorum unus sarmen- ta torquebat. Ambo cum a tussi vexarentur; *dextera resoluti cessaverunt a tussi*; subdit autem eos, *qui equitabant, aut iter egerant, in lumbis, ac femoribus resolutos esse*; tam prona via est, ut humores ad eas partes confluant, quæ nimis exercitæ firmitatem ac robur amiserint.

L. 2

De

(a) Aulul. Ac. 1.

(b) Prerre.

(c) 7. Epid. n. 50.

(d) 4. Epid. nu. 9.

(e) 4. Epid. n. 27.

CAPUT XXXI.

Judaeorum natio, cui nullam aliam similem inter homines reperire est, ut quæ nullibi sedem habet, & ubique gentium est, quæ otiosa simul, & negotiosa est, quæ neque arat, neque occat, neque ferit, metit tamen; hæc igitur natio, non tam vitio generis, ut vulgo creditur, seu ob pravum victum, quo utitur, quam ob artes, quas exercet, variis morbis & ipsa exercetur. Putor etenim tanquam innatus, & endemius judæis falso adscribitur; qui enim in plebe observatur, provenit, & quia sint illi angustæ domus, & res angusta domi; cum enim Hierosolymis degerent, ubi erat odorum copia, nitidos, & bene olentes fuisse censendum est.

Omnes fere itaque *Judæi*, ac plebs potissimum, quæ majorem illorum constituit numerum, sedentarias, ac statarias artes exercent. Sutrinæ etenim, & vestium antiquarum reconcinnationi addita est, multoque magis inter ipsos fœminæ, tum puellæ, tum nuptæ, quæ acus ministerio victum sibi quærunt; illæ etenim neque nent, neque pectunt, neque texunt, neque ullam aliam minervæ artem, quam suendi, norunt. In hoc autem ita præstant, ac excellunt, ut vestes laneas, sericeas, & cujuscumque generis ita compingant, ut nullum futuræ vestigium appareat; Romæ vocant *rinacciare*. Quare vestibus laceris ex pluribus frustulis egregie compactis popello incauto illudunt, ac tali mangonio victitant.

Opus id multam exigit oculorum intentionem, propterea mulieres omnes hebrææ, sutorio operi intentæ tota die, ac ad multam noctem, ad tenuissimum filum lucernulæ, ac languidulum lumen, quale habent sepulchrales lucernæ, non solum omnia sedentariæ vitæ incommoda subeunt, sed etiam temporis progressu multa

visus imbecillitate laborant, ut cum 40. fere annum attigerint, lusciosæ, ac myopes evadant. His accedit, quod cum in omnibus fere Civitatibus judæi male habitent intra vicos angustos conclusi, ac mulieres hebrææ, quolibet anni tempore, ad fenestras apertas pro lumine captando consistant, opus suum exercendo, fit ut illarum capita varias adsciscant ægritudines, ut cephalalgias, aurium ac dentium dolores, gravedines, raucedines, lippitudines, unde plurimæ ex his, saltem e plebecula, surdastræ sunt, lippæ, ut superius de sutoribus diximus.

Homines porro in tabernulis suis tota die, aut sedentes, vestes consarcinando, aut stantes observando, cui centones suos veteres divendant, omnes fere cachectici sunt, melancholici, tetrici, ac ut plurimum scabiosi; pauci enim sunt ex hebræis etiam ditioribus, qui pruriginoso aliquo affectu non laborent, adeo ut talis fœditas morbus ipsis gentilitius credatur, & quasi hæreditarius, ut qui elephanticæ labis, judææ genti olim familiaris tanquam soboles existat.

Præter sutorium opus, gens hebræa pro more habet, saltem in Italia, culcitras laneas, postquam ad annos aliquot in cubilibus, ob quotidianum cubatum, lana compressa, duriores redditæ fuerint, illas refarcite, lanam super crates vimineas virgis verberando, & excutiendo, sicque molliores culcitras pro faciliori cubatu reddere, quo ministerio lucrum non parvum per Civitatis domos hinc inde referunt: verum lanam illam veterem multoties profecto permiscam, & conspurcatam, sic excutiendo, & carminando, multum sordidi pulveris per os hauriunt, unde graves noxas persentiunt, tussim vehementem, dyspnœam, & stomachi subversionem. Multos ex his ego novi ab

hujusmodi exercitio male mulctatos, ac marinam illam movent, & saccos ingens ad tabem insanabilem deductos, ipsismet testes implent, ut ad chartariorum officinas fatentibus, ac artem hujusmodi tanquam sordida merx ista deferatur. sui exitii causam execrantibus. Pulverem hunc, non tam exitialem ex lana veterascente, quam ex impuritatibus e cubantium corporibus in ipsa relictis esse crediderim. Nobis certe pro more est, ubi aliquis ex familia mortuus fuerit, & iusta illi fuerint persoluta, lotricibus linthea, indusia, & quidquid aliud ægritudinis tempore usui fuerit, tradere repurganda, & emaculanda, nec non judæum accersere, qui culcitras laneas in aprico loco rite excutiat, ac repurget; quare gens ista, non secus ac libitinarii, in hoc opere non potest, quin morticinum aliquod combibat, & eodem tempore pulmones labem aliquam contrahant.

Ex lineis, & cannabinis vestibus veteranis, longoque usu attritis, aqua remolitis, putrefactis, & contusis, ut norunt omnes, charta scriptoria conficitur, ingenioso sane, ac admirando artificio, veteribus incognito, qui pro scriptione, ceratis tabellis, membranis, seu papyro ex Ægypto advecta utebantur. Gens ergo ista quæ lucro inhians, pro more habet publicos proventus conducere (uti etiam antiquitus, de quo *Juvenalis* (a) spolia ista, per Urbem vicatim clamitando, vili pretio emit & colligit, ut postquam ex iis ingentem massam collegerit, illam chartariis artificibus divendat. Cum ergo ad lares suos Judæi fascibus istis coemptis onusti redierint, ipsos diligenter evolvunt, ac advertunt, ne quid lanei, vel sericei operis intermixtum sit; id enim abiiciunt, tanquam inutile ad chartam conflandam (quævis in musæo Septaliano Charta Chinenfis ex serico conflata ostendatur) postmodum ex ejusmodi sordidis spoliis magnam struem in tabernis suis conficiunt. Mirum est artem, & vix credibile quam teter halitus exspiret, quotiescumque ca-

Tussiculosi ergo, anhelosi, nauseabundi, vertiginosi, in hujusmodi opere fiunt. Quid enim sordidius, quid magis abominandum excogitari potest, quam sordium omnium in unum collectus cumulus, ex hominum, mulierum, cadaverum inquinatis spoliis, ut miserandum non minus, quam horrendum spectaculum sit, cæcus hujusmodi paupertatis, ac humanæ miseriæ reliquiis onustos intueri.

Videndum itaque, quomodo genti huic succurramus, ne tam male ab artibus suis afficiantur; ego quidem iis, tum maribus, tum fœminis in opere sutorio occupatis, nihil magis salutare censeo, ac magis commendo, quam corporis exercitium, quo nihil præstantius, ad obstructions expediendas, nativum calorem roborandum, coctiones perficiendas, transpiratum promovendum, & scabiem fugandam. Suffurentur itaque, mulieres præcipue, quæ sutorio operi sunt intentæ, horas aliquot in valetudinis gratiam, ut corpus recreent, ac manus, & oculos de tabula, ut dici solet, semoveant, ne oculis captæ inertem postea, & miserabilem vitam trahere cogantur. Purgationes iisdem frequentes ex usu erunt, sed blandæ, ut ex electuario leniivo, pillulis ex aloe, rheobarbaro, & similibus, ne tam magna humorum congeries, in illarum corporibus cumuletur; non ita vero v. s. iis salutarem esse veluti purgationem, mihi compertum est; facile enim in iis exsolvantur vires, ob languinem spiritibus effœtum, & evanidum, præter id, quod illorum mentibus alte infixæ hæret opinio (quæ tamen non multum vero abludit) imbecillitati visus, nihil magis perniciosum, quam v. s. cauteria brachiis, vel femoribus facillime admittunt, ac salubria deprehendunt, cum na-

tura emissarium habeat, per quod impuritates paulatim excernantur.

Iis porro, qui attritis indumentis colligendis, ac culcitris repurgandis addicti sunt, valentiora remedia præscribenda, quæ particulas absorptas per inferiora, vel superiora, quod expeditius, educant. Stibiata propterea magis ex usu erunt,

nec non alexipharmaca, quæ virulentiam expugnent, veluti aceta theriacalia, theriaca ipsa, & similia; os etiam, dum operi intenti sunt, oxycrato identidem colluendo, faciem pariter ac nares obvelando, ne atomi illæ volantes, corporis penetralia tam facile subeant.

De Cursorum Morbis.

C A P U T XXXII.

PRiscis temporibus, quibus *Ars Gymnastica* colebatur, inter cæteras exercitationes, non solum propter gymnica certamina, sed bellica quoque, numerabatur cursus; exercebantur enim in publicis gymnasiis pueri, tum ingenui, tum servi, ac a Pædotribus ad cursum instruebantur, nam in ludis & publicis spectaculis stadium currebant, ut coronam lucrarentur.

Hujusmodi exercitii genere homines ad prælium aptiores reddebantur, nimirum, veluti agebat *Vegetius*, ut majori impetu in hostes ruerent, ut loca opportuna celeriter occuparent; vel hostibus id facere volentibus præoccuparent, ut fugientium terga facilius comprehenderent; quod exercitationis genus apud *Turcas* in hos fines, laudanda disciplina in usu est, militiam suam ad celerem cursum assuefaciendo. *Plato* (a) foeminas quoque, in cursu exercendas volebat, ut ad militaria munia, & patrios lares tutando suam operam præstarent. *Principes*, & *Imperatores*, non solum (teste *Suetonio*) sed & nobiles *Romani* quoque suos cursores habebant, quos *Pueros a pedibus* appellabant. Nostra hac ætate talium exercitationum obsolevit usus; *Principes* solum, aut viri nobiles, servos habent, quos *Lachè* appellant, quorum munus est currum, ac rhedas præire velociter currendo, seu in-

terdum cum literis locum aliquem adire, ac responsa ad suos dominos magna pernicitate redeundo referre.

Id ergo hominum genus, a variis morbos affectibus vexatur. Herniosi ut plurimum fiunt, & astmatici, quod infortunium etiam in equis cursoribus per sepe animadvertimus; hæmoptoici quoque non raro evadunt; sic *Acanthio* servus apud *Plautum* (b) ex nimio cursu cum hero conquerens, pene confectus, ut vix halitum duceret, sic agebat:

Tua causa rupi ramicem, jam dudum sputo sanguinem.

cui *Hærus Chremes* respondens, *Resinam ex melle Ægyptiam vorato, sanum feceris.*

En quomodo, antiquitus quoque, resinaea in morbis pectoris commendabantur: macilenti præterea fiunt, juncei, ac tanquam canes venatici, absumptis una cum sudore partibus sanguinis spirituosioribus, ac simul lymphâ nutritia; Morbis quoque capitis vexari solent, unde *Aristoteles* (c) quærebat, qui fieret, ut cum motus excrementa ad inferiora deturbare soleat, cursus velox capitis morbos accerferet; cujus rei (omissis iis, quæ a *Septalio*, *Gualtavino*, & aliis expositoribus dicta sunt) vera causa est, quod in concitato cursu, pulmonares vesicæ inflentur, ac reduci sanguini per venam cavam su-

(a) 2. de leg. (b) *Mænæ*, Act. 1. (c) *Sec. 5. Prob. 9.*

pra cor veluti remora iniiciatur, ne tam libere in vasa pneumonica influat, ex quo fiat, ut in capite necessario restagnet, & graves morbos excitet, quod non evenit in cursu moderato, qui potius aptus est humores ad inferiora promovere.

Cursores praeterea in acutos, & graves pectoris morbos per saepe incidunt, veluti pleuritides, peripneumonias; ventis enim, ac pluviis expositi, vestibulque levis armaturae induti, cum toti sudore diffuant, ac postmodum perfrigerentur, cutis poris obstructis, non possunt quin exitiis morbis corripiantur, ac praecipue in partibus spiritalibus, quae in cursu magis laborant, & incalescunt; urinas quoque cruentas interdum mingunt, vena aliqua in renibus disrupta, quam ob causam *Celsus* (a), ubi renes fuerint male affecti, cursum improbat. Herniosi quoque facile fiunt, peritonaeo ob aerem nimis compressum & cohibitum disrupto, vel dilatato; hinc *Paulus Aegineta* (b) scripsit, iis, qui bubones & rupturas habent, a cursu cavendum esse.

In cursu majorem esse aeris inspirationem, quam expirationem, pro certo est; ut vires enim ad cursum continuandum persistant, necesse est, ut aer intra thoracis caveam cohibeatur; laxatis enim per multam expirationem thoracis musculis, concidere experimur vires; inflato vero thorace, pulmonibusque distentis, musculorum, ac fibrarum totius corporis tonus firmatur. Si tamen cursus sit nimis concitatus, ac longus, multo aere oppletis pulmonibus, pulmonares vesicae inflantur, & sanguini a dextro cordis sinu per vasa pneumonica transeunti, remora iniicitur, arctatis quippe, & compressis ductibus; hinc vasorum ruptiones, & sanguinis reiectiones contingunt, quod etiam observat *Galenus* (c). Ob eandem causam asthmaticae passiones iisdem obo-

riuntur, tum primariae, tum secundariae; id est convulsivae, acris feri nempe per musculos intercostales diffusionem facta, ipsoque ad violentam contractionem cogente. *Enecat me spiritus, vix differo anhelitum*, aiebat *Cursor* (d) apud *Plautum*. Hinc fit, ut nostrorum temporum cursores, ubi 40. annum attigerint, ab hoc ministerio tanquam emeriti ad publica nosocomia ablegentur. Mihi profecto cursores nostri, quos passim videmus in Civitatibus anhelantes, praepeti cursu dominorum suorum rhedas anteire, mihi inquam, ejusdem conditionis esse videntur, ac illi, quos eleganter delineavit *Aelius Spartianus* in vita *Imperatoris Veri*, qui suorum cursorum humeris alas aptarat, & variis ventorum nominibus appellabat; nostris enim, si non humeris, saltem pedibus, servilis necessitas addidit alas. Luctet autem hic scriptoris referre verba: *Jam illa leviora, quod cursoribus suis, exemplo cupidinum frequenter, alas addidit, eosque ventorum nominibus saepe vocitavit, Boream aliam, aliam Notum, item Aquilonem, aut Circium, ceterisque nominibus appellans, & indeseque atque inhumaniter faciens cursitare.*

Cursoribus etiam lien non raro intumescit, laxa enim hujus visceris compages, ex nimis concitato motu, sanguinis plus excipit, quam dimittat, unde serosus humor in illius cavitatibus restagnans, inflationem facit; lienem propterea cursoribus solitum antiquitus inuri, quod illis in cursu impedimento esset, scripsit *Plinius* (e). Sic modo descriptus *Servus plautinus*:

Genus hanc cursorem defecerunt:

Perii, seditionem facit lien.

Hae igitur sunt cursorum vitia, quae porro ipsimet multa intemperantia, in vitio, foveant, ac nutriunt. Ab herniis facile se praemunire poterunt subligaculo, ante-

(a) L. 8. c. 4. (b) L. 3. c. 53. (c) 6. Epid. tom. 2. & 7. Meth. (d) Menach. Act. I. (e) L. 11. c. 37. H. N.

Antequam ab ejusmodi infortunio corripiantur, quod illis familiare est; extenuationem quoque, & carniū absumptionem reparare poterunt, non solum victu humectante, sed mollibus, & oleosis frictionibus, ac balneis, ubi otium illis suppetat; hisce remediis occurrent quoque cutis constipationibus, quibus post ingentes cursus, & sudationes obnoxii sunt. Identidem quoque venam secando, vasorum ruptiones, & sanguinis rejections præcavebunt, quod remediū genus, ubi ex gravi aliquo affectu decumbant, nequaquam omittendum. In cursoribus enim nulla pars magis laborat, ac imbecillior fit, quam pulmones. *Labor articulis, carnibus cibus, somnus visceribus;* ajebat *Hippocrates* (a). Motu enim, & cursu roborantur articuli, sicuti otio, & exertationis intermissione languescunt, ac

(a) *San 6. Epid.* (b) *Curcul. Act. 2. Sc. p.*

torpent; non sic autem pulmones, qui in violento cursu incalescunt, & naturalem suum tonum amittunt.

Hisce remediis, ac monitis cursorum incolumitati erit consulendum; at id genus hominum *Medicorum* consilia, & præsidia non exposcit, nisi cum actu decumbunt, seu ab aliquo ex dictis affectibus, ob cursale ministerium detinentur, quibus in casibus, non prorsus inutile erit nosse, quo exercitii genere utantur.

Cum a viscerum, ac lienis potissimum obstructione male habent (iis remediis adhibitis, quæ infarctus expediunt, qualia sunt chalybeata) moderata ambulatio loco remediū erit; sic apud *Plautum* (b), *Cappadox Leno* se quasi liene cinctum cū *Palinuro* conquerens; *Lien disruptum est*, ait, cui respondit alter; *ambula, id lieni optimum est.*

De Morbis Equisonum.

C A P U T XXXIII.

IN eandem classē satis commode referri possunt equisones, qui in hippodromis ad equos perdomandos, & instruendos operam suam impendunt, nec non & tabellarii, qui mutatis equis propter publica negotia, & commercia literas huc & illuc deferunt; iisdem enim pene morbis teneri solent, ac pauloante descripti cursores. Herniosi etenim facile fiunt, asthmatici, ac præcipue ischiadici, quem affectum *Scytharum* proprium esse scripsit *Divinus Præceptor* (a), cum vitam degere in assidua equitatione, ac eandem ob causam infecundos esse. Ructionem quoque vasorum pectoris inferre solet continua equitatio, uti annotat *Ballonius* (b), sicuti non parvam labem renibus, ut non raro equisones sanguinem mingant, ac ali-

quando lumborum resolutionem patiantur. *Qui equitarunt, aut iter fecerunt, in lumbis, ac femoribus resoluti sunt*, verba sunt *Hippocratis* (c); fissuræ quoque in ano, & mariscæ iisdem oboriri solent, ac præcipue cum equos succussatores exercent, ac sine ephippiis; ad quod morbi genus alludens *Martialis* (d) sic lusit,

Stragula succinti venator same vedit,

Nam solet a nudo surgere fons equo.

Memini juvenem quendam, hippodromi nostri equisonem satis elegantem, olim me convenisse, qui multo cum pudore, multisque protestationibus suæ honestatis, testes superos vocando, mihi dixit se ad longum tempus sycosi in ano laborare, quem

(a) *De Ac. Aq. & loc.*
(d) *L. 14. n. 84.*

(b) *Defin. Med. p. 81.*

(c) *4. Epid. n. 17.*

quem iussi hilari animo esse, nec quicquā fœdi de illo me suspicari, cum id artis, cui se addixerat, esset vitium.

In clunibus quoque, ac interfoemineo, iisdem fieri solent ulcera diuturna, dyspnotica, & callosa, & varices in cruribus. In hanc rem pulcherrima historia exstat apud *Hippocratem* (a), quam hic referre lubet ex versione Fœsli. *Qui ad Elealcis fontem habitabat ad sex annos hippurin habuit, & inguinum tumorem, varicem, & diuturnas defluxiones in coxendicem, aut articulos.* Morbum igitur ex equitatione nimia contractum, hippurin vocat *Hippocrates*, ulcus callosum nimirum in clunibus, veluti interpretatur *Vallesius*. En quot mala equisonibus, & cunctis, qui intemperanter nimis equitatione oblectantur, solent contingere. Horum omnium affectuum ætiologiam, reddere non arduum opus esset; valida enim concussio potis est universam totius corporis æconomiam, tam solidarum, quam fluidarum partium, evertere; omnia enim viscera a vi,

Succussatoris tetri, tardique Caballi, uti ait *Lucilius*, concutiuntur, ac a sede sua naturali pene dimoventur, sicuti & tota massa sanguinea susque deque perturbatur, ac in naturali suo motu pervertitur; hinc defluxiones, seu feri stagnationes in articulos, vasorum ruptiones in pulmonibus, renibus, ulcera, & varices in cruribus, ob retardatum sanguinis refluxum, dum in iis præcipue, qui equos instituunt, femoris & crurum musculos intentos esse necessum est, ne dejiciantur. Profecto si perpendamus, quanto virium nisu opus sit, cum quis equo currenti insidet, vel illum ad varios motus instruit, cum totum fere corpus in actione tonica, & magna musculorum contentione detineatur, mirum non erit, si prædictis affectibus teneantur equisones.

Martianus egregius *Hippocratis* (b)
Tom. II.

Commentator locum quendam exponens; ubi *Divinus Præceptor* statuit, qualem potestatem habeat in nostri corporis statu permutando cursus longi, curvi, sensim facti, reversivi, circulares; ratioem affert elegantissimam, quare circularis cursus tantopere lædat, equisonum exēplo allato; hæc autem sunt illius verba. *In circulari cursu corpus vehementius laborat, quia dum homo in orbem currit, corporis moles, & pendus uni tantum parti incumbens, eam mirum in modum aggravat, unde corpus vehementer defatigatur, & ideo hoc cursus genus omnium maxime corpus extenuare potest. Quam quidem veritatem confirmabunt equisones, quandoquidem plus laborant equi in hac indefiniti cursus exercitatione, unius horæ spatio quam duarum in recto, circularesque eos adeo enervant, ut nullus quamvis robustissimus equus, dimidiatae horæ spatio cursum circulare tolerare valeat.* Præcipua autem eorum, qui equis perdomandis, ac instruendis addicti sunt, cura ac diligentia in hoc versatur, ut in cursu circulari, & indefinito, ut illum appellat *Hippocrates*, equos exerceant.

Infœcundos, & ad coitum impotentes fieri assidue equitantes, exemplo de Scythiis allato, ex *Hippocrate* superius dictum, quod fieri credendum, eo quia lumborum, & partium genitalium robur, ex assidua illa succussatione dissolvatur. Contrarium tamen visus est sensisse *Aristoteles* (c), qui literis prodidit, equitantes libidinosos esse, ob continuam pudendorum incalescentiam, & confricationem; quod equidem de moderata equitatione, & super gradarium, & tolutarium equum, est intelligendum. Magna ergo sunt incommoda, quæ huiusmodi exercitationis genus consequuntur, ac præsertim super succussatorem, & cursualem equum, ut *Cassiodori* (d) vocabulo utar, qui cursuales equos eos appellabat, quibus utebantur

M

Ta,

Tabellarii, & nos vocamus (*Cavalli da posta*) quos *Theodoricus Rex* edicto vetuit, ne ultra centum libras onerarentur, absurdum quippe existimans, *ut a quo celeritas exigatur, pōderibus opprimeretur.*

Non ibo tamen inficias, quin multa quoque commoda ex moderata, & leni equitatione consequantur, ut interdum remedii loco sit, ad chronicos morbos profligandos; etenim commoda equitatio ex *Hippocrate* (a) calefacit, exsiccat, extenuat, & ab *Avicenna* ad exturbandos lapillos a renibus, & urinam ciendam commendatur. Inter recentiores *Thomas Sydenham* ad hepatis, ac lienis obstructions expediendas, equitationem magnis laudibus extollit. Memini me equisonem juvenem curandum habuisse, qui cum ab acuta febre evasisset, moxque lienosus factus, ad hydropem propēderet, hortatu meo, cum ad solitum ministerium, licet imbecillis ac luridus, rediisset, unius mensis spatio integræ valetudini est restitutus.

Ad equisonum classē, referendi aurigæ, quibus non exiguus labor est aurigandi munus, illis enim necesse est in assidua & tonica contentione, utriusque brachii musculos habere, ac utraque manu lora fortiter detinere, ut equos in officio contineant, nisi enim suo munere rite fungantur, persæpe obvenit, quod scripsit *Virgilius*.

*Fertur equis Auriga, neque audit cur-
rus habenas.*

Priscis temporibus ad ludos, & spectacula in magna æstimatione erat aurigatio, ut Principes viri id pro honore ducerent interdum; sic *Suetonio* teste, *Nero* ipse aurigare, atque etiam spectari sæpius voluit, quod idem facere solitus *Caligula*, nullis, nisi ex Senatorio ordine aurigantibus. Notis quoque temporibus non desunt no-

biles viri, quibus currus bene regere, pro oblectamento sit.

Quod vero curationem eorum affectuum attinet, quibus equisones ac tabellarii teneri solent, Lectorem non adeo morabor; prostant enim apud Præcticos hujusmodi curationes, quas quilibet adire poterit, ubi tales affectus sint curandi; id potissimum advertendo, ut causa occasionalis amoveatur. Cautiones quasdam tantummodo lubet proponere, quas equitantibus usui esse posse existimo. Ne ob nimiam equitationem, disrupto, aut laxato peritonæo, hernia contingat, subligaculum gestandum; sic enim facilis est præservatio. Salubris nonnullorum consuetudo est, non adeo longis suppedaneis uti, ac multo magis; si quis sit herniosus, ac illi interdum necessaria sit equitatio, brevi stapede erit utendum. Ubi suspicio aliqua esse incipiat, de vasis alicujus ruptione in thorace, seu renes, & vesica laborare cœperint, hujusmodi exercitium ablegandum, nihil enim his partibus equitatione magis noxium.

Percelebris olim equiso, ac alter *Mes-
sapus* equum domitor ac institutor, fuit *Ludovicus Corbellus* Mirandulanus civis, ut ob sui præstantiam in instruendis equis, ad Aulam *Philippi Quarti Hispaniarum Regis* accitus fuerit. Hic tandem post multam equitationem, magnam sanguinis vim per os rejecit, ac paucos post menses, irritis omnibus medicis præfidiis, eo deductus est, ut in dies moriturus crederetur; ille nescio quo instinctu, cum omne fere alimenti genus respueret, carnem suillam appetere se dixit, qua comesta, melius habere visus est, ac ea postmodum elixa, & præcipue ex lactente porculo, usus est, quo cibi genere supra annum vitam produxit.

CAPUT XXXIV.

IN populosis Civitatibus, maritimis præfertim, uti *Venetis*, ob magnum hominum variis e locis confluxum, & mercium copiam, ingens visitur bajulorum multitudo; perneceffarius enim est illorum usus, ad apportandas, & exportandas merces e navibus onerariis. Videamus itaque quibus morbis laborare soleant homines isti clitellarii, uti illos appellat *Plantus* (a). Hi ergo ex magnorum ponderum super humeros gestatione, varios persæpe, eosque satis graves morbos, patiuntur; cum enim magna omnium musculorum contentione, ac præfertim thoracis, & abdominis, spiritum, & anhelitum continere illis necesse sit, non raro vasorum pectoris ruptiones contingunt. Bajulus etenim, cum primo ponderi humerum supponit, multum aeris inspirat, ac postmodum parum expirat; quare pulmonares vesiculæ valde inflantur, ita ut vasa pneumonica sanguinem deferentia, & excipientia, ob compressionem, munere suo non rite fungantur, propterea nil mirum, si vasa sanguinea nimis distenta facile dirumpantur.

Eandem ob causam, fracto musculorum thoracis tono, & pulmonum structura vitiata, bajuli facile asthmatici fiunt, pulmonibus persæpe, ob spiritum diu detentum, costis adhærentibus, uti ex cadaverum sectione non semel observavi. Varices quoque prægrandes iisdem in cruribus suboriri solent, sanguinis nempe motu, ob femorum & crurum musculos nimis distentos, ad superiora retardato, unde fit, ut venarum in valvulis dilatatio contingat. Omnes præterea gibbosi temporis progressu fiunt, dorsi vertebres ad anteriora inflexis, & habitum

in tali situ contrahentibus. Quamvis autem Mechanicæ regulas non calleant, Natura tamen ipsos docuit, facilius gestari pondera super humeros, pectore incurvo, quam recto corpore.

Herniosi quoque non raro fieri solent bajuli; etenim dum spiritum cohibent, facili negotio peritonæum dirumpitur, vel dilatatur. *Hildanus* (b) casum refert fabri lignarii, cui ex elevato pondere, omentum prolapsum est in scrotum, & mors die septima subsequuta est. Phtisi quoque eisdem obnoxios esse tradit *Felix Platerus* (c), casum referens lapicidæ & aliorum, qui ingentia pondera elevando, sanguinem per os rejeçarunt.

Casum non absimilem, & notatu dignum habemus ex *Hippocrate* (d) his verbis. *Qui Asinum ex pacto elevavit, statim febricitavit. 3. 4. 7. 8. sanguis erupit, judicatus est, alvus erupit.* Cum bajulus ille suarum virium jactator, statim febricitavit, indubium est, magni illius ponderis elevationem, causam occasionalem febris fuisse; ex qua parte tamen sanguinem effuderit, non indicat *Hippocrates*; *Vallesius* in commento putat e naribus profluisse, & hoc pacto solutam febrem, & alvum humidiorē factam, cum ex aphoristico documento, *Ubi sanguinis fluxerit multitudo, quacumque ex parte, alvus soleat fieri fluidior.* In historiis epidemicis tamen *Hippocrates* (e) pro more habet, verbum illud addere e naribus. Quacumque vero ex parte sanguis eruperit, constat facilem esse in hisce hominibus e pectore, e naribus, & hæmorrhoidibus quoque, sanguinis rejectionem, unde postea graves morbi subsequantur.

Tot ergo modis bajuli ab arte, quam exercent, male vexantur; propterea Me-

M 2 di.

(a) In *Mosell.* (b) *Cent. 1. Obs. 72.* (c) *Qu. Par. Q. 5.* (d) *4. Epid. n. 13.* (e) *4. Aph. 27.*

dico Practico non inutile fuerit proprios, & peculiares illorum morbos nosse, quapropter ubi consilium exposcant, vel actu decumbant, solita cautione erit procedendum. Quoniam vero id genus hominibus mos est, pleno victu virium robori studere, uti mos erat athleticis, idcirco in illorum curationibus sanguinis missio primas tenebit, tum & quæ stomachum expurgent, nec non quæ lassitudinem tollant, ut balnea, frictiones, ac similia. Quia vero herniis obnoxii esse solent, monendi sunt, ut ad præcautionem subligaculis utantur, nec miloniano ausu, ut interdum solent, invicem decertent, quis in magnis ponderibus gestandis robustior sit, ne iis contingat, quod illi evenit, qui ex pacto asinum elevavit.

In hanc rem liceat mihi mechanicum problema proponere, scilicet cur geruli facilius gestent onera super alterum ex humeris curvi, & proni, quam recti, quando recti majori robore ac sine casus periculo, deberent pondera sustinere, eo modo, quo columnæ & trabes in situ recto ad horizontem ingentes sustinent moles; sic mulieres nostrates rusticæ super caput ingentia pondera ad centenas libras, ad aliquot milliaria, ad Urbem deferunt; at istæ semper recte incedunt, ac sedulo cavent, ne quicquam a perpendiculari deflectant, alioquin sub pondere conciderent. An id fieri censendum, quia pondus in situ erecto claviculam, os parvum, premeret, ac magis in medio, quam in extremitatibus, adeo ut facile illam posset confringere; in situ vero inflexo, & ad anteriora prono, pondus super omoplatam, os magnum, latum & robustum incumbens, minus dolorificam pressionem inferat, nec tam facile illam possit infringere, hancque ob causam bajuli, sic fa-

cilius, & tutius pondera gestari advertentes, curvi incedunt? id autem verisimile videtur, idem enim corpus grave minus dolorifica pressione sustinetur v. g. a tota manu, quam solo digito; sicuti etiam pila aurea v. g. unius libræ in manus vola majorem pressionis sensum efficit, quam pila lignea ejusdem ponderis; quia pila aurea minoris molis, totam vim suam in minores partes subjectas exercet, quam pila lignea. Pondus ergo super bajuli humerum in situ curvo adaptatum, præterquam quod super robustiorem partem incumbit, pluribus quoque corporis partibus innititur, quam si corpus bajuli esset in situ recto, siue corpus grave sit solidum, ut lignum, seu flexile, ut tritici sacculus, ideo melius toleratur, & ob hanc causam bajuli, pondere imposito, illico ad anteriora curvantur, clunibus ad posteriora exporrectis, ut in directionis linea perstet gravitatis centrum. *Venetis, ac Ferrariæ*, observavi onerarios hosce homines, saccos tritici, aliaque pondera, non super humerum, ut nostris mos est, sed super collum, & dorsi vertebrae gestare, ita ut pondus super totum dorsum gestantis incumbat, ajuntque sic minus sub pondere laborare, ac premi, quam si super alterum ex humeris, pondus ferant, quod rationi congruum est; adeo verum est Poetæ illud, *Leve fit, quod bene fertur onus*. Mulieribus vero super caput magna pondera gestantibus, necesse est rectas incedere, nam si caput inflecterent, corpus grave illi superincumbens, extra directionis lineam positum, necessario caderet; facile præterea magnos canistros, cum admiratione spectantium, super caput gestant, rectæque & agiles incedunt, quia pondus super calvariam, os robustum, & concameratum, ac super vertebrae directe incumbens, positum est.

CAPUT XXXV.

Quamvis ob tot rerum vicissitudines multa veterum instituta obsoleverint, veluti athletarum, & gladiatorum spectacula, quæ ludos, & munera vocabant, quasi ludus, & egregium munus esset, hominum lanienam populis exhibere; lubuit tamen pauca quædam de athletis, ac illorum morbis perstringere, ut saltem appareat, quam accurata esset antiquitus Medicorum solertia in examinandis, & curandis artificum morbis. Nemo in medicina tam novus hospes est, nec quisquam in scholas medicas pedem immisit, ad cujus aures non insonuerit Hippocraticum illud oraculum, *Habitus Exercitatorum &c.* cujus genuina expositio tot ingenia diu exercuit, ac torlit, tot editis commentariis, quibus nihil adjicere auderem, postquam celeberrimus L. Tozzius, Archiater olim Pontificius, aphorismorum Hippocratis solidam ac veram interpretationem juxta recetiorum dogmata aggressus est.

Magna profecto antiquitus ob ludorum frequentiam athletarum, & palæstritarum erat multitudo; neque enim servile erat exercitium, sed liberorum quoque & nobilium adolescentum, qui a pædotribis ad varia exercitationum genera erudiebantur; sic apud Terentium (a) Parmenio Thaidi juvenem offerens, aiebat:

Fac periculum in literis, fac in palæstra,

In Musicis, quæ liberum scire equum est;

Adolescens solertem dabo.

Quare satis frequentes contingebant casus, quibus athletæ medica ope indigerent. Affectus autem quibus corripiebantur, erant apoplexiæ, sineopes car-

diacæ, catarrhi suffocativi, vasorum sanguinis in pectore ruptiones, ac frequentes repentini interitus. Horum affectuum causa potissima erat, summa humorum plenitudo, ac vasorum distentio, ut sanguinis motus vel insigniter retardaretur, vel prorsus tolleretur; hinc venarum interceptiones, ut hippocratica phrasi utar, sanguinis scilicet restagnatio, ac fluidorum omnium stasis, ut necesse foret subitam mortem subsequi, quod eo frequentius contingebat, quia ab otio & opiparo victu pro virium robore, ad luctum & palæstram transitum facerent; periculosius est enim ex Hippocratis (b) oraculo transire ab otio ad negotium, quam a negotio ad otium. In vehementi quippe excitatione valde incalescit, ac rarefcit massa sanguinea, ut non tam prompte fieri possit sanguinis ab arteriis in venas elutriatio, seu non tam cito per venas remeet, veluti meat ac discurret per arterias, multoque minus ubi adsit summa vasorum plenitudo.

Qualis porro esset athletarum victus, & quam elegans, satis expressit Cons. Senex (c) in historia Biantis, his verbis. *Biantis pugili, cum natura vorax esset, contingit, ut in affectiones cholericas, bile sursum, & deorsum exeunte, delaberetur, ex carnis esu, maxime vero ex porcinis carnibus crudioribus, & ex ebrietate vini odorati, & placentis, ac dulciariis ex melle, & cucumere, & pepone, lacte, & polenta recenti.*

En quomodo se infarciebant athletee, ut eufarciam, & fortes habitus sibi adscicerent; sic Aristoteles (d) scripsit athletas variis formis affici, eo quod tam varios cibos conficere, & equaliter distribuere

ne-

(a) In Eunuchis.

(b) De ra. Vic. in ac. n. 24.

(c) 5. Epid. n. 27.

(d) 4. De gen. Ani. c. 3. & 3. Po.

nequirent; quare non immerito *Plato*(a) athletas vocabat somnolentos, ignavos, & vertiginosos.

Galenus (b) quoque pluribus in locis athleticam artem, multis probris oneravit, ac tum animo, tum corpori damnosam appellavit, suo periculo forsan edoctus, ut ex eodem habemus; annum enim agens trigessimum, ut ipse ait (c), cum *Romæ* degeret, inani forsan gloria plectus, ut inter strenuos palæstritas haberetur, dum in gymnasio se exerceret, humeri luxationem passus est, ob quam gravissimum vitæ periculum subiit, ut videre est ex curatione illi adhibita, & ab eodem descripta, cum parum abfuerit, quin nervorum distentione corripereetur, adeo ut illi necessum fuerit, totam diem, ac noctem luxatam partem calido oleo perfundere, pelle toti corpori subiecta, super quam nudus jacebat, cum caniculæ æstus urgeret.

Quibus præsidiiis athletarum malis succurrerent veteres *Medici*, nemo non novit; venæ sectio, eaque satis liberalis, potissimum remedium erat, non ut corpus rursus nutriri inciperet, sed ut motus sanguinis restitueretur, qui in vasis pneumonicis, vel arteriis carotidibus interceptus,

potis esset etiam mortem inferre. Purgationes quoque validas adhibebant, sicuti & tenuissimam diætā, quoties morbus daret inducias, multaque alia remedia administrabant, tum pro curatione, tum pro præservatione, ut qui frequenter præmanibus hujusmodi artifices haberent curandos.

Venereorum usum, athleticis solebant gymnastæ interdiceret, ne illorum corpora enervarentur, imo verenda illis infibulare consueverant; elegans est *Martialis*(d) Epigramma de *Menophylo* Judæo, cui, dum

*Luderet in media, populo spectante,
palæstra*

Delapsa est misero fibula, Verpus erat. Nimia tamen a veneris usu temperantia, cum pleno victu, eosdem ad nimium torporem interdum deducebat, idcirco, ut ait *Plinius* (e), detractis fibulis, venereorum usum illis permittebant, quo pacto hilaritas, & pristinum robur illis restituebatur; nam ex *Celso*(f) *concupiscendus, neque nimis concupiscendus, neque nimis pertimescendus, rarus excitat, frequens dissolvit. Sic Hippocrates* (g). *Labor, Cibus, Potus, Somnus, Venus, omnia medicocria.*

(a) 3. de Rep. (b) *Snaf.* ad bonas artes & 1. ad *Thrasylb.* (c) *Com.* 1. in lib. de *Artic.* n. 60.
(d) *L.* 7. (e) *L.* 23. c. 6. *H. N.* (f) *L.* 1. c. 1. (g) 6. *Epid.*

De Lepturgorum Morbis.

C A P U T XXXVI.

IN censu artificum, quidam sunt, quorum studium circa subtilissima artificia exercetur, quales sunt aurifabri, automatarii; qui scilicet horologia fabricantur, pictores, qui in gemmis imagines pingunt, scriptores, qualem eum fuisse arbitrari licet, qui *Homeri Iliada* in membrana scriptam, in nuce inclusit, si *Tullio* (a) credimus. Infortunium ergo, quod hu-

jusmodi artificibus, ex suis opificiis, præter vitæ sedentariæ incommoda, impendet, est myopia, affectus nempe oculorum satis notus, cum scilicet objecta visibilia oculis propius admoveere ne cesse est, ut possint perspicere; hinc videre est hosce artifices omnes, fere perspicillis uti in operibus suis elaborandis. *Vvedelius* (b) hujusmodi artificum particularem mentionem habet,

quos

(a) *Vid.* *Pli.* 1. 7. c. 21. (b) *Path. Dog.* *Se.* 2. c. 10.

quos ait debilitate visus laborare, eo quia partes quæ magis exercentur, soleant magis debilitari; lubet tamen aliam rationem ab opticæ principiiis deducere.

Nihil esse, quod modum, quo visio perficitur, illustrare possit, quam conclave obscuratum, in quo rerum externarum imagines, in candido linteo depinguntur, mihi semper visum est, quod primum *Platero* (a), mox *Fortunato Plempio* in sua *Ophthalmographia* debemus.

Etenim, si vitrum convexum, foramini cameræ obscuratæ insertum fuerit, quo propius objectum foramini apponatur, necesse erit lineum a foramine remove, ut in ipso imago objecti distincte repræsentetur; quo vero longius objectum visibile removeatur, admovendum foramini sit lineum, alioquin confusæ apparebunt rerum imagines, cum solum in puncto coitionis radiorum, tanquam a penicillo in retina distinctæ depingantur imagines. Oculum itaque, cujus sit magis commendabilis structura, ad remota, & propinqua clare & distincte videnda, mobilem esse necesse est, & aptum ad figuræ mutationem, ut vel retiformis tunica, vel humor crystallinus, loco facile dimoveantur. Passim experimur, quod quando remota non satis clare perspicimus, eo quia radii fere paralleli oculum subeuntes, post pupillam propius coeant, experimur inquam, quod oculos, musculorum & palpebrarum ope, constringendo & arctando, objecta, quæ antea confuse tantum videbamus, ejusmodi oculorum figuræ mutatione clarius videmus, ac discernimus.

Lepturgis igitur, qui circa minutissima opificia tota die sedentes, occupati sunt, necesse est, si res tenuissimas distincte videre ac discernere debeant, ut acie intenta, & oculos motu veluti tonico fixos detineant; proinde, etiam si ex sua natura mobiles oculos habeant, quod ut

diximus ad res tam remotas, quam propinquas distincte perspiciendas valde confert, ob hujusmodi tamen contentionem, & motum tonicum, habitum quendam contrahunt, adeo ut retiformis tunica in eodem situ obfirmata, postmodum persistet, nec amplius pro lubitu moveri possit, ad res remotiores clare videndas, & hanc ob causam, hosce artifices visus imbecillitas, quam Myopiam appellant, fere semper comitetur.

His accedit, quod dum oculi perpetuo ad opus intenti & immoti perstant, humores crassescunt, & una cum fluiditate perspicuitatem amittunt, sicque his opificibus visus imbecillitas paulatim suboritur; propterea etiam si ex sui natura oculos fortiti sint visus alacritate præditos, myopes & lusciosi evadunt.

Talem ergo calamitatem ex arte sua Lepturgi referunt, & ab elegantissimis operibus tanti usus, qualia sunt horologia potissimum, talem visus imbecillitatem accersunt, ut ante senium pene cæci fiant. Novi ego mulierem Hebræam in hac Civitate, cujus præstantia in hoc potissimum commendabatur, quod per las filo indere, ac tali ordine, & suo loco illas nosset disponere, ut illarum defectus, & menda, si quæ essent, non apparerent, ex quo mangonio, non vulgarem censum sibi comparavit; ast annum 40. ingressa, a nullo perspicillorum genere opem referens, lepturgiæ jam vale dixit.

Quibus præidiis, horum artificum calamitati succurri queat, ego certe non video; neque enim ipsis, ut artem deserant, unde lucrum, & victum captant, tam facile quis persuadeat, neque *Medico* remedium suppetit, quo, inveterato jam affectu, oculis pristinum robur, & mobilitatem restituat. Neque enim purgationes, venæ sectiones, aliaque medica præsidia hic locum habent, quando cætera sani sunt hi Artifices, ac satis vegeti

ut

ut spiritus crassi, ac tenebricosi in hac re culpari nequeant, neque pharmacis ple-

stendum sit innoxium caput. Non inutile tamen, præter perspicillorum usum, esset, si tales operarii non semper obstipito capite, ad opera sua intenti essent, sed identidem manum de tabula, & oculos aliorum diverterent, ac horas aliquot interpolate operi suo surriperent, oculosque objectorum diversitate recrearent. Non enim satis quis credat, quantum ad membranarum oculi mobilitatem, ac humorum nativam fluiditatem fartam tectam servandam conferrat, varia ac diversa objecta, propinqua, remota, directe, oblique, & quo quomodo intueri; hoc enim pacto naturalis dispo-

sitio, quam habet oculus, conservatur, ut pupilla modo corrugetur, modo dilatetur, & humor crystallinus, modo ad pupillam propius, cum opus est, possit accedere, modo recedere, prout usus ac necessitas exigit, tum remota, tum proxime objecta perspiciendi; alioquin oculo idem continget, ac cæteris partibus, quæ si in eodem situ diu detineantur, obrigescant, ac ad motum minus aptæ reddantur. Id satis planum est, in iis qui obscuris in carceribus diu fuerint detenti, ac postea educti; sensim enim luci captandæ debent assuescere, cum in tenebris pupilla diu dilatata, ac illius elatere infirmato, prompte constringi, uti solebat antea, quodammodo dediscat.

De morbis, quibus tentari solent Phonasci, Cantores, alique hujus generis.

CAPUT XXXVII.

Nullum exercitii genus reperire est tam salubre, tam innoxium, quod intemperanter adhibitum, graves noxas non inferat; quod satis experiuntur Phonasci, Cantores, Oratores Sacri, Monachi, Moniales quoque, ob continuam in Templis Psalmodyam, Rabulæ forenses, Præcones, Anagnostæ Philosophi in Scholis, ad ravim usque disputantes, & quotquot alii, quibus cantus, & vocis exercitatio artis loco est. Hi ergo, ut plurimum, herniosi fieri solent, si spadones excipias, quibus exsecti sunt testes. Ob longam enim, arctatamque aeris expirationem pro cantus modulatione, seu recitatione, musculi abdominis respirationis muneri inservientes, necnon Peritonæum laxitatem contrahunt, unde herniæ inguinales facili negotio succedunt, non secus ac in pueris, quibus ob nimiam vociferationem, & ploratum tumores in inguinibus apparent. Id potissimum in cantoribus, & Monachis observavit Fallo-

pius noster; Cantores, ait ille (a), qui gravem vocem faciunt, bassum vulgo vocant, necnon cucullati isti Monachi, sunt ut plurimum herniosi, nam continuo clamitant, ad clamorem autem, & magnam vocem, concurrunt musculi abdominis. Hoc itidem testatur doctissimus Mercurialis (b), qui ait cantores nostrates herniis obnoxios esse, non sic veteres, qui vocis exercitationi operam dabant; nam illi balneis frequentius utebantur, quorum beneficio, peritonæum, scrotum ac testium utriculi humectarentur, magisque tuto extenderentur, & hoc pacto emollita non tam facile discindebantur, uti nunc fieri assolet. Ego certe non paucas ex Monialibus observavi præ cæteris Mulieribus, hernia laborantes, dum cantibus, non secus ac Monachi, nimis indulgent.

Mercurialis (c) in sua Gymnastica advertit; acutam vocem, capitis disentiones, temporum palpitaciones, cerebri pulsaciones, oculorum inflationes, aurium

(a) T. 3. de Hernia c. 21.

(b) L. 6. Gym. c. 5.

(c) L. 6. c. 5.

rimque tinnitus efficere; quod non contingit in vocem gravem edentibus, multa enim aeris inspiratione, & anhelitus cohibitione opus est ad acutam vocem edendam, diuque suspendendam, veluti quilibet in tonorum scalarum cantu experiri potest; ubi enim ad scalæ summum perventum fuerit, musculos omnes, tum pectoris, tum abdominis distendi necessum est, unde sanguini refluxo remora iniicitur; hinc oris rubor, temporum pulsationes, & superius recensita symptomata. Eandem ob causam gravedines, & rauces cantoribus, & iis, qui histrioniam exercent, vitium familiare esse consuecunt, expressa nimirum e glandulis salivalibus, plus quam par est, lymphæ.

Margaritam Salicolum Scevinam, celeberrimam theatrorum syrenem, Mutinæ commorantem novi, quæ post exantlatos cantus labores, gravissima rauces per sæpe corripitur solet, quem affectum sibi familiarem ait post diuturnos cantus. Mirum est autem, quomodo mulier isthæc, quando etiam perfecta fruitur valetudine, pro lubitu, temporis fere momento, magnam crassæ lymphæ copiam ex ore eliciat; tam patulos habet salivales fontes, quod non nisi violentæ cantus modulationi acceptum refert. Eadem quoque mihi retulit, quod postquam in scena hianti ore diu cantum, sine novo aeris inspiratu suspenderit, brevi vertigine corripitur solet.

Cum ergo cantus, & sermo concitatus, caput impleant, & gravitatem inferant, non immerito *Medici* in capitis doloribus ac variis ejusdem affectibus, sermonem, lectionem prorsus interdiciunt, ut rem noxiam.

Nullum pene exercitii genus esse, ex quo totum corpus magis incalescat, quam e vocis exercitatione, ego certe existimo; video enim oratores sacros, postquam ad horam dixerint, totos multo sudore diffuere. Pulmones autem forsitan magis, quam in

curfu laborant, ob inæqualem respirationis tenorem in cantu, recitatione, lectione, cum modo remisse, modo intente, prout res exigit; pronunciatio exire debeat. Mirum itaque non est, si anhelosi fiant, ac interdum, aliquo vase in pectore disrupto, sanguinem rejiciant; uti nuper observavi in eloquentissimo Oratore S.J. qui cum e gravi morbo evasisset, necdum sat bene convalesceret, ausus suggestum conscendere, & panegyrim recitare, copiosum sanguinem per os effudit. Hoc idem quoque contigisse observavi doctissimo Professore in Patavino lyceo, qui ad horam integram publicas lectiones suis auditoribus habere consueverat.

In hanc rem elegantissima *Plinii* (a) epistola lectu digna est, in qua *Plinius Paulino* libertum suum *Zosimum* graviter ægotantem, ob sanguinem rejectum, & tabis pulmonaris suspicionem, commendat. Hunc variis artibus instructum describit, ac præcipue in legendo, ac recitando; eum, cum intente, & instanter pronunciaret, sanguinem rejecisse, ait, & hanc ob causam missum in Ægyptum, ex quo loco cum rediisset confirmatus, dum per continuos dies imperaret voci, tussicula veterem labem admonente, rursus sanguinem reddidit. Monet itaque *Paulinum*, se libertum hunc suum in illius prædia, quæ Foro Julii, possidebat, ob aeris salubritatem missurum, rogatque, ut eam villam liberti sui commoditati patere velit.

Auream *Hippocratis* (b) sententiam, annotatione dignam hic lubet memorare. *Quicumque labores vocis sunt, velut sermo, aut lectio, aut cantus; omnes hi animam movent*. An per animam intelligi voluit *Hippocrates* ipsum sanguinem, eo quod a vocis exercitio tota sanguinis systasis magnis motibus concitetur? Sanguinem autem animæ sedem esse, communis est opinio, imo pro anima ipsa accipi solere satis perspectum est.

Purpuream vomit ille animam,
ajebat *Maro* (a). Sanguineam massam in cantu
adeo incallescere, ex ipsorum musicorum
confessione certum est, ut peracto dramate,
scena exeuntes, urinam cruentam interdum
reddant. An vero, quod probabilius, pro
anima accipiendus est spiritus, quem per
respirationem ducimus, & efflamus? Vocis
enim exercitatio, si cum quocumque alio
exercitii genere conferatur, organa spiritus
valde dimovet, ac agitat. Notum est *Plau-*
tinum illud:

Facet anima uxoris meae.

In eodem quoque valetudinario sunt Ti-
bicines, & quicumque alii, qui plenis buc-
cis tibiis canunt; ob spiritus enim magnam
contentionem, dum tubas, ac tibias in-
flant, non solum praedicta mala, verum
etiam multo graviora subeunt, nempe va-
forum pectoris ruptiones, ac subitas sangui-
nis ex ore reiectiones. Casum miseratione
dignum in suis observationibus refert *Die-*
merbræchius (b), de quodam tibicine, qui cum
inter alios tuba canentes excellere appet-

ret, disrupta magna in pulmone vena, & san-
guine copiosissime effluente, intra duas ho-
ras expiravit.

Remedia quod attinet; ut herniam sibi
familiarem isti artifices praecaveant, ac eo
magis, cum ab ea detinentur, subligaculo
uti debent, cætera enim remedia, uti un-
ctiones, cerata, & emplastra, ridendæ res
sunt. Balnea ex aqua dulci ad vocem in te-
gram servandam, seu exasperatam emol-
liendam, non levem præstabunt operam, si-
cuti therebinthina cypria, & syrupus ex illa
paratus. Balnea tamen præ cæteris præsi-
diis commendat *Galenus* (c); sic enim ille.
Et sane ita faciunt Phonasci, qui magnam
vocis exercitio utuntur, cum contendendo
oblaeserint vocem; sunt autem bi Ci-
tharædi, Pracones, tragædiam, & co-
mædiam personati repræsentantes; balneis
enim multis utuntur, cibos lenes & laxan-
tes edunt. Ubi vero labes aliqua pectori
impendat, quod ex tussicula, & corporis
habitu prænosci poterit, abdicatio ab hu-
jusmodi arte erit suadenda.

(a) *Æneid.* l. 9. (b) *Ob. Med.* 56. (c) *7. De Comp. Med.* 2. loc. c. 1.

De Agricolarum Morbis.

C A P U T XXXVIII.

O fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas.

Sic olim Poetarum Princeps; quod ferre, aerem scilicet, & victus pravita-
tem; aeris quippe inclementiæ expositi in
forfan de prisca illa mortalium gente, quæ patria rura bobus suis exercebat, cen-
endum est, non ita vero nostra hac æta-
te, de nostris Agricolis, quibus in alieno
fundo cum perpetuis laboribus, & cum
summa egestate colluctandum est. Morbi
sergo, quibus rusticana gens, in Italia
saltem, ac potissimum in Cispadana &
Transpadana regione tentari solet, sunt
Pleuritides, Peripneumonix, necnon
Asthmata, colici dolores, Erysipelata,
Ophthalmix, anginae, dentium dolores
& corruptiones. Ad binas causas occasio-
nales potissimum hosce affectus licet re-

tem; aeris quippe inclementiæ expositi in
agricolationis operibus exercendis, modo
australibus, modo septentrionalibus ven-
tis perflati, modo pluviis, ac rore no-
cturno madefacti, æstivis solibus torre-
facti, ut ut fortes, ac duro de robore nati,
tam magnas mutationes tolerare nequeunt,
quare modo sudore diffluentes, modo per-
frigerati, victu pravo accedente, crasso-
rum, ac glutinosorum humorum appa-
ratum cumulant, unde malorum cohors
ipsis incumbit. Sic in tota massa humo-
rali, febrili effervescencia concitata, faci-
li negotio, in vasis pneumonicis, ad quæ
fit

fit totius sanguinis venosi confluxus, crassius ac lenti humores restagnant, ita ut, veluti pluries observavi, quotiescumque aliqua epidemica pulmonaris constitutio grassari incipiat, a rusticana gente classicum canat, ac in illa tyrannidem exerceat. Easdem ob causas, iis persæpe contingunt dolores colici, & affectio hypochondriaca, quam ipsi appellant, *il mal del Padrone*, eo quod, talis affectio, nescio quid hystericae passionis sapere videatur; ob alimenta enim crassa, & viscida, multa in stomacho ac intestinis pituitosi, & acidi succi fit congestio, unde intestinorum lacinatio, ac distentio ortum habent.

Cum autem varia, ac diversa, juxta regionum diversitatem, & secundum varia anni tempora, agricolationis sint opera; hyeme, ac sub veris initium morbis pectoris, fluxionibus ad oculos, anginis laborare solent; quorum affectuum causa, ut diximus, est sanguinis lentor & crassities, propter quam pigro lapsu circulum sanguis absolvit, & facile restagnans, inflammationes variis in locis excitat: Sanguis enim, qui hujusmodi tempore, vena secta, emittitur, tam crassius est, ut ceræ apiariæ, densitate & colore, speciem referat.

Nullum porro hominum genus esse existimo, in quibus majorem mutationem, idque brevi tempore, sanguis subeat, quam in rusticana gente; iis enim, quibus verno tempore sanguis densus ac glutinosus detractus est, sub æstatis initium, data alicujus morbi occasione, vividus ac floridus apparet; tanta est exercitationis ac laborum potestas, ut tam prompte, in contrariam crasim transseat humoralis massa, quod non sic in Urbana gente observatur.

Rem satis curiosam in nostratibus agricolis, ac in pueris præsertim, non semel observavi. Mense Martio circa æquino-

ctium, pueri, intra decennium circiter, in magnam visus hebetudinem incidunt, ac per totam diem parum ac fere nihil vident, sicque cæcorum ad instar palantes, & errabundi, per campos discurrunt; ubi autem nox accesserit, satis commode vident, quæ affectio sine ullo remedio sponte desinit, nam circa medium Aprilis mensem, acies oculorum pristina reintegratur. Sæpius, ubi data est occasio, horum puerorum oculos observavi, & magnam in pupilla dilatationemprehendi. Affectum hunc *Medici* Mydriasmum vocant, in cujus causa exponenda, non satis conveniunt Scriptores, ut apud *Sennertum*, *Riverium*, *Platerum* videre est.

Non multum a pupillæ resolutione, morbum hunc differre tradit *Gorræus* (a); mihi itaque visum est, posse radios solares Martii mensis colliquationem aliquam in cerebro, ac nervis visoribus efficere, unde uvæ tunicæ tonus dissolvatur, ut in se ipsam concidat. Pueri isti in stabulis impense calidis, ac humentibus, per totam hyemem degunt, hyeme vero soluta, quod circa æquinoctium contingit, erumpunt e latibulis, & nuda capita radiis solaribus exponunt, ex quo facillime fit humorum diffusio, unde pupillæ dilatatio, ac proinde visus imbecillitas, ob nimiam lucem admissam; sub finem Aprilis postmodum a solarium radiorum efficacia discussis, qui influxerant, humoribus, pupilla restricta, ac naturali suæ tensioni restituta, integra visio sine ullo remedio restituitur.

Æstate porro Agricolaë febribus acutis, ac ardentibus non raro corripuntur, ac præcipue cum illorum corpora torere cœperit *ira vesani Leonis*; sicuti per Autumnum, dysentericis fluxibus tentari solent, quorum causa in horarios fructus, aliaque errata in victu commissa videtur referenda. Cum per Autumnum,

iis mos sit cannabem, ac linum in aquis palustribus macerare, & hoc pensum foeminis praecipue incumbat, ut fascies cannabinos in lacubus ac stagnis, in aqua ad zonam usque immersae, extrahant, ac abstergant, illarum non paucae, post huiusmodi sordidum ministerium, acute febricitant, & citissime moriuntur, quod non tantum ob cutis adstrictionem, & prohibitum transpiratum, sed etiam ob spiritus animales, a tam horrida mephiti, quae totam viciniam infestat, ad interuentionem deletos, fieri credendum est. Profecto nunquam magis, nec sine ratione, Urbanae genti suspecta est rusticatio, quam huiusmodi tempore, cum villae omnes tetrum odorem expirant, quam solam causam agnoscit P. Kircher (a), propter quam nonnullae Civitates, saevissimam pestem interdum expertae fuerint. Quam virulenti sint halitus, quos effundunt aquae, ubi macerata sit cannabis, satis demonstrat Schenckius in suis observationibus, Petrus a Castro (b), Simon Pauli (c), & alii. Quanta sit odorum vis, quaecumque ea sit, satis norunt mulieres hystericiis passionibus obnoxiae.

Non parum quoque agricolarum sanitati officit eorundem incuria, dum ante bovia, & suilia, ac proprias domos, quae augiae stabulum revera dici possunt, fumum pro agrorum stercoreatione cumulant, ibique per totam aestatem pro deliciis asservant; quare fieri nequit, quin foedae exhalationes, quae jugiter attolluntur, aerem inquinant. Hanc ob causam Hesiodus agrorum stercoreationem damnabat, salubritati magis, quam fecunditati, consultum volens.

Notat P. Zacchia (d) hortorum cultores cachexia, & hydropse per saepe laborare; cum enim in locis humidis ob assiduam irrigationem, qua horti indigent, cogantur degere, non possunt illorum corpora,

quin multum humiditatis combibant. Olitorem quemdam meminisse curasse, paralyticum factum; in uno crurum abolicus prorsus erat motus, illaeso sensu, in altero abolicus sensus integro motu. Decocto guajaci, multisque aliis remediis post aliquot annos convaluit.

Historia exstat apud Hippocratem (e), quam lubet referre; Qui in Decaleis orto decumbebat, capitis gravitatem, & tempus dextrum dolorosum habebat multo tempore; cum occasione vero febris corripuit, decubuit. In hujus historiae expositione Galenus contra Sabinum excandescit, qui putabat hippocratico textui adjectum verbum illud, orto, tanquam id morbi ansa existisset; Galenus etenim hortorum aerem criminari visus est, ob stercoreationem, & arborum, veluti buxi, plantarumque consimilium pravae halitus.

Qui etiam circa prata habitant, iisdem morbis tentari solent; Prata enim insalubrem aerem ob easdem causas ut plurimum reddunt; hinc apud Jurisconsultos, l. Pratum ff. de rer. & verb. Signif. (f) contra vicinum, qui agrum restibilem pratensem velit efficere, intentari potest actio. Quare pratorum cultores, & foeniferae gravia patiuntur incommoda.

At agrorum cultoribus, quorum tanta est necessitas, quibus praesidiis succurreret Ars Medica? Nostratibus agricolis cautiones medicas ad praeservationem proponere, ridiculum pene videtur, quoniam de hac re, nunquam vel raro Medicos consulunt, ac si quis aliquid proponat, non observantur. Solummodo animadversiones aliquas in illorum curatione servandas proponam, quotiescumque ex praedictis affectibus, ad Urbem delati, in Nosocomiis decumbant, seu cum interdum, si sint opulentiores, Medicum accersunt. Prima cautio itaque in Pleuritide,

(a) Scrutin. Pestif. Se. 1. §. 1. (b) l. 7. Ob. 8. De Febr. Puncticul. (c) Quadripar. Bot. (d) Q. M. L. l. 5. Tit. 4. Q. 7. (e) 3. Epid. Aeg. 3. (f) Zacch. loc. cit. n. 14.

de, aliisque pectoris morbis fit, ne tam liberaliter detrahatur sanguis, ut fit in Urbana gente; illorum enim corpora ab assiduis laboribus attrita facile exsolvuntur; his accedit, quod sanguinis systasis tota fere gelatinosa fit, & partibus volatilibus efficta; sanguine propterea nimis large detracto, vires concidunt, nec sufficiunt ad morbum per anacatharsim exantlandum. Haud sum nescius, non deesse, qui sentiant audentius secandam venam, ubi sanguis tam densus appareat, ad motum illi, ut ajunt, conciliandum, quod equidem facile dictu est, sed quod cautionibus opus sit, ut per venæ sectionem a parte, in quam sanguis influxit, dimoveatur, videant apud doctissimum *Bellinum* (a); Certum quidem est, sanguinem per suos ductus sponte, & vi suæ gravitatis, non moveri, sed ab impetum faciente spiritu, mediante cordis motu, urgeri; quare labefactatis spiritibus, tantum abest, ut sanguini motus concilietur, quin potius illi sufflumen addatur.

Querit *Ballonius* (b), cur servorum, & servarum corpora, dura alioquin, compacta, & solida, nec tam lubricæ valetudinis, uti corpora liberorum, cum ægrotant, purgationibus, & venæ sectionibus magis obruantur, quam corpora, quæ sunt apertiora, ac molliora; varias rationes affert, quarum potissima est, quod illorum corpora densa sint, ac a duris visceribus distenta, adeoque non tam facile purgantibus auscultent, neque multum utilitatis ex phlebotomia referant, quod idem ad Agricolas transferri poterit. *Hippocrates* (c) quoque constitutionem quandam describit, in qua famulæ, quæ angina corripiebantur, peribant, non sic virgines liberæ. Non ergo solum ex habitudine corporum, sed ex conditione quoque vitæ, ac artium, considerandi sunt morbi, & curatio instituenda.

Non pauca igitur errata in gentium id

genus curatione, hanc ob causam committi video, eo quia ob virium robur, credentur magna remedia facilius tolerare posse, quam urbanam gentem. Ego certe, nec sine commiseratione, passim video miseros Agricolas ad publica nosocomia delatos, & Medicis junioribus e schola nuper egressis commissos, validis catharticis, & repetitis phlebotomiis penitus exhauriri, nec quicquam attendi inassuetudinem, quam habent, ad magna remedia, neque virium imbecillitatem ob exantlato labores; hinc est, quod ex his complures in stabulis suis malint occumbere, quam in nosocomiis, venis cruore exhaustis, ac ventre pharmacis exinanito, huic vitæ extremum vale dicere. Peracta messe in agro Romano quotannis ægrotantium messorum turba implentur Urbis nosocomia; nec satis liquet, num plures Messorum vitas, falce sua Libitina demetat, an Chirurghi plebotomo.

Profecto mihi non semel admirari contigit, quomodo ex his non pauci acutis morbis laborantes evaserint, non dicam sine remedii ullius ope, quod haud quam miror, sed cum diætâ satis lauta, & opipara; ut ut enim pauperes sint Agricola, ubi tamen eorum aliquis ægrotat, proximi accurrunt, ova ac pullos deferentes, ex quibus fercula componunt, quo pacto vim morbi vel eludunt, vel ab ærumnosa vita, quam ducunt, citius se expediunt; unde apud nos vulgare dictum effluxit, rusticanam gentem bene pastam, ac saturam in Orci familiam transire, urbanam vero fame, ac inedia inter Medicorum cruciatus misere occumbere.

Ubi vero e morbo cæperint convalescere, ad solitam diætâ redeunt, allia nempe & cæpas, quas pro bellariis, & victu analeptico avide sumunt. Medicamenti autem vicem acria isthæc alimenta subire facile crediderim; siquidem cum illorum

sto-

(a) De Sang. miss. Prop. 6.

(c) 7. in 6. Epid.

(b) L. 1. Eph. p. 96.

stomachus, ac tota massa sanguinea ad aco-
rem vergat, Autumno præsertim, post jam
exactos Æstatis labores capæ & allia,
non secus ac remedia antiscorbutica, apta
erunt ad gluten illud dissolvendum, ac aci-
ditatem temperandam. Ego multos ex his
novi, qui allii, & caparum usu, cum vi-
no generoso, media hyeme, quartanas fe-
bres fugarunt.

Galenus (a) historiam refert de quodam
Rustico, colico dolore correpto, qui sibi
medelam hanc paravit; cinxit se bene, mox
allium cum pane comedit, & in consueto
opere tota die se exercuit, quo pacto a coli-
co dolore solutus est. Itaque (verba sunt
Galenus) ipse certe id *Agrestium theriacem*
appellem, ac si quis vel *Tbracas*, vel *Gallos*,
denique qui frigidam regionem incolunt,
vesci allis vetuerit, non leviter iis ho-
minibus nocuerit. Aliud remedium ad co-
licam sedandam habent nostrates Agrico-
læ; folia *Chamæpytii* accipiunt, contun-
dunt, & cum ovorum vitellis cataplasma
conficiunt, quod ventri apponunt.

Satis curiosam historiam habemus apud
Hippocratem (b), cujus sunt hæc ipsa ver-
ba: *Figura magis allevantes, velut qui sar-
menta manu necēbat, & obtorquebat, præ
doloribus decumbens, correpta paxilli
summa parte se ipsum infixam inhaerebat,
melius habuit.* Putat *Galenus* in com-
mento (c) cum *Hippocrates* partem do-
lentem non expresse, dolorem in ma-
nu fuisse; censet *Vallesius*, colico dolore
ægrum laborasse, & ligneo palo appo-
sito, ubi dolor magis sæviebat, & quasi
conto perforabat, partem compressisse;
tales enim dolores non parum sublevari
ait, compressione forti, corporis jactatione,
& mutatione figura, quod ipsum in ven-

tris doloribus docet natura, nimirum ut
manu, vel pugno partem, quæ dolet, com-
primamus; sic enim partis distentio, & in
sublime elevatio prohibetur. Eodem modo
Hippocrates (c) in mulierum hysteri-
cibus, compressionem manu factam
laudabat, ut intra suos fines uterus coer-
ceretur, quod remedii genus mihi non
raro saluberrimum compertum est, ac mul-
to magis, quam tota hysteri-
corum reme-
diorum supellex.

Summatim ergo, ut ea quæ fusius pro
Agricolarum curatione dici possent, con-
trahamus; quantum usu, ac ratione licuit
deprehendere, illorum corpora laboribus
infracta, victuque pravo nutrita, tam lar-
gis & repetitis sanguinis missionibus, &
purgationibus non sunt exhausti. Vo-
mitoria facilius tolerant; cucurbitulæ sca-
rificate in continuis febribus, seu ob illo-
rum magnam huic remedio confidentiam,
seu ob quid aliud nobis ignotum, persæpe
mira præstant; si quid ex alexipharmacis
ipsis offerendum, ex familia volatili-
um sumatur. Naturæ morem gerendo, proni
enim sunt ad sudorem, æstate non solum,
sed etiam hyeme; in viris enim exercitatis
sudores facile prodire solent. Ubi vero lu-
tari cum morbo desierint, & convalescere
incipiant, ad pauperes suos lares reditus
illis permittendus, nec non solita familia-
ris diæta iisdem permittenda. Non imme-
rito sane *Herodicum Medicum* irridebat
Plato (d), quod Artificibus Diætetice re-
gulas vellet præscribere.

Sic ergo cōpendiaria curatione, id homi-
nium genus regendum existimo, alioquin
ob prolixam & variam remedium supel-
lectilem, sensim tabescit rusticana gens,
ægrescitque medendo.

(a) 12. Met. c. 8.

(d) 3. de Repub.

(b) 3. in 6. Epid.

(c) 2. de Morb. Mul. n. 82.

CAPUT XXXIX.

Quemadmodum Agricolaë terrā arando, ac ferendo, populis frugum ubertate victum suppeditant, ita piscatores maria, & flumina sulcādo piscium captura, ad rem cibariam, & mensarum delicias non parum conferunt. Non sufficeret enim continens ad tantam hominum multitudinem alendā, nisi æquor piscium copia succenturiaret; hinc est, quod Civitates & Portus maritimi in caritate ænonæ minus patiantur, quam Urbes & Regiones Mediterraneæ. Populos quosdam esse, quos Ichthyophagos vocant, qui scilicet ex solis piscibus victitant, quales sunt maris rubri accolæ, qui supra petras solis calore fervētes pisces assant, & panem conficiunt. Medicina igitur, quæ, ut ait *Hippocrates*, omnibus succurrit, non minorem piscatorum, quam agricolarum curam habere debet, quotiescumque ex morbis, quod non raro fit, male habeant. Sicubi ergo *Medico* occurrat piscatorem aliquem curæ suæ commissum habere, secum ipse diligenter expendat, quam laboriosa, quam difficilis sit ars ista, quam graves ventorum injurias tolerare sit necesse, hyeme frigora vehementissima, æstate summos æstus, quali ciborum genere utatur, quam irregulare vitæ genus degat, ut dum cæteri artifices diurnis laboribus fuerint defatigati, domos suas adeāt, & in stratis faciles noctes cum somno victurum instauratore traducāt; at piscatoribus nox ut plurimum operosa est, & insomnis. Sic *Apostoli* cum Servatore nostro cōquerebantur, quod tota nocte laborantes nihil cœpissent. Miseranda itaque istorum artificum est conditio, qui cum persæpe alios lares non habeant, quam solam naviculam, nosocomia cum ægrotant adire coguntur, quibus exacta & vera curatio institui nequit, nisi constet *Medico*, qua-

le nam sit artis genus, in quo se exercent.

Piscatoribus madidæ semper sunt vestes, unde iis morbis obnoxii sunt, qui ex læso transpiratu oboriuntur, uti acutæ febres, morbi pectoris, pleuritides, peripneumoniæ, tussis, dyspnœæ, & similes morbi; ut plurimum pisculento victu utuntur, eoque viliori, cum pisces nobiliores Principum mensis servantur, ut de Rhombo illo, de quo *Juvenalis* satyra 4. ; quare iis habitus sunt cachectici, qui ad hydropem terminantur; *imbecilliora cibaria, brevem vitam habent*, dictum est *Hippocratis* (a) h. e. ut egregie *Vallesius* in cōmento, non multum conducunt ad vitam longam producendam; recte propterea scripsit *Levinus Lemnius* (b), esum piscium, eo quod citissime putrescant, plus panis exigere. Iisdem, cum in locis humidis semper degant, in cruribus ulcera fiunt, sanatu difficilia; Scire tamē oportet ulcera eorum, qui in aquis fluvialibus, & locis palustribus piscationē exercent, longe differre ab ulceribus, quæ maritimi piscatores pati solēt, illorum enim ulcera sordida sunt, in gangrænas facile degenerantia, horum vero sicca & squallida, uti advertit *Hippocrates* in lib. de humorū usu n. 7. qui pro hujusmodi ulcerum curatione fomentum aquæ marinæ proponit. Locum hunc egregie exponit *Martianus*, cum enim parum rationi cōgruum videatur, ulceribus siccis & squallidis aquā marinam adhibere, quæ mordacitate sua irritandi, fluxionemque augendi vim habeat, id recte tamē *Hippocratem* præscripsisse ait, siquidem, cum piscatorum in maritimis locis degentium ulcera sint prædura ac sicca, irritatione induceta, ad supurationem perducī possint, sine qua ulcera sanare est impossibile; hoc idem ob-

fer-

(a) 2. in 6. Epid. tex. 50. (b) De Occ. Nat. mir. l. 2. c. 21.

servat *Galenus* (a). Secus vero curanda illorum ulcera, qui in fluminibus locisque paludosis piscatum exercent; huiusmodi enim ulceribus sordidis exsiccantia sine mordacitate convenient, etenim ex *Hippocrate* (b), *Ulcus siccum sano proprius, humidum vero non sanum*. Alvi adstrictione non levi laborare solent maritimi piscatores, licet sint multo edaciores, quam qui degunt in terra, ut observat *Helmontius* (c), cuius causam refert, in aerem salinis halitibus imprægnatum, qui appetentiam acuat, ac simul alvum duriores reddit, nec non in fluctuationem, quæ aerem continuo recentet, a quo fermentationi sanguinis calcar addatur. Sic clysteres ex aqua marina, non parum quidem ad fecernendum sollicitant, sed siccitatem post se relinquunt. Locus est insignis apud *Hippocratem* (d), ubi ait *mentiri homines de salis aquis per imperitiam in eo, quod aer alvum secedere, eamque solvere putantur, maxime enim contrarie sunt ad alvi egestionem ac seces-*

sum; hinc videant, qui in alvi adstrictione clysteres acres, & multo sale refertos præscribunt, quantum a *Divini Præceptoris* vestigiis devient. Piscatoribus itaque, quibus alvus sit adstricta, convenient potius clysteres emollientes, & oleosi, per os blanda lenientia, & eccoprotica.

Torpori, & stupefactioni brachiorum, ac pedum, aliquando obnoxios piscatores esse palam est, si forte in retibus adsit inter alios pisces *Torpedo*; habet enim mare animalia sua venenata, non secus ac terra, quæ *Plinius* (e) refert, idque non solum contactu, sed etiam aura venenata, quæ per setam, aut hastam brachio piscatoris communicetur, uti scripsit *Dioscorides*, *Plinius*, *Masbiolus*, atque alii; sed ab experimentis multis habitis a *Stephano Lorenzino* constat, id non effici, nisi per corporalem contactum, neque in omnibus sui partibus, sed solummodo per quosdam falcatos musculos. De torpedinis stupefaciente facultate, ac remediis satis fulse egit *Sennertus*.

(a) De sim. med. fac. l. i. c. 7. (b) De ulce. (c) Blat. hum. n. 36.

(d) De Aer. aquis & loc. n. 16. (e) H. N. Lib. 9. cap. 33.

De Morbis Castrensibus.

C A P U T XXX.

Militaris disciplina, quæ satis antiquam cum Literis litem habet de dignitate ac præstantia, & quænam sit aptior ad nominis immortalitatem comparandam, hoc habet, in quo a reliquis artibus differt, quod cæteræ ad vitam, qua nihil pretiosius, sustentandam, hæc ad illam prodigendam videtur instituta. Profecto nostra hac ætate, nullum calamitosius vitæ genus excogitare licet, quam illud, quod milites, gregarii saltem, ducunt, tum in acie, ac arcium oppugnationibus, tum in hybernis quoque, siue ob neglectam militarem disciplinam, cum non ea diligentia, ut olim, bo-

næ Militum valetudini consulatur; miserabili enim militæ, quæ a ferro, & igne, ab expeditione aliqua superstes fuerit, sæpe numero malorum incumbit cohors, raroque evenit, ut a maligna aliqua epidemia Exercitus non decimentur. Hinc celebres, seu potius infames, sunt febres Castrenses, alique morbi exitiales, & contagiosi, qualis fuit Febris Ungarica, quæ primo caput extulit anno 1566. in Pannonica expeditione *Maximiliani II. Imperatoris* contra *Solymanum*, quam febrem *Sennertus* (a) rite describit, & militarem, seu Castrensem appellat, utpote in castris a pravis ali-

(a) L. 4. c. 14. de Feb.

mentis, & aquis corruptis enatam, quibus alias tamen causas adjunctas fuisse idem testatur, scilicet vigilias, ingentes labores, pluvias, æstus, frigora, inopinos terrores, ac mille alia incommoda, quæ non norunt, nisi qui ea experti fuerint.

Nihil tamen æque morborum phalanges in castra invehere posse crediderim, quam castrorum sordes & neglectam munditiam. Divino edicto olim *Israelitis* interdicebatur, ne intra castra alvinas sæces auderent deponere, sed extra ipsa, imo in terra facto foramine, in illo alvum exonerarent, mox sæces operirent, quem in finem, quilibet miles paxillum ad latus acuminatum gestare tenebatur pro necessario hoc munere; quod ipsum apud *Turcas*, quorum militiam corporis munditiei magis studet, rite observari accipio. Hæc autem sunt *Deuteronomii* (a) verba: *Habebis locum extra castra, ad quem egredieris ad requisita natura, & habebis paxillum cum armis tuis, cumque sederis per circuitum, & egesta operies, quo relevatorus es: Deus enim ambulat in medio Castrorum.* Ego quidem in castris medicinam me nunquam fecisse fateor, ab iis tamen *Medicis*, qui magnos exercitus comitati sunt, accepi, tam gravem mephitim in castris interdum per astatem perferri, ut nullum antrum charonæum gravius foeteat; mirum itaque non est, si peculiare, & inobservati in castris morbi emergant, qui peculiari nomine sint donati, & particulares curationes mereantur. Non defuere propterea doctissimi viri, qui in id ex professo incumbuerint, ut *Raymundus Nindererus*, qui tractatum edidit de militari medicina, necnon *Henricus Secreta*, qui egregie scripsit de febre maligna castrensi, & doctissimus *L. Antonius Torcius* de militis in castris sanitate tuenda.

esse Medicinæ faciem, ab ea, quæ in Civitatibus visitur, & ex legem esse censebam, ut cum quadam temeritate essent rapienda remedia. Sicuti enim castrensis vita brevis esse consuevit, ita inibi artem mendi, non adeo longam esse debere existimabam, sed expeditam, & sicuti occasio est præcepti, ita experimenta esse periculosa, sicque *Medicum* etiam si velit, ob inopinos casus, & frequentem castrorum mutationem, præstare se non posse opportuna facientem, neque ægros ipsos. Verum a clarissimo viro *D. Georgio Errico Barsntorff*, Serenissimæ Ducis *Annoverensis* Archiatro, dum *Mutinæ* degeret, accepi, medicinam in castris non adeo rudem esse, neque tam irregularem, ut vulgo creditur, cum Principes, ac Exercituum Ductores, tum sibi, tum suis copiis peritos *Medicos* cum magna pharmaceutica suppellectile, magnisque stipendiis conductos, adesse velint, sicuti in Trojanano bello *Machaonem Medicum*, ac celebrem Chirurgum inter Græcos fuisse legimus. Ab hoc igitur doctissimo Viro, qui in Hungaria quinque numerosissimis Castris, cum *Brunsvicensibus*, & *Lunenburgensibus* copiis interfuit, multa scitu digna intellexi, quæ hic referam, ut hoc pensum meum pro militaris disciplinæ beneficio, si non proprio, saltem alieno Marte, absolvam.

Ad duo potissimum capita (exceptis vulneribus, quæ sunt militiæ præmia) morbos castrenses refert Vir clarissimus, febrem scilicet malignam, & dysenteriam; reliquos autem morbos, horum duorum tanquam prodromos, vel pedisequas statuit. Februm malignarum causam proximam, & immediatam miasmatis virulento, in massa sanguinea concepto, & radicato acceptam refert; causam vero occasionalem, Castris in eadem statione diu manentibus, hominum, & animalium cadaveribus, necnon illorum excrementis

Ego quidem in castris longe diversam

Tom. II.

(a) C. 23.

O

non

non obrutis, quæ omnia pravis halitibus aerem inquinare valeant, & in vitæ penetralia malignas particulas invehere. Malignitatem hanc in acido impuro volatili summeque activo, & tam humorum, quam spirituum, mediante fermentatione, destructivo, constituit. Malignas has febres, circa finem æstatis ut plurimum excitari ait, quas postea comitantur cephalalgia, deliria, convulsiones, fluxus colliquativi, cetera causam effectus. Ex ejusdem observatione, febres hæ malignæ castra deserunt, ac receptui canunt, simul ac frigus nocturnum invalescere incipiat; Sole siquidem recedente, magis constringitur aeris textura, & foetidæ exhalationes intra propriam mineram se recondunt, unde foetore hostili, & activitate acidi solaris, cessantibus, cessat quoque malignitas.

In aere igitur corrupto, ac inquinato, malignitatis seminum illud hospitari ait, quod febrem castrensem gignat ac nutriet, adeo ut si ullus morbus sit, cui vere *castro*, Hippocratis conveniat, maxime castrenses febres debeatur, quod etiam de remediis, quæ iisdem adhibentur, affirmandum. Morbos autem, in quibus veteres divinum aliquid agnoscebant, aeri genesis suam debere, ex ejusdem Hippocratis (a) testimonio satis liquet, qui morborum principium ex Cælo, aere scilicet, deducit, & Auctorem, & Dominum eorum, quæ nostris corporibus accidunt, aerem appellat, quamvis Helmontius (b), Divinum illud pro fermenti admiranda proprietate, interpretandum velit. Notat Vir clariss. Hippocratem (c) in libro de morbis, principium morbi ex Cælo appellasse ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, & in libro (d) de veteri Medicina, eodem vocabulo quoque humorem acidum, dulci oppositum vocasse, unde contagium ex aere susceptum, per acidum volatile satis commode videtur exponi posse.

Symptomata, quæ febres has castrenses prænunciant, sunt perturbatio quædam, ac sui displicentia, quam ægri sentiunt, mox una, vel altera horripilatione, manifestum miasmatis virulenti indicium. Symptomata vero febrem hanc comitantia sunt vigilia, deliria, magnus æstus, anxietates circa præcordia, somnolentia oppressiva, capitis dolores, ac persæpe sudores, usque ad morbi statum.

Ad bonum, vel malum morbi eventum prænunciandum, sudoris præsentiam vel carentiam attente considerandam inquit; siquidem, si cum pulsu magno sudor, licet a principio, observetur, pene certam salutis spem, licet prædicere, quamvis magnis symptomatibus vexentur ægri, sicuti plurimos absque sudore, licet mitius degere viderentur, inopinato extinctos vidisse ait; neque adeo referre, si in diebus judicatoriis non appareant, cum etiam boni sudores ab Hippocrate (e) dicantur, qui efficiunt, ut facilius feratur morbus.

Quoad harum febrium curationem, fuisse ut plurimum venæ sectionem sibi observatam testatur, & ab illa religiose abstinuisse; quare post unam, vel alteram horripilationem, antequam miasma virulentum vitæ penetralia altius subiret, statim alexipharicum aliquod volatile exhibebat, veluti tincturam bezoardicam Vvedelli, cum spiritu cornu cervi rectificati, cæteris vero diebus cardiacum aliud magis temperatum, uti pulverem contraiervæ, cornu cervi, salis viperini, singulis sex horis, donec largus proflueret sudor, quo fluente, mitius agebat, remedii dosim, & frequentiam sensim diminuendo; quo tempore, nisi maxima urgeret necessitas, alvum non sollicitabat, cum ab alvo soluta, sudorem, & transpiratum sisti videret; quem transpiratum, decocto avenæ cum radicibus scorzonæ, rasura cornu cervi, & similibus

pro-

(a) De stat. n. 4. (b) In Ign. Hosp. (c) L. 4. n. 26. (d) N. ultim. (e) Prænot. n. 5.

promovebat. Satis feliciter vesicantium usum sibi cessisse ait, in tribus potissimum casibus, scilicet in somnolentia, capitis doloribus, & sub cute latitantibus peti- culis, brachiis & femoribus illa appo- nendo.

Eadem pene methodo castrenses dysen- terias curandas putat, eadem bezoardica, bis vel ter in ipso principio, opiatis in parva dosi permixta, propinando, ut coercito humorum ad alvum impetu, la- xatisque partium nervosarum fibris, su- dori fores liberius paterent, eodem tem- pore corpus stragulis bene contegendo, & crustam panis spiritu vini calido impræ- gnatam, umbilico apponendo. Habito autem juxta votum sudore, si corpus pur- gatione aliqua indigeret, pulverem laxa- tivum ex Rhab. Corall. rub. præp. Cor- nu C. uti in juscule propinabat, quo bis, vel ter repetito, malum sæpe superatum vidit, exhibito postea, si opus esset, me- dicamento aliquo stomachico, ad appe- tentiam suscitandam.

Ad tormina vero sedanda, nervina car- minativa, opiatis sociata valde commen- dat, qualis est mixtura polychresta, a clariss. *Vvedelio* in Opiologia descripta, & sacculi paregorici ex floribus Chamæ- meli, seminibus lini, fursure, & sale fa- cti. Si vero diutius cruoris fluxus perdu- ret, usum salutarem præstare ait absor- bentia & styptica; sic hujusmodi remediis, e castris venæ sectione ablegata, castren- ses morbos facilius expugnari deprehen- dit.

Quoad unitatis solutæ morbos, vulne- ra scilicet, quod sæpe evenit, rem nota- tu dignam observavit Vir clariss. inesse illis nescio quid castrense, ac malignum, quamvis vulnera essent levissima, nec mali quicquam de illis liceret suspicari; observavit enim in diuturnis arcium ob- sidionibus, vulnera omnia cum contusio- ne, veluti sclopetorum, ac præsertim in capite, utut leviuscula, curatu esse diffi- cillima, ac licet summa diligentia tracta-

ta, cum summo tamen Chirurgorum de- decore per sæpe lethalia fuisse, superve- niente nimirum inflammatione, ac post- modum gangræna, ut locus interdum sus- picioni fuerit, hostes obsessos veneno plumbeas glandes armasse. Verum a de- fertoribus habita notitia, idem fatum quoque ex susceptis vulneribus, obsessos subiisse, de malignitate per aerem vulne- ribus communicata, dubitari coeptum, ideoque bezoardica terrea & absorbentia, cum cephalicis vulnerariis præscribendo, feliciores vulnerum instituebantur cura- tiones, non omissa interim vulnerata par- ti remediorum ejusdem indolis applica- tione, vulneribus injiciendo per siphun- culum decoctionē ablinthii, scorzonæræ, rutæ, cum melle mixtam, sive digestivo oleum hypericonis, balsamum peruvia- num, & similia commiscendo.

Rem oppido curiosam ab eodem cla- riss. Viro, rerum omnium observatore accuratissimo accepi, quam esse ait satis frequens in castris malum, quod non so- lum gregarios milites, sed etiam nobiles & generosos viros invadat, nimirum, improvisum quoddam ac ardens Patriam, ac suos invivendi desiderium, germana lingua (das Heimvvehe) dictum, quod ominosum ut plurimum esse consuevit. Tali enim desiderio correpti, aut morbo aliquo, aut cade intereunt, vixque, ut idem ait, ex centum unus evadit, adeo ut in castrense proverbium cesserit: *Qui Patriam querit, mortem invenit.*

Novisse præterea se inquit, non ulti- mæ classis viros, alias satis magnanimos, ad solam alicujus expeditionis denuncia- tionem, non aliter ac fulmine tactos, fu- turæ mortis ideam in mente, subito sibi fabricasse, ac tanta certitudine ex immi- nenti conflictu mortem secuturam præ- nunciassè, ut die ad pugnam antecedente, amicis extremum vale non solum dixe- rint, sed bona sua distribuendo, corporis sui sepulturam, illis serio commendarint, sicque eos postmodum in pugna cecidisse.

Hunc animi morbum, ob altius impressum pavoris sigillum, & tristissimam mortis imaginem menti occurrentem, eurari ait charactere alio quodam contrario, scilicet fiducia pentaculo, tempestive tamen, & priusquam morbus altiores agat radices; & hoc pacto per appensum sigillum, spiritus antea veluti ligatos solvi, ac mortis imaginem aboleri.

Id autem naturaliter contingere, nequaquam vero propter vim aliquam huiusmodi pentaculis insitam, credendum est, ut, sicuti imaginationis vis, & concepta mortis imago, milites in tantam animi dejectionem perducit, sic ejusdem imaginationis potestas per creditam, licet ex se nullam, sigillorum dynamim impressam, pavoris & mortis imaginem e mente eliminat. Multa de amuletis, & periatibus apud varios Scriptores exstant, qui tamen ut plurimum nullam physicam virtutem iisdem impertunt, nisi eam quam credulae mentis passiva deceptio illis indulsit. Adeo verum est, quod scripsit *Seneca*, *quodam non nisi decepta sanari*. In hanc rem succurrit, quod apud *Cartesium* (a) de vi imaginationis olim legi; eam enim esse dixit, ut ipsius imaginationis abductio maximum sit ægritudinis remedium. Etenim, ait ille, *si quis animo composito spectet continuo tragædias, at tamen mæror aliquis contrahetur, illius animus ad suspiria assuescit, cor & fibra contracturam patientur, unde sanguinis circulatio segnior evadet, & obstructions in hepate, ac liene generabuntur: ex adverso, si quis variis ægritudinibus vexetur, & animum, quantum possit ab illis abducatur, objecta læta, ac mentem exhilarantia cogitando, ad bonam valetudinem sibi viam sternet*.

Rem haud minus curiosam mihi enarravit idem Vir doctissimus; sibi nempe observatum, post commissum aliquod prælium, quod cadavera in solo strata, ac

vestibus, uti mos est, denudata, omnia fere pudenda habeant turgida ac distenta tanquam ad pugnam veneream parata, sic in foeminis quoque interemptis, muliebria rigida, ac tentigine quadam contracta, admiratum esse. An id fieri credendum, quod milites ad pugnam prodeuntes, magno furore ac rabie perciti, omnes spiritus, ac sanguinem (uti proprium est iræ ac furoris) e corporis penetralibus, ad extrema propellant, ut hostem sibi obvium prosternant, ideoque in pugna prostrati, ac cæsi, sicuti vultu, licet mortui, adhuc furorem & minas spirant, sic genitalia, ob spiritus inibi captivos detentos, post mortem convulsa retineant? Longe profecto diversam faciem esse eorum, qui ex morbo aliquo, sive acuto, sive chronico, suis in stragulis occumbunt, ab iis qui violenta morte intereunt, multoque magis, qui Martis victimæ in acie mactantur, satis perspectum est. De Milite Romano in Cannensi prælio narrat *Valerius Maximus* (b), qui cum mutilus ad retinenda arma inutiles manus haberet, spoliare se conantis *Numidæ* cervicem complexus, os, naribus & auribus corrolis, deforme reddidit, inque plenæ ultionis moribus expiravit.

Isthæc mihi communicata referre lubuit, iis non solum, ut reor, quibus Medicinam in Castris facere volupe sit, usui futura, sed iis quoque, qui in Civitatibus, & Oppidis medicæ praxi addicti sint: etenim, bellica tempestate Provincias & Regna vexante, cum persæpe contingat, ut militares copię ab æstivis expeditionibus in proximas Civitates & Oppida ad hybernandum se recipiant, facile huiusmodi occasione, morbi Castrenses curandi occurrunt. Annis elapsis, cum Militiæ Germanæ hisce in regionibus hyberna castra statuissent, febres, & dysenterias, quales apud Auctores leguntur, mihi observare contigit, multosque præclaros Viros scio interiisse, quibus a *Medicis* mi-

(a) Ep. 60.

(b) L. 6. c. 6.

militaris, medicinæ, & genii castrenſium morborum ignaris, administrata ſunt in-
tempeſtiva remedia, ut venæ ſectiões, &
valida purgantia, potiſſima indicatione
mialma illud virulentum, & efferum per-
domandi, & per cutis ſpiracula eliminan-
di, vel neglecta, vel ignota. Experientia
itaque rerum magiſtra, in curandis hujus-
ſce indolis morbis, tali methodo proceden-
dum oſtendit. Quotieſcunque igitur ſe ſe
offerat occaſio, conſulendi citati Scripto-
res, *Mindererus*, & *Screta*, ac D. L. *An-
tonius Porcius*. Penes *Helmontium* (a) quoque febris cujuſdam fit mentio, quæ

totam ſuam tragœdiam, ſine ullo caloris ſenſu peragit, quam febrē Caſtrenſem appellat, de cujus febris ingenio, & more quædam leguntur ſcripta apud *Regnerum Graaff* (b), *Cornelium Bontekoe* (c), *Ettmullerum* (d), & alios. Omnes itaque, qui hac de re ſcripſere, unanimi fere conſenſu, obſervavi horum affectuum cauſam in aci-
dum volatile, corroſivum, efferum, real-
garinum referre, ideoque hujusmodi vene-
num invertendum, infringendum, ac po-
tiſſimum ſalium volatiliū uſu, per glan-
dulas cutaneas abigendum.

(a) De Feb. cap. 1.

(b) De Suc. Panc.

(c) Diatri. de Feb.

(d) T.p. c. 17. de Feb.

D E

LITERATORUM MORBIS.

D I S S E R T A T I O.

Diatribæ huic meæ de Morbis Artifi-
cum, Diſſertationem hanc de p. n.
affectibus, quibus premi ſolent literarum
Profeſſores, adnectere nō improprium du-
xi, his enim idem obvenit, quod Mecha-
nicis Artificibus, ut unde bona multa, inde
non pauca mala proveniant. Per paucos ni-
mirum exiſtimo eos eſſe, qui ſolius amore
virtutis literis operam dare velint, nec
animo præſumant honores, dignitates, &
magnos quæſtus, quos honorarii titulo de-
corant, adeo verum eſt, quod dixit *Ariſta-
phanes* (a), ſublata è mundo paupertate &
Pluto, omnia everſum iri, nullumque ſa-
pientiæ, & cæterarum artium cultorem fo-
re; hæc ſunt illius carmina, dum Paupertate
ſic loquentem in Scenam inducit:

εἰ γὰρ ὁ πλεῖστος βλέψει πάλιν, διανεμεῖ ὅτ' ἴσον
ἑαυτόν,

ὅτε τέχνην αὖν ἀνθρώπων, ὅτε σοφίαν μελετῶν

ὅδεῖς, ἀμφοῖν δ' ὑμῖν τέστων ἀφανισθέντων, εὐθε-
λήσει
τίς χαλκεύειν, ἢ ναυπηγεῖν, ἢ ράπτειν, ἢ τρο-
χοποιεῖν,
ἢ σκυτοπομεῖν, ἢ πλωθυργεῖν, ἢ πλύνειν, ἢ σκυ-
τοδελεῖν,
ἢ γῆς ἀρότροις ριζὰς δάπεδον, καρπὸν δ' ἡδὲ θερί-
σασθαι;
ἢν ἔξη ζῆν ἀργοῖς ὑμῖν, τέστων πάντων ἀμελεῖσθαι.

quæ carmina latine ſic reddidit Andreas
Divus Juſtinopolitanus:

*Si enim Plutus videbit iterum, divi-
detque æqualem ſe ipſum,*

*Neque artem hominum, neque ſapien-
tiam exercebit*

*Nullus; ambobus autem nobis his de-
ſtructis, volet*

*Quis aris eſſe Faber? vel nares facere?
vel ſuere, vel rotas facere?*

*Vel coria incidere? vel facere muros,
vel lavare, vel pelles tingere?*

Vel

(a) In Plut. A&. 4.

*Vel terræ aratris rampens campum ,
fructum Cereris metere ?*

*Si liceat vivere otiosis nobis , hac om-
nia negligentibus .*

Ut plurimum ergo, qui ingenio valent, si egestas premat, ac spes affulgeat divitias comparandi, literarum studio totos se dedunt, sibi que splendidum censum parant, nec non multam existimationem apud nobiles viros, quibus postea ad Literatorum fores pulsandum, ut consilia exposcant. Verum Literarum cultura licet uberem opum, & gloriæ messem reddat, tribulos quoque, ac improbam malorum segetem, suis cultoribus non raro progerminat. Literati ergo homines, qui, ut ait *Ficinus*, (a) *quantum mente, & cerebro negotiosi sunt, tantum corpore otiosi sunt*, omnes fere vitæ sedentariæ incommoda, demptis *Medicis Clinicis*, subeunt. Nihil notius, quam hominem sedendo, sapientem fieri; tota ergo die ac nocte sedentes, inter literarum oblectamenta, corporis damna non sentiunt, donec non intellectæ morborum causæ, sensim obrepentes eos lectis affixerint. Jam superius innuimus, quas noxas inferat fellularia vita, quare circa id non ultra immorabor.

Vitæ quoque statariæ incommoda, non raro experiuntur Literarum Professores, multos enim ex iis passim visere est, qui, ut sedentariæ vitæ, qui tam male audit, evitent dāna, *in contraria currunt*, dum ad multas horas, ac totos fere dies, stant erecti libros evolvendo, quod non minus, imo forsan magis noxium, quam si ad opus suum sedendo incumberent.

In universum porro, Literati omnes stomachi imbecillitate laborare solent. *At imbecilles stomacho, quo in numero magna pars urbanorum, omnesque pene literarum cupidi &c.* aiebat *Celsus* (b). Nullus enim fere est, qui serio literarum studio det operam, ac de stomachi languore non conqueratur; dum enim cerebrum concoquit

ea, quæ sciendi libido, & literarum orexis ingerit, non nisi male potest concoquere ventriculus ea, quæ fuerint ingesta alimenta, distractis nempe spiritibus animalibus, & circa intellectuale opus occupatis, vel iisdem spiritibus non adeo pleno influxu, uti opus esset, ad stomachum delatis, propter fibrarum nervearum, ac totius nervosi systematis in altioribus studiis validam contentionem. Quantum enim ad viscerum omnium naturales functiones rite obeundas conferat, si non succi nervei, de quo adhuc non satis constat, saltem spirituum animalium influxus, ex partium paralyti laborantium contabescencia, satis liquet; quamvis enim ob perennem arteriosi sanguinis affluxum, vitali succo fruuntur, attamen humore illo, seu quidquid sit illud, quod per nervos ad eas defertur, orbatae, gracilescunt.

Hinc ergo cruditates, flatuum ingens copia, corporis totius pallor, & macies, partibus geniali succo defraudatis, summatim omnia damna, quæ cacochyliam consequuntur, ortum ducunt. Sic Studiosi paulatim, licet joviali temperamento præditi, Saturnini, ac melancholici fiunt; sic dici solet, melancholicos esse ingeniosos; at forte aptius, ingeniosos fieri melancholicos, spirituosiori nempe sanguinis parte, circa mentis opera absumpta, magis vero sæculi lenta ac terrestri intus relictæ.

Non ibo tamen in incias, quin ad id multum conferat corporis temperies, ad melancholiam paulisper vergens, cum moderata cæterorum humorum mixtura. Varias quidem causas affert *Ficinus* (c) in libro, quem in Studiosorum gratiam conscripsit, quare Literati melancholici sint, vel fiant, quarum alias ex Astronomia, cui potissimum erat addictus, deducit, alias ex naturali Philosophia; quæ omnes ad vehementem vitalium spirituum motum, & dissipationem referuntur, unde sanguis ater efficitur. Melancholicis ergo passionibus

(a) De Stud. Val. tu. c. 3.

(b) L. 1. c. 2.

(c) L. 1. c. 3.

bus obnoxii sunt, ut plurimum, literarum Professores, eoque magis, si a primordiis tale temperamentum sortiti fuerint; sic habitu graciles, luridi, plumbei, morosi, ac solitariae vitae cupidi, observantur, qui vere Literati sunt.

Oculorum imbecillitati praeterea obnoxii paulatim redduntur; legentes siquidem, & scribentes, intento obtutu non possunt, quin visionis laesionem perferant, quod malum fovet, dum literas minutas scribunt, quod familiare est iis, qui prompti sunt ingenii. Curiosum certe esset, si veritati congrueret, id quod proponit *Aristoteles (a)*, quare, qui lusciosi cognominantur, literas minutas scribere consueverint; mirum est, inquit, *ut qui obtusi sint oculis, rem faciant, quam eorum facere interest, qui acumine valcant oculorum*; varias hujus rationes affert, sicuti & *Plempius (b)*, qui ait, se aliquando dubitasse, quin haec affectatio quaedam esse posset, ut sani, & vegeti visus esse viderentur. Verum ego non paucos *Myopes* novi, qui satis amplis literis scribere soleant. In dubium tamen est, quod qui minutius scribere consueverint, sibi curtiorem visum reddant, & *Myopiam* sibi paulatim adsciscant; sic etenim oculus assuecit ad proxima solum videnda, ac retina ex tali assuefactione, in situ a pupilla magis remoto obfirmatur, atque obdurescit; adeo ut mobilitas illa, quam oculo impertita est, natura aboleatur.

Affectu quoque *Myopiae* contrario interdum laborant, qui scriptioni, ac lectioni nimis addicti sunt, adeo ut temporis progressu, objecta ab oculo longe remota, tenere iis necesse sit, quod vitium senibus familiare est; etenim cum incurvi, ac proni scribant ac legant, facile humor crystallinus ad pupillam prolabitur, eamque obturat, ac caecitatem inducit. Hanc esse causam, quare in equis, aliisque ani-

malibus frequentius visionis noxae contingant, ait *F. Platerus (c)*, cum enim prona incedant, oculi humores ad anteriora sensim feruntur, ibique subsistunt.

Praeterea literarum studiosi, cum legendo, & scribendo, capite, ac pectore inclinato, libris incumbant, ventriculum, & pancreas comprimunt, ex qua compressione stomachus obleditur, & succi pancreatici, per suos ductus cursus inhibetur, unde postea viscerum naturalium oeconomia perturbatur; hanc succi pancreatici interceptionem, ob talem corporis situm advertit *Doleus (d)* in hypochondriacis affectibus valde noxiam. Nephritis quoque & arthritidis, quae vitae sedentariae pedisequae sunt, literatorum morbis comites se jungunt; perraro autem quis arthriticus est, quin fiat nephriticus, non tam quod in arthriticis lecto, seu fellae affixis lumbi ac renes, ob assiduum decubitus, & sessionem graviter fatigantur, quam quod utriusque affectus eadem sit materialis causa. *Erasmus (e)* in quadam epistola ad amicum suum arthriticum, postquam multum de suo torture, calculo nempe, quem gestabat in renibus, conquestus esset, scripsit, se & amicum illum esse affines, imo cognatos, duarum quippe sororum maritos, ac illius uxorem sibi intime jungi, absque ulla adulterii suspitione.

Nulli porro praeter ceteris literarum professoribus, studiorum laboribus magis atteruntur, quam qui operum editionem in publicum moluntur, nominisque sui immortalitatem in animo habent insculptam; de iis tamen loquor, qui vere sapiunt, nam complures sunt, qui scribendi cacoethe detenti, rerum male confarinarum editionem, ac abortus potius, quam maturos foetus properant, non secus ac Poetae quidam, qui centum carmina compingunt, stantes pede in-

uno

(a) Se. 31. Prob. 2. & 15. (b) lib. 4. Ophthal. c. 42. (c) Tom. 1. Prax. Med. c. 7.
(d) Encycl. Med. 1. 3. de morb. abd. c. 11. (e) Vid. Beverov. de Ren. Cal.

uno, ut ait *Horatius*. Viri ergo sapientes, qui nominis sui famæ & exultationi in longum tempus prospiciunt, diurnis ac nocturnis laboribus se conficiunt, ut aliquando pereant, antequam pariant. Non tam vero male plectuntur in studiis, qui solum scire contenti sunt, quod alii sciverint, & scripserint, optimumque censent, *aliena frui insania*, ut scripsit *Plinius* de iis, qui novas ædes nunquam fabricari velint, sed ab aliis extractas lubentius emere, & incolere.

Quoniam *Plinii* facta est mentio, hic dictum illius memorabile ad rem nostram spectans, quod multorum ingenia hætenus exercuit, ac torlit, præterire nefas ducerem; sic ergo *Plinius*(a). *Atque etiam morbus est aliquis per sapientiam mori*. Qualis sit morbus iste, de quo intellexerit *Plinius*, tot sententiæ, quot capita. Varias doctorum hominum opiniones recensuit celeberrimus *Gaspar a Reyes* (b) in jucundarum quæstionum campo, ubi *Mercati*, *Mercurialis*, *Io. Pineda*, *Salmasius*, *Dalechampii*, *P. Ludovici della Cerdæ* aliorumque ingeniosissimas expositiones refert, ut apud eundem videre est, cum nonnulli intelligendum velint *Plinii* locum, de morte in senili ætate, cujus propria est prudentia, ut *Mercatus*, alii de quartana febre, quæ sapientia, ac quadam veluti intelligentia, statis diebus, & horis aggrediatur, ut *Io. Pineda*; alii in verbo mendum, ob scriptorum incuriam, esse putent, & pro verbo illo, *per sapientiam mori*, reponendum aliud, *per desipientiam mori*, ut *Mercurialis* de Phrenitide; alii de divinandi facultate, quam nonnulli animam agentes interdum acquirunt, futura quædam post suum obitum prænunciantes, ut *P. della Cerdæ*; alii tandem, ut modo citatus *Gaspar a Reyes*, de paraphrenitide, diaphragmate vulnerato, vel percusso, eo quod veteres in hac cor-

poris parte, prudentiæ sedem collocarent.

Tot clarissimorum virorum suffragiis, meum, qualiscumque sit, calculum addere liceat; *Plinium* scilicet tot periculis, tot casibus, tot morbis, quibus vita nostra continuo petitur, adnumerare quodque voluisse causam occasionalem, ob quam mors persæpe contingat, studium nempe sapientiæ, quæ suos cultores, ad præproperam mortem non raro perducit, ita ut in morborum classe morbus sit aliquis, quem *Medici* non adverterint, scilicet *per sapientiam mori*.

Non possum, quin in hanc rem auream *Platonis*(c), sententiæm recenseam, qua mirifice explicatur, quomodo literarum studium varias ægitudines accersat. Statuens ergo, vir ille divino ingenio excellens, hominis pulchritudinem, ac sanitatem in commodatione quadam, ac proportionem inter animam, & corpus, sic scripsit. *Quando anima corpore admodum potentior est, exultatque in eo, atque effertur, totum ipsum intrinsecus quatiens languoribus implet. Quando etiam ad dicendum, investigandumque collectis in unum viribus vehementer incumbit, liquefacit prorsus corpus, & labefacit; denique cum ad dicendum, disserendumque privatim, & publice ambitiosa quadam concertatione contendit, inflamat corpus, atque resolvit; nonnunquam etiam distillationes, fluxusque commovens, Medicorum plurimos decipit, cogitque illos contrarias causas judicare. En quomodo literati, qui,*

Ingētes animos angusto in pectore versāt, dum intemperanter studiis incumbunt, corpora sua, ad sustinendas animæ ac spirituum motiones inepta, morbosa efficiunt. Tam arcta vero lege consortii fœderantur ad invicem anima, & corpus, ut omnia tam bona, quam mala unius in alterū vicissim corrivent, ac velint ex corporis nimia exercitatione, anima ad mentis fun-

functiones languescit, ac torpet, sic ob nimiam animæ contentionem, circa sapientiæ studium, corpus marcescat necesse est, absumptis nempe spiritibus, communi scilicet instrumento ad materiales, & spirituales operationes rite obeundas. *Labor articulis, carnibus cibus, somnus visceribus; animæ deambulatio, cogitatio hominibus;* Sic *Artis Magister* (a). Omittam hic referre, quæ in hujus loci commento scripserit *Galenus*, ac literis prodiderit *Vallesius*. *Cogitatio* igitur, ex *Hippocrate*, cum animæ sit propria exercitatio, atque in hoc toti sint literarum studiosi, scilicet, ut cogitent ac meditentur (quando nostra hac ætate non desint, qui totam animæ essentiam in cogitatione constituent) fieri nequit, quin corpus a sua rectrice destitutum, exorbitet, ac multas ærumnas non sentiat, destillationes, ut ait *Plato*, membrorum torporem, atrophiam, ac præproperam senectam.

Hæc in universum patiuntur literarum Professores; ex iis tamen quidam sunt, qui peculiaribus morbis vexari solent, uti Concionatores, Philosophi continuo in scholis disputantes, Advocati in foro, ac præcipue Patavini Professores in lyceo, qui ubi ab hyemis principio usque ad finem veris, ab exedris declamarint ad ravim usque, ut studiosam juventutem instruant, tandem anxii & anhelosi palam faciunt, quam graves noxas pectori inferat talis exercitatio, & quotcumque alii, qui circa vocis exercitium detineri solent. Hi enim destillationibus, & vasorum in pectore ruptionibus, non raro sunt obnoxii. Politici vero, Judices, & qui Principum ministerio sunt addicti, studiis, magnis laboribus, ac vigiliis attriti, inter hypochondriacos primas tenent, & in marasimum paulatim prolabuntur. *Petri Xylandri*, Regis Catholici in Brabantia Curia Consilarii, elegantissima epistola le-

gitur, operi *Fortunati Plempii* de Togatorum valetudine tuenda præfixa, ubi magnus ille juris consultus malorum suorum iliadem, ac ærumnosam vitam e toga contractam describit. Ego equidem quotquot novi, tum in Romana Curia, tum aliis in locis, ac in Aulis Principum, celebres Jurisconsultos, ac Ministros, omnes observavi, mille morborum generibus male mulctatos, & professionem, cui se addixerant, diris ejurantes.

Multo mitius vero cum *Medicis* res agitur, clinicis tamen, & leeticulariis; quorum studium præcipue est circa medicam praxim, & quotidianam ægrorum visitationem; hi enim non tot morbis conflictantur, ac si aliquando ægrotant, non sedentariæ, aut statariæ vitæ, ut J.C. sed cursuali causam acceptam referunt. Non semel profecto mirari subiit, quomodo grassantibus gravibus epidemiis, malignarum febrium, pleuritidum, aliorumque popularium affeetuum, *Medici Clinici*, quodam veluti artis privilegio, impune incedant; quod non tam illorum cautelæ adscribendum putem, quam magnæ exercitationi, & animi hilaritati, dum bene nummati lares suos repetunt. Ego certe nunquam *Medicos* observo, tam male se habere, quam ubi nemo male se habet, quod præcipue verum deprehendi hisce quinque annis elapsis, in quibus saluberrimæ constitutiones visæ sunt, & nihil epidemicum apparuit. Non semper tamen impune evadunt; etenim ob assiduos labores, & scalarum adscensum, multos ex his herniosos factos novi; simi literum dysenterici fluxus vagantur, aliquando & ipsi dysenterici fiunt, quod forte ipsis evenit, ob sessionem longam, coram ægro, ac miasma per os, vel aliam partem susceptum; quare satis caute se gerunt, qui in dysentericorum curatione stantes, se expediunt, & sessionem suspectam habent.

Haud minus malam morborum segetem, ex studiis suis referunt Poetæ, Philologi, Theologi, Scriptores omnes, & cæteri Literati, circa mentis officia occupati. Poetæ præsertim ob phantasticas ideas, quas die, ac nocte in mente versant, attoniti sunt, morosi, graciles, uti illorum imagines ostendunt. *Aræostus* noster, ut ipse in satyris fatetur, valde gracilem habitum præferbat, ac si vultum illius depictum spectemus, Eremicolæ effigiem strigofam refert; idem ajunt de aliis Poetis celebrioribus. *Ludovicum Castelvætrum*, philologum satis celebrem, adeo gracilem fuisse ajunt, ut *Hannibal Carus* illius æmulus, nomine strigofæ capræ illum subannaret.

Eos porro, qui ingenio magis præstant, ac uti ingeniorum monstra prædicantur, quasi fato quodam, & fortunæ malignitate e vivis sublato legimus. *Jo. Picus* ingeniorum phoenix, vix sextum lustrum egressus, immaturam mortem *Florentiæ* subiit, magno Reipub. literariæ damno, quamvis de illius morte varius fuerit rumor; creditum tamen est, id illi ob perpetuos labores, & nocturnas vigilias contigisse, ut mirum sit, quomodo superfuerit illi tempus ad scribendum, cum tot auctores legerit, veluti ex illius operibus, quæ extant, videre est.

Mathematici porro, quibus animum a sensibus, & corporis fere commercio junctum esse necessum est, ut res abstrusissimas, & a materialitate remotas contemplantur, ac demonstrent, omnes fere stupidi sunt, ignavi, veterinosi. ac in humanis rebus semper hospites. Partes itaque omnes, ac totum corpus necesse est, veluti situ quodam ac torpore languere, non secus ac perpetuis tenebris damnatum. Dum enim mens ad hujusmodi studia intenta est, tota lux animalis in centro conclusa est, neque ad exteriora illuminanda diffunditur. In professoribus id

genus locum profecto habet illud *Hippocratis* (a) oraculum: *Lux Orco, tenebræ Jovi*; dum enim spirituum lumen in penitioribus partibus cerebri volutatur, exteriora tenebris oblideri, ac torpere necesse est.

Verum cum tanti pro Reipublicæ bono intersit sapientes ac literatos homines bene valere, æquum est ut literatorum valetudo facta tecta, quantum fieri possit, servetur, ac quoties a suo statu decidat, restituatur. Primo itaque consulendi erunt auctores, qui in illorum gratiam scripsere, uti *Plutarchus* de præceptis salubribus, *Marsilius Ficinus* de studiosorum valetudine tuenda, qui liber apud nos satis obvius est, nec non *Fortunatus Plempius*, in laudato opere de togatorum valetudine tuenda: apud hos auctores elegantes medicamentorum formæ descriptæ leguntur, tum pro curatione, tum pro præservatione a morbis, quibus exerceri solent. Regimen in sex rerum non naturalium usu, ut ajunt *Medici*, primas tenebit. Studeant primo, ut in aere puro, ac salubri degant, procul a stagnis, ac paludibus, ac ventis australibus; siquidem hoc pacto puriores erunt spiritus animales, intellectualium operationum potissima instrumenta. Mirari profecto nunquam satis potui, quare *Plato* non procul *Athenis* Villam academicam delegerit parum salubrem, imo pestilentem habitam; id forsan idem consilium illi fuerit, ac *D. Bernardo Abbati* Clarevalensi, qui loca insalubria pro more habuit deligere, in quibus sua monasteria extrueret, ut sic Monachos suos valetudinarios haberet, ideoque magis obsequentes, ac voluptatum illecebris minus obnoxios. Quæcumque fuerit mens *Platonis*, indubium est a crasso aere obtundi, ac obnubilari spiritus, iisque in locis feliciora ingenia clarescere, ubi aer sincerior, ac magis temperatus, qualis est *Neapolitanus*, & antiquitus *Athenis*: sicuti ex

ad

adverso in *Bæotia*, ob aeris crassitiem incolæ male audiebant.

Rusticari propterea, & aura liberiore gaudere, ac vario vitæ genere uti, modo ruri esse, modo in Urbe, ipsis salutare est, frequentiam, & solitudinē ad invicem temperando, illa enim nostri, hæc hominum desiderium facit. Cavere quoque debent a validis ventorum afflatibus, Austri, & Boreæ, ab hyberno frigore corpus, ac præcipue caput muniendo.

Jam usus obtinuit, ut capillamenta ex alienis capillis contexta, tanquam capitis vaginæ, passim adhibeantur a quocumque hominum genere, tam senibus, quam juvenibus, alioqui bene comatis. Experientia compertum est, salutare munimentum capitis esse, hujusmodi capillatos galeros, quibus, vel ob senium, vel quamcunque aliam causam crinibus nuda sit calvaria; multisque, qui fluxionibus ad fauces, ac dentes vexarentur, suaorsui, ut hujusmodi capillamentis caput armarent, quo præsidii genere, multos vidi ab hujusmodi fluxionibus sanatos, qui aliequin prorsus edentuli facti fuissent. Neque id novum inventum est; nam apud antiquos mentio fit *Petafi*, *Galeri*, *Galericuli*, qui pilei erant ex pelle, quibus ita erant crines confuti, ut veram, non adscititiam comam æmularentur; hujusmodi operculo utebantur tum viri, tum feminae, vel ut calvitium, vel canitiem celarent, ut elegantiores in publicum prodirent. Sic *Juvenalis* (a) de *Messalina Claudii Uxore*:

Et nigrum flavo crinem abscondente galero,

Intravit calidum veteri centone lupanar.

Et *Martialis* (b) de quodam calvo:

Hædina tibi pelle contegenti

Nudæ tempora, verticemque calvæ

Festive tibi, Phæbe, dixit ille,

Qui dixit, caput esse calceatum.

Usus ergo talium capillamentorum; nostra hac ætate valde familiarem, literarum Professoribus satis commodum, ac salutarem pro capitis munimento ab aeris injuriis, ac præsertim hyeme, existimo, paucosque jam video, ex omni literatorum genere (si Religiosos viros demas, quibus id ex ordinis sui instituto vetitum est) qui per urbem non incedant bene capillati, ac, uti lepide ait *Plautus* (c), aliquantum ruffi, crispi, & Cincinnati. His addendum, quod ubi literarum cultores, ut ut senes, ac silicernio proximi, se comptos, nitidos, abrafa barba, & cute curata, bene comatos in Speculo intuentur, in sinu suo non parum gaudent, ac vitam hilariorem degunt, sibi de longævitate blandientes. Priscis temporibus literarum Professores, Philosophi præsertim, de barba valde promissa, ac de nuda calvaria, quasi sapientiæ documentis gloriabantur. Nunc mutatis vicibus, nullum fere in secularibus literarum Professoribus visitur barbæ, aut canitiei vestigium, tam culti, ac nitidi in publicum prodeunt. Succurrit in hanc rem celebre dictum illud *Ægyptii Sacerdotis* cum *Solone* (d) verba facientis: *O Solon, Solon, vos Græci semper juvenes estis, necquîsquam e Græcia senex est.*

Experientiæ tamen, quæ tale capillitium literatorum valetudini, ubi ad senium vergant, valde commodum, & salutare ostendit, ratio quoque concinit. Etenim si naturæ providentia juvenum capita denso crine munita sunt, imo ab uteri claustris foetus ipsi in mundanam scenam prodire non solent, nisi capillati; necnon si juvenes ætatis vigore præservidi comarum pondere non gravantur, sed bene se habent, cur senes, quibus nativus calor fatiscit, adscititio capillorum munimine, nudæ calvarie non consulant potius, quam pileis, vel coriaceis, vel fericeis? Refert *Plempius* (e), *Marsilius Fi-*

(a) Sat. 6. (b) Lib. 12. Epig. 45. (c) In Captivis. (d) Plat. in Tim. (e) De Tog. Val. in c. 3.

cinum, Philosophum Platonicum, in pileolorum usu valde morosum fuisse, ut pluries in die, prout ventus flaret, vel aura calidior, vel frigidior esset, hosce pileos permutaret, quod profecto noxium; quare capillamenta isthæc magis sunt ex usu, ut quæ in templis, et coram Principibus gestare liceat.

Quod victum spectat; *Hippocratis* præceptum pro oraculo habendum: *Sanitatis studium esse, non repleri cibis.* A satietate igitur, insuperque a ciborum varietate, cavere debent, ut quæ cacochyliam, & turbas in ventre ciere soleant, siquidem, ut ait *Horatius* (a).

cum simul assis

Miscueris elixa, simul conchyliis turdis,

Dulcia se in bilem vertent, Romachoque tumultum

Lenta feret pituita.

Ventriculi ergo magna custodia habenda, ne a functionibus suis aberret, ac totum corpus plestatur. Ad roborandum stomachum, laudat *Ficinus* Cinnamomum, & rerum aromaticarum usum; nostra hac ætate inter literatorum cupedias Cochylata, stomachi & spirituum solatium; ac profecto cum studiosorum natura melancholica sit, siue nativa, siue adscititia, ac multo acido abundet, huiusmodi portiones balsamicæ, & spirituosæ acorem, tum stomachi, tum sanguinis cicurare poterunt, & ad meliorem crasim perducere.

Quoad potum, vinum cæteris potionibus præferendum; meracum laudatur, sed modicum. Scio multos à Literatis suorum *Medicorum* consilio, ut possent liberaliter se proluere, vina alba, tenuia in usu habere, quo pacto putant sibi licere sine noxa bibere, quantum lubeat, quod certe non adeo tutum, ut putant. Vina hæc tenuia, æstate præcipue, aciditatem quandam adsciscunt, qua nihil perniciosius, ubi luxuriat acidum. *Præstat,*

ajebat *Crato* (b), eos, qui ventriculo debili sunt, potius parum vini *Ungarici*, vel *Malvatici* bibere, quam tenuia vina copiosa haurire. De huiusmodi vinis scripsit quoque *Helmontius* (c), quod parum vini, multum aceti contineat. Literarum itaque cultoribus, arthritide, colica, affectione hypochondriaca vexari solitis, qui affectus ex acido morbofo generis suam ducunt, neutiquam acidorum usum, sed ea, quæ illud infringant, convenire satis perspectum est.

Quoad cæterarum rerum regimen; ut sedentariæ, ac statariæ vitæ incommoda declinent, moderata corporis exercitatione quotidie erit utendum, si tamen aer purus ac serenus sit, & venti tileant; molles etiam frictiones, ad transpirationem tum servandam, tum promovendam, in usum frequentiore revocandæ: lavacrum quoque aquæ dulcis, æstate præsertim, quo tempore atra bilis literatos infestat, valde salutare esset; sic enim humorum acrimonia temperatur, & equalida viscera remollescunt. Tempus balneationi magis opportunum erit vespertinis horis, deinde cibum sumere & cubitum ire: hic enim apud antiquos mos erat ac ordo. Sic *Homerus*:

Ut lavit, sumpsitque cibum, dat membra sopori.

Quoad tempus vacandi studiis magis commodum, matutinum præcipue commendari solet, non ita vero nocturnum, ac præsertim post cœnam. *Monstrum est*, inquit (d) *Ficinus*, ad multam noctem frequentius vigilare, unde etiam post solis ortum dormire cogaris, & in hoc ait errare studiosos permultos; varias autem rationes affert, quarum alias ex planetarum positu, & configuratione, alias a motu elementorum deducit, dum aer, sole occidente, crassescit, nec non ab ipsis humoribus, dum noctu prævalet melancholia, ab ordine universi, cum dies labori

(a) L. 2. Sa. 4. (b) L. 2. Conf. 7. (c) In volup. Viven. (d) De Stud. Val. tu. l. 1. c. 7.

bori, non quieti sit destinata, adeo ut hisce omnibus literati ad lucernam lucubrantibus contrariis motibus repugnent.

Verum in hac re attendenda est cujusque consuetudo; cavendum tamen ex *Celsi* (a) monito, ne id post cibum ingestum fiat, sed peracta coëctione. Eminentiſſimus *Cardinalis Sfortia Pallavicinus*, Vir doctiſſimus, totam diem literarum studio sine cibo largiebatur, mox cœna modica sumpta, ac studiorum cura ablegata, somno, & vinum reparationi noctem totam impendebat.

Non defunt tamen, qui nocturnum tempus diurno præferant, & secretiores secessus, & amica noctis silentia, studii magis opportuna existiment. *Euripidem* Tragicarum Scriptorem tradit *Gellius* (b), solitum in speluncam quandam terram, & horridam in insula Salamine descendere, quotiescunque Tragicam aliquam meditaretur. *Demosthenes* (c) quoque magnus ille orator, in locum, ex quo nulla exaudiri vox poterat, & a quo nihil prospici posset, se recipiebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Ubi autem lucubrandum sit, non in angustis cellis, & musæolis id agendum, uti solent nonnulli, hyeme præsertim, ne a frigore infestentur, sed amplo conclavi, modo corpus vestibis bene sit munitum; fumus enim lucernæ, nec non halitus e corpore, ac per os jugiter exspirantes, angustum spatium cito replent, & aerem respirationi minus idoneum, imo noxium reddunt, caput simul gravando, multoque magis, si candelis sebaceis utantur, quæ suo nidore, & fumida exhalatione stomachum, & cerebri anteriores ventriculos inficiant, quod maxime cavendum monet *Plempius* in opere laudatissimo, de togatorum valetudine tuenda. Oraculum illud *Hippocratis* (d), quo laudatur *Somnus in frigore cooperto*, in hac quoque re locum merito habet; sicuti enim, ex doctissimi

Vallesii interpretatione, salubrior est somnus in amplo conclavi, sed corpore stragulis bene contacto, ob purioris aeris inspiratum, sic studiosis Viris conducibilis esse crediderim, si in amplo potius, quam angusto musæo, seu hypocausto, ad studia incumbant, rigenti licet hyeme, sed cooperti, ut ait *Hippocrates*.

Cum vero ex superius recensitis morbis decumbunt, ut nephritide, colica, arthriticis doloribus, qui sunt studiosorum crucces, ad ea remedia confugiendum, quæ hujusmodi affectibus sunt magis propria, & quorum apud Scriptores magna est suppellex, cum remedium formulis Tractatum hunc meum infarcire mihi non fuerit animus.

Quia vero literati, ut plurimum morositate familiarem habent, ac *Medicos* persæpe interpellant, urgentque, ut remedia ipsis præscribant, ac præcipue purgationes, & sanguinis missiones, idcirco in hac re non parvi momenti, proferam, quæ experientia, & observatione salutaria deprehendi. Mihi ergo compertum, Literatos homines multo facilius purgationes etiam validas, ac repetitas tolerare, quam sanguinis missionem, licet parcam, atque huic observationi non parum congruit ratio; Etenim cum illorum stomachus, ob noctes insomnes, ob spirituum ad alias partes abductionem, ob studiorum intemperantiam, acidis cruditatibus scatet, cathartica medicamenta, licet valentiora, ab acido illo luxuriante enervantur, quæ si nimis blanda sint, turbas potius cient, nihilque educunt; circumspicendum tamen *Medicum*, qui habitum, vires, morbum ægrotantis perpendat, hæc omnia exposcunt. Id quoque in pueris observamus, qui ob acidi sibi familiaris exsuperantiam, valida purgantia persæpe eludunt. Nihil est autem, quod cathartorum vim alkalicam magis infringat, quam quæ ex acidorum familia sunt desumpta.

(a) L. 2. c. 2. (b) L. 15. c. 20. (c) Quint. l. x. Inst. de mod. scrib. (d) 4. in 6. Epid. l. 13.

sumpta. Venæ sectio autem, ut ut parca, illorum vires atterit, ac spiritus ob vigiliās & studiorum labores evanidos, facile exsolvit. *P. Gassendum*, Philosophum celeberrimum, ob pluries repetitam Phlebotomiam, ut mos est apud Gallos, periisse in ejusdem vita legimus.

Observatione dignum est, Religiosorum Ordinum Literatos homines, macilentos, valetudinarios, familiares habere purgationes, & vomitiones ex pulvere cornacchini, calice emetico, & similibus, non sine euphoria; horrere autem, cum de venæ sectione agitur, ut qui satis norint, illud, quod magis illos infestat, saburram humorum esse, in stomacho stabulantem, ac vitale robur, quod inest sanguini, languidum esse, ac effectum.

Incumbant ergo ad Sapientiæ Studium Literarum Professores, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec tam sedulo circa animi cultum occupati sint, ut corporis curam negligant, sed bigæ medium quasi libramentum, sustineant, adeo ut anima, & corpus fideli contubernio, veluti hospes, & hospitator, mutua officia sibi præstent, neque ad invicem se conterant.

Scite quidem ac lepide *Democritum* dicere solitum *Plutarchus* (a) tradit, quod si corpus, & anima disceptarent ad invicem de damno dato, dubium fore, quis sit damnosior, Hospes, an Hospitator. Ac profecto inter utrosque perraro justa reperitur moderatio; etenim si corporis robori nimis studeamus, illud saginando; humo affigimus *divinæ particulam auræ*, si ingenio excolendo ac ornando toti sumus, corpus contabescit; recte igitur monebat *Plato*, ne corpus absque animo, & animum absque corpore exerceamus. Locum hunc claudam lepida narratione *Plutarchi* ex libro de præceptis salubribus, quem in studiosorum, & politicorum gratiam se conscripsisse professus est, Atqui, ait ille, *Bos conservo suo Camelo, qui parte oneris sublevare eum nolebat; Tu vero, inquit, & omnia hac mea brevi portabis, quod mortuo eo contigit. Haud aliter accidit animo, qui dum paululum laxare, & remittere abnuvit corpus, quod id requirit, mox febre aliqua, aut vertigine ingruente, dimissis libris, disputationibus, & studiis, una cum illo egrotare, & laborare compellitur.*



DIATRIBÆ

DE

ARTIFICUM MORBIS
SUPPLEMENTUM.

LECTORI BENEVOLO

I Stud, quod modo habes Libro meo de Morbis Artificum, Mutinæ olim impresso, additamentum, siquid in eo est, quod oblectet, Patavino Typographo hoc ipsum debes, Lector Benevole; hic enim cum persæpe audiret a studiosa juventute, aliisque doctis Viris, interdum etiam per literas Librum hunc meum expeti, & exquiri, neque apud me, nec uspiam, cunctis exemplaribus distractis, reperiri, pluries a me petiit, ut novi aliquid Operi edito de eadem materia adjicerem, non exiguum enim operæ pretium, ut dici solet, me facturum aiebat, si Libro meo suis Typis recuso, aliquid fuisset adjectum, quod emptores alliceret. Illius petitioni satisfacturum pollicitus sum, si a publicis occupationibus, & quod magis refert, a malis, quibus ob improperam valetudinem persæpe conflictor, otium ullum daretur. Sed cum in illius Bibliopolium pedem immittere non possem, quin memoriæ meæ reficaret, quod fueram pollicitus; decrevi tandem illum voti sui compotem facere, ac simul datam fidem meam absolvere. Hisce igitur æstivis vacationibus, omnibus iis sepositis, quæ præ manibus habebam, ad exquirendos novos Artifices, illorum tabernas lustrando, animum adjeci. Hanc itaque Diatribam de Morbis Artificum conscripsi, cui addidi Dissertationem de Virginum Vestalium Valetudine Tuenda; magis quidem e re fuisset de illarum morbis disserere, ast id cum plus temporis, atque attentionis exigat, si otium dabitur, alias forsitan exsequar. Tu interim, Lector Benevole, bisce meis laboribus fruere, & Vale.

DE

TYPOGRAPHORUM MORBIS.

CAPUT PRIMUM.

A Rte Typographica veteres caruisse, cum omnia per notarios, & amanuenses peragerentur, satis constat. Ars enim hujusmodi seculi decimi quarti fuit inventum, de quo quis dubitare possit, num plus damni quam utilitatis Mundo intulerit. Certum est, cum primo ars ista Mundo innotuit, ac in usu esse cœpit, multis hominum millibus ademptum fuisse commodum captandi lucri, & fami-

familias suas alendi; Monachis quoque detrimento fuisse, qui post Sacra Ministeria, tempus in conscribendis exemplaribus, nec sine quaestu aliquo, honesta occupatione impendebant. In *Turcico Imperio* locum adhuc non obtinuit ars ista, imo ut in suis Epistolis refert *Cornelius Magnus* Parmensis celebris per Orientem peregrinator, cum de hac arte introducenda Constantinopoli in Divano ageretur, idque per civitatem evulgatum fuisset, parum abfuisse, quin popularis tumultus excitaretur. Multa pro utraque parte afferri possent; legendus *Trajanus Boccalinus* in suis Parnassi novitatibus, qui refert artis Typographicæ inventorem Parnassum magno fastu ingressum, ut intra illum literatorum cœtum exciperetur, ast tanquam bonarum artium corruptorem turpiter inde ejectum. Sed hæc missa faciamus, & sicuti muneris nostri est, de morbis, quibus Typographi in opere suo sunt obnoxii, disquiramus.

Duplex itaque est illorum genus, unum eorum, qui fere semper sedendo characteres metallicos ex suis loculis seligunt, & verba componunt, seu eosdem characteres, cum usum amplius non habent, disgregant, & in suis loculamentis reponunt, idque præcipuum est illorum opus. Aliud vero genus est illorum, qui prælo addicti semper stant, & ambabus manibus instrumento quodam ex aluta conflato, & pilis impleto, atramento characteres dispositos imbuunt, alter vero, dextera manu præli superiorem partem movet, ac fortiter premit, sicque temporis momento in charta apparet impressum totum id, quod in characteribus simul compactis delitescibat, sicque rursus eodem modo repetunt laborem hunc, donec totum opus juxta præscriptum numerum fuerit absolutum. Ingeniosum certe opus, si doctis Viris tantum Libros suppeditaret, non iis qui scombros vendunt. Primum itaque genus vitæ se-

dentariæ addictum est; & consecrariæ morbis illis, qui sedentariam vitam consequuntur, obnoxium est. Alterum vitæ statariæ, & nimis laboriosæ; nam in hujusmodi opere totum fere corpus exercetur, unde hujusmodi Operarii non possunt, quin lassitudines, & magnas defatigationes persentiant, ac ubi ad gravem ætatem pervenerint, illis necesse sit hujusmodi operi valedicere. Iis qui sedendo manus exercent, alia incumbit calamitas, quod dum oculos in characteres illos atrii coloris semper habent intentos, visus imbecillitatem paulatim contrahunt; unde iis, quibus bona oculorum constitutio non est, lumina hebescent, cum suffusionibus, & aliis oculorum morbis. Novi ego duos fratres Typographos, oculos, ex sua natura magnos & prominos habentes, quibus necesse fuit artem deferere, ne cæci omnino fierent. Memini, quod cum aliquando ad quatuor circiter horas, apud Typographum sedissem, pro cuiusdam mei Operis correctione, postea e Typographia egressum oberantes in oculo, atque etiam per noctem in phantasia habuisse imagines illarum machinularum, quas fortiter eram intuitus. Ex continuo itaque, & fixo intuitu in atros illos characteres, seu componendo, seu compositos dissolvendo, tonus membranarum & fibrarum oculi valde labefactatur, pupillæ præcipue, unde mirum non est, si oculorum morbos patiantur. Ipsimet Typographi referunt, quod ubi tota die ad opus suum incubuerint, e tabernis egressi, sibi videantur, noctu etiam, eosdem characteres in imaginatione impressos, ad multas horas observari, donec ab aliarum rerum speciebus illorum imagines deleantur.

Præter hosce oculorum morbos, aliæ quoque iis calamitates superveniunt, uti febres continuæ, pleuritides, peripneumoniæ, & alii pectoris morbi; cum enim Typographis necesse sit, hyemali tempore tota die in locis bene clausis, & in hypocautis dege-

degere, si operari velint, & chartas im-
 sas exficcare; ubi postea ab hisce locis te-
 pentibus, ad aerem externum frigidum
 exeant, facili negotio his contingunt cutis
 constipationes, & improvisa perspiratus
 læsio, unde præsto sunt supra memorati
 affectus. Maxime vero hisce morbis obnoxii
 sunt, qui ad torcular exercentur, cum enim
 ad opus hujusmodi magno brachiorum, &
 totius corporis molimine opus sit, isti non
 raro sudore aliquo perfusi e typographia
 pedem emittunt, sicque morbis obviam
 procedunt.

Hisce Artificibus Reipublicæ literariæ
 ministris, quamnam opem afferre possit
 Ars Medica, seu quod præservativum pro-
 poni possit non video, nisi ipsos monendo,

ut sibi in hujusmodi opere temperent, &
 aliquot diei horas labori suffurentur, &
 cum hyeme e typographia exeunt, bene
 palliolati domos suas repetant. Iis, qui ad
 tabulas componendo assident, bonum erit,
 conspiciillis uti, ut oculorum tonus minus
 fatiscat, ad spectum etiam alio avertere, eos-
 dem leviter manu conficcare, ad spiritus
 torpentes excitandos, aqua euphrasiæ, vio-
 lariæ, & aliis similibus eos abluere. Cæ-
 terum cum ab acutis morbis corripiuntur,
 suis & propriis remediis illis erit succu-
 rendum. Ad felicioram tamen curationem
 obtinendam, bonum semper erit, si Medi-
 cus sciat, quam artem exercere sit solitus,
 quem curandum suscepit.

De Scribarum, & Notariorum Morbis;

C A P U T II.

Longè majorem apud Veteres fuisse
 Scribarum, & Notariorum numerum,
 quam nostris temporibus, ob artis typo-
 graphicæ inventum, satis constat, multos
 tamen in singulis Civitatibus, & oppidis
 esse, qui ex sola scriptione se, & familias
 suas sustentant, norunt omnes. Scribas, &
 Notarios servos fuisse ut plurimum, seu
 libertos, satis fusc ostendit *Rosinus*. Nota-
 riorum autem nomine haudquaquam hic
 intelligi velim eos, qui nostris temporibus
 Codicillos, & Testamenta condunt, quos
 Notarios vocamus, sed eos, qui per parvas
 quasdam notas, artem callerent celeriter
 scribendi, quos propterea Notarios appel-
 labant. Sic *Plinius*, ut in ejusdem vita re-
 fert *Plinius Nepos*, pro more habebat
 quotiescunque iter faceret, *ad latus No-*
tarium habere cum libro, & pugillari-
bus, cujus manus hyeme manicis munie-
bantur, ut ne cæli quidem asperitas ul-
lam studiis tempus eriperet. Hisce tempo-
 ribus ordinis civilis sunt hujusmodi Scri-
 bæ, quos in Curia apud Magistratus, in
 officinis Mercatorum, & in Aulis Prin-

cipum ad rationaria conscribenda præ-
 tio conductos videmus; quibus ita-
 que morbis obnoxii sint hujusmodi Ope-
 rarii, pervestigemus. Tria sunt, unde
 Scribis istis morboſi affectus proveniunt;
 primum continua sessio, secundum manus
 perpetua, & eodem semper tenore motio,
 tertium mentis attentio, ne libros errori-
 bus conspurcent, seu dominis suis damno
 sint in addendo, subducendo, aliisque Ari-
 thmeticæ operationibus. Quos morbos se-
 cum afferat continua sessio, facile est cogno-
 scere, viscerum enim obstructions, ut
 hepatis, lienis, stomachi cruditates, cru-
 rum torporem, aliquam reſtui sanguinis re-
 moram, & malos habitus; summatim bene-
 ficiis carent, quæ a motu moderato obti-
 nentur; non enim etiam si velint, vacat ip-
 sis exerceri, cum pretio conducti sint, il-
 lisque necesse sit tota die scriptioni incum-
 bere. Necessitas porro calamo chartam
 exarandi, non levem in manu, & toto bra-
 chio infert defatigationem, ob assiduam
 muscutorum, & tendinum fere tonicam
 tensionem, unde fit, quod temporis progres-

su dexteræ robur fatiscat. Novi ego hominem professione Notarium, qui adhuc vivit, hic toto vitæ suæ tempore assiduus fuit in scriptione, ex qua non parum lucri illi accedebat; hic primo quidem conqueri cœpit de magna lassitudine totius brachii, quæ nullo remedio potuit tolli, tandem a paralyfi absoluta totum brachium dexteræ occupatum est. Ut damnum repararet, læva manu ad scribendum cœpit assuescere, sed post aliquod tempus ipsa quoque eodem morbo correpta est. Quod vero hinc Operariis crucem figit, est fortis & assidua animi intentio, in hoc enim opere cœsebrum totum, nervos, fibras in magna contentione esse necesse est, & exinde toniam subsequi; Hinc cephalalgia, gravedines, rauedines, fluxiones in oculos, ob fixum in chartam obtutum, quales effectus magis premunt ratiocinatores, & calculi magistros, ut vocant, quales sunt, qui apud Mercatores operam suam locarint. In hoc censu quoque reponendi, qui a Secretis sunt Principum, quorum genio placere non ultima laus est; in conscribendis enim literis, in magna animi tortura per sæpe sunt, non solum præ literarum multitudine, sed quia vel Principis mentem non assequantur, vel quia Principibus pro arte sit ad duos fines nolle intelligi, hinc fit, ut qui huic muneri se addixerit, non raro disis artem suam, & Aulam simul devoveat.

At quæ præsidia iis, qui assidua scriptione tam gravia mala sibi accersunt, præscribet Ars Medica? Primo quidem ad resarciendum damnum, quod vita sedentaria inferre possit, proderunt corporis exercitia, moderate tamen, festis diebus, ubi sa-

cris rebus in Templis fuerit indultum; frictions quoque frequentes erunt ex usu. Frictio contrarias habet vires, nam ut agebat Celsus (a): *Frictione, si vehemens sit, duratur corpus, si lenis mollitur, si multa minuitur, si modica impletur*, quod tamen desupsit ab Hippocrate (b). Si obstructionis incipientis signa in visceribus essent, non alienum erit, identidem corpus solvente aliquo expurgare, & universales purgationes vere & autumnio instituere. Ad lassitudinem vero brachii & manus dexteræ, eadem frictions, sed molliores, ex oleo amygdalarum dulcium, cui ad partis robur commisceri poterit modicum aquæ vitæ, conferre poterunt. Hyeme cavendum, ne ex frigore nimio manus torpeant, idcirco bonis chirothecis armandæ sunt. Ad caput præservandum a malis, quæ illi per sæpe incumbunt, laudantur omnia cephalica, ea præcipue quæ sale volatili prædita sunt, ut spiritus salis ammoniaci, qui solo odore potens est torporem excutere. Particulares etiam capitis purgationes instituendæ, pillulæ Joannis Cratonis identidem sumptæ commendantur, masticatoria quoque & ptarmica adhibenda, quæ sternutamentum ciendo, humores serosos e glandulis cerebri excutiant; inter masticatoria, Nicotianæ usus moderatus egregiam præstabit operam. Alvus quantum fieri possit facilis & lubrica servanda, mollioribus cibis, & si non respondeat, clysteribus sollicitanda, nam ut ex Hippocrate (c): *Ventris torpor, universorum confusio, vasorum immunditia, cerebri consumptio*.



(a) Lib. 2. c. 14.

(b) De Chir. offic. n. 11.

(c) 3. in 6. Epid.

*De Morbis eorum, qui apud Aromaticos, varia Plantarum semina
saccharo condiunt.*

CAPUT III.

AD mensarum delicias, & alios quo-
que usus, saccharo condiri solent
varia plantarum semina, uti Amygdalæ,
Pistacea, Pinæ, Fœniculi, Coriandri,
Santonici semina, & recentes quoque fru-
ctus, res equidem, iis quibus parantur
pergratæ, non ita vero iis, qui illas pa-
rant, nam ex huiusmodi ministerio non
levia sunt mala, quæ referunt. A la-
queariis suspendunt amplum craterem ex
orichalco, cui subdunt in convenienti di-
stantia catinum carbonibus accensis ple-
num, postea rebus condiendis in cratere
positis, e vase superposito in debita di-
stantia, saccharum liquidum guttatim
per epistomium defluit. Duo ergo mini-
stri, uti fieri solet *Venetis*, ubi huic ope-
ri multum incumbitur, cui aliis in locis
unus tantum sufficit, craterem illum cir-
cumagitant, quo pacto candida crusta
operiuntur ea, quæ in cratere sunt posi-
ta. In hoc opere ministri non possunt,
quin tota facie super illum craterem, ca-
lorem, & spiritus exhalantes, & si per to-
tum diem in hoc opere exerceri velint, fa-
cili negotio magnas labe contrahent, uti
cephalalgias, oculorum dolores, atque
etiam graves anhelitus.

Tria sunt, quæ operarios maxime infe-
stant, carbones accensi, crater excalefa-
ctus, ac demum saccharum ipsum. Carbo
ignis est productum, parentis lucidissimi
proles nigerrima, cuius naturam licet po-
tius admirari, quam velle cognoscere.
*Quid in carbonibus, aiebat Divus Augu-
stinus (a) in libro de Civitate Dei; non
ne miranda est & tanta infirmitas, ut
ictu levissimo frangantur, pressu facilli-
mo conterantur, & tanta firmitas, ut*

*nullo humore corrumpantur, nulla æta-
te vincantur, usque adeo, ut eos subster-
nere soleant, qui limites figunt, ad litiga-
torem convincendum, sed admiranda ma-
gis est illius pestifera vis, qua temporis
fere momento hominem necat, nisi illi
exitus liber pateat. Qua vi id efficiat,
cum prunæ ardentes in loco etiam con-
cluso id non agant, inter res abditas ad-
huc est, huiusque potestatis suffocativæ.
multa sunt exempla. Quam graviter a
fumo carbonum afflictus fuerit *Helmon-
tius*, ipsemet refert in jure duumviratus;
ait enim, quod dum esset media hyeme
in clauso cubiculo scripturiens, ob testam
allatam carbonum, tam graviter percus-
sum, ut vix e Musæo exire potuerit, &
paulo post in terram semimortuum ceci-
disse. Accusat idem *Helmontius* gas quod-
dam sylvestre in carbone latens, quod su-
scitatur a sulphure quodam inflammabili
inibi concentrato. Crater ille, in quo
sunt semina, cupri retinet vitium, ori-
chalcum enim conflatur ex cupro, & lapi-
de calaminari. Vas itaque istud excande-
factum, suum acorem exspirat, qui ab ope-
rariis excipitur, accedit tandem saccharum
liquatum, quod seminibus superaffundi-
tur, & halitus suos corrosivos exhalat,
qui eo magis sunt acriores, quo saccharum,
quod ad condituram adhibetur, candidum
est, & aqua calcis repurgatum, nisi enim
ea quæ condiuntur summum candorem
præferrent, convivis in fine mensæ jam sa-
turis, stomachum potius, quam appeten-
tiæ incitamentum facerent. Omnia hæc
itaque conspirant, ad graves noxas ope-
rario inferendas, cerebro, oculis, & pe-
ctori potissimum, caput enim graves*

(a) Lib. 21, c. 4.

dolet, oculi ab ignis halitibus, tanquam spiculis punguntur ut rubescant, ac interdum inflammantur, anhelitus quoque læditur, ob inspiratum aerem acribus particulis saturatum. Ut aliquæ cautiones hujusmodi operariis proponantur, primo curare debent, ut quantum licet tale opus fiat in aperto loco, ad faciliorem hujusmodi vaporum diffusionem, operis interruptio ad aliquot horas ad aerem recentem hauriendum laudatur, quo tempore faciem aqua abluere debent, & posca

fauces abstergere. Ad carbonum malignitatem emendandam, lubet remedium proponere, quod in usu est apud omnes fere artifices, ubi per hyemem carbonibus accensis in suis officinis uti necesse sit; frustum enim ferri inter carbones reponunt, sic enim carbonum virulentiam corrigi existimant; forsan dici posset spiritus illos malignos carbonis in ferream substantiam vim suam exercere, sive ferrum ipsum eosdem absorbere.

De Textorum, & Textricum Morbis;

C A P U T I V.

Quanti usus sit, imo necessitatis, ars textoria, vel ex hoc dignosci potest, quod mortalium nemo, nisi aliquo opere textili nuditatem suam operiat; nec est, quod de natura conqueramur, quæ avibus pennas, cuique animali pilosum integumentum concesserit, solum autem hominem nudum reliquerit; homo enim ingenium habet, & manus, quibus varia & diversa vestium genera sibi contexit, non ad operimentum solum, sed ornatum quoque ac decorem. Ars texendi olim, muliebres ut plurimum erat ministerium, ut etiam Nobiles Matronæ ab hujusmodi opere non abhorrent; sic *Penelope*, marito absente, telam texendo, & redordiendo *Procos* eludebat. Apud *Virgilium* (a) legimus *Æneam* in funere *Pallantis* occisi, binas clamydes auro distinctas eduxisse:

*Quas illi lata laborum,
Ipsa suis quondam manibus Sidonia
Dido*

*Fecerat, & tenui telas discreverat
auro.*

Nunc ad solas manus plebejas textricum & textorum ars isthæc deducta est, multumque est, si nobiles mulieres super te-

las acu pingere didicerint. Duplicem fuisse texendi rationem, tradit *Octavius Ferrarius* in opere suo eruditissimo de re vestiaria, unam antiquissimam, in qua mulieres stantes texebant sursum versus, & in altitudinem, alteram, qua sedentes & deorsum, hancque ait fuisse *Ægyptiorum* inventum, qui tramam trudebant in inferiorem partem, sive ad pectus trahebant; modo sedentes quidem mulieres texunt, sed talis sessio est, ut etiam quodammodo videantur stantes. Opus hujusmodi certe laboriosum est, totum enim corpus exercetur, ambæ manus, brachia, pedes, dorsum, ut nulla pars sit, quæ huic operi eodem tempore non allaboret. Rusticæ mulieres hyemali tempore, quo vacant ab agrorum cultura, in stabulis suis telas ex filo cannabino, aut lineo conficiunt, & puellæ præsertim, antequam nubant, quibus ars texendi pro dote est, turpe enim habetur, si rustica mulier artem hanc non calleat. Cum ergo laboriosa sit ars ista, sua habet incommoda, & præsertim mulieribus, nam si gravida sint, facile abortiunt, & foetum excutiant, unde postea multa mala superveniunt. Habitiores itaque, & robustas esse

se

(a) *Ænei. lib. 11.*

Te oportet textrices, quæ arti huic unice eandem remittit, ambo postea magna vi se addixerint, alioquin ex nimio labore pectinem ad pectus eodem tempore confatiscunt, & in grandiori ætate, artem trahunt. Panni textoribus aliud malum, hanc deferere coguntur. Ab hac tamen quod textricibus, quæ telas ex lino, canabe, serico texunt, non advenit ex materia quam tractant, solet accedere, lanæ nempe oleo imbuta, quæ semper pravum odorem spirat; sic illorum corpora male olent, ac interdum etiam foetet anima, oculi enim rubent, uti evenit in omnibus, qui lanam oleo imbutam tractant.

Præsidium itaque ad mala antevertenda esset tam viris, quam mulieribus in opere tam arduo moderatio; illud enim vulgatum *ne quid nimis*, nimis mihi placet; molles frictiones ad lassitudinem tollendam, ex oleo amygdalarum dulcium, brachiis, femoribus, & cruribus, erunt ex usu. Pannificibus, quantum fieri potest, corporis mundities procuranda, festis saltem diebus, puras vestes induendo, lavacro odorato ex vino ablutis manibus, brachiis, & cruribus.

In textrinis, ubi pannificio incumbitur, quidam operarii sunt, qui pannos jam factos magnis, ac ponderosis forcipibus, tota die attondent, quod ministerium certe laboriosum est, brachiis præsertim, & manibus, quare ipsorum quoque ratio habenda, & iisdem prælidus succurrendum.

De Morbis, quibus obnoxii sunt Fabri Ærarii.

C A P U T V.

INter metalla, quæ hominum sagacitas Rebus publicis, ex omnibus metallis solum æs & ferrum sufficere, sic ut monetæ e terræ visceribus novit eruere, ferum apud veteres ex solo ære essent percussæ, longe magis, quam argentum, atque aurum; unde Mexicani, quibus pro ferro unde Ærarii nomen: De morbis, quibus Fabri ærarii sunt obnoxii, in hoc capite atque ære, aurum & argentum natura erit sermo, de iis tamen loquendo, qui concesserat, Europæis ferro armatis & pugnantibus invidebant. Cum ergo magnus intra Civitates in suis tabernis circa æs exercetur, non autem de iis, qui in fossis æris usus, a priscis etiam temporibus, dinis æs eruunt, de quibus in primo capite, ubi de metallorum fossoribus facta uti videre est apud *Athenæum*, qui ait *Platonem & Lycurgum* statuisse in suis est mentio, In singulis itaque Civitatibus bu-

hujusmodi Operarii, ac *Venetis* in unum vicum collecti sunt omnes, qui tota die malleationi æris incumbunt, ad ductilitatem obtinendam, ut varia exinde vasorum genera conficiant, unde tam ingens strepitus exsurgit, ut soli Operarii inibi tabernas & domicilia habeant, locum enim illum adeo infestum omnes effugiant. Observare ergo est hujusmodi Artifices, super parva strata humi ut plurimum sedentes, & incurvos, tota die malleis primo ligneis, post ferreis æs novum percutiundo, ad ductilitatem, quæ expetitur redigere. Primo igitur ex continuo illo strepitu, aures male affici, & totum etiam caput, necessum est, unde similes artifices surdastri sunt, & ubi in hoc opere consenuerint, omnino surdi; auris enim tympanum ex continua illa percussione, naturalem suam tensionem amittit, & æris interni repercussio ad latera, omnia auditus organa infirmat ac pervertit; idem itaque ipsis evenit, quod *Nhi* accolis in *Ægypto*, qui ex nimio strepitu cadentis aquæ omnes surdi sunt. Idem quoque gibbosi evadunt, ex continua illa in operando curvitate. Idem ipsum pariter iis evenit, qui aurum in tenuissimas bracteas malleando deducunt.

Præter noxas hujusmodi aurium & capitis, graves quoque pulmonum & stomachi affectus illis incumbunt; nam dum malleis æs tundunt, halitus quidam virosi ex ære percussio elewantur, & per os subeunt stomachum, ac pulmones, ut ipsimet artifices fatentur. Ex ære multa medicamenta parari solent, uti flos æris, squamma æris, viride æris, quæ vim emeticam & corrosivam possident. Hanc ergo vim erodendi, exsiccandi, sentiunt ipsi artifices, dum per inspiratum aerem

hauriunt. Ab iis sciscitatus sum, num ab hujusmodi halitibus in oculis noxam ullam perferant, nec quidquam oculos affici responderunt, quod conforme est illi, quod dixit *Macrobius*, qui scripsit in fodinis æris, fossores oculos sanescere, si lippitudine laborent, sic & xyrocollyria ex ære parari solent.

Quibus remediis hujusmodi noxis obviam iri possit, ego non video, aures gossypio obturari possent, ut minus a strepitu concutiantur partes internæ, & oleo amygdalarum dulcium illiniri possent, a continuo illo strepitu infraactæ & concussæ. Ad corrigendam xirysim, quæ pulmones afficit, ob haustum aeris metallicis halitibus saturati, proderunt emulsiones ex amygdalis, seminibus melonum, cucurbitæ in aqua violarum, hordei, & similibus, serum vaccinum quoque, & fercula ex lacte commendantur. Si vero artifex ex sua natura siccus sit, aridus, & pulmonis affectibus obnoxius, nullum securius remedium est, quam ut artem deserat, & alteri se addicat, pessimum enim est lucrum, quod ad citam mortem deducit. Sicubi ergo aliquis *Ærarius* artifex ex aliquo morbo acuto, uti febre, decumbat, non inutile erit *Medico* curanti nosse, in qua arte sit exercitus; cum enim sæpe in acutis febribus aurium sonitus percipiuntur, *Medicum* non sic terreri oportet, atque hinc malum omen deducere, cum ex *Hippocrate* funesti sint hujusmodi sonitus; mirum enim non est, si in hujusmodi Artifice aures hebetiores sint, & in acuta febre soni graviores excitentur; sic ad pulmonum affectus respicere oportet, ne a febris acutæ siccitas intendatur, sed plurima humectatione, emulsionibus eosdem restaurare.

De Lignariorum Morbis.

CAPUT VI.

Post fruges nihil hominibus magis utile natura produxit, quam arbores ac sylvas, imo ut recte *Plinius* (a): *Hinc primum alimentum, harum fronde mollior specus, libro vestis*, postea invento ferræ usu, arbores in tabulas secari cœptæ, sic & construi domus, & mille alia ad humanos usus. Lugdunum in Gallia totum ligneum olim fuisse censendum est, nam eam Urbem unica nocte arsisse refert *Seneca*, ut rustici, qui mane Civitatem adibant, casum hunc ignorantes, cum e valde proximi essent, nec eam oculis aspicerent, stupidi mirarentur, quid factum esset de Lugduno, unde *Seneca* humanos casus miserans exclamavit, *diva Sylva, momento cinis*. Nostri etiam temporibus, in Septentrionali plaga, Urbes sunt totæ ligneæ, uti *Mosca*, in qua magnæ tabernæ sunt, in quibus prostant domus venales allaboratæ, quales esse debent, magnæ, parvæ, mediocres ad genium emptoris, ut quis paucis diebus habere possit domum in designato situ paratam.

Ars lignaria, licet in genere unica sit, in varias tamen dispescitur, cum alii sint, qui solas rhedas, & currus, alii qui sola dolia & tinas, alii qui solas naves fabricentur. Quidam sunt, qui scalprou solum pro speculis & pictis tabulis, ornatus elegantes, postea deaurandos efficiunt. In universum ars ista laboriosa est, & suos artifices fatigat; gravius tamen afficit eos, qui ferræ usu arbores in tabulas secant, laboriosum enim est opus huiusmodi, arbores enim quadratas super duo ligna collocant, & operarius unus pedibus supra trabem stans, alter infra, magna ferra secundum lineas, rubrica designatas

trabem secant. Opificium istud elegantes *Hippocrates* in primo de diætâ, his verbis descripsit. *Quemadmodum fabri lignarii lignum ferra dissecant, & alter quidem trahit, alter protrudit, idem sane facientes, & qui deorsum premit, superius ire, si vero violenter cogant, toto opere aberrabunt*. Qui supra trabem est, magis laborat, quam qui infra, ferram enim satis gravem sursum trahere debet; qui vero infra operatur, non leve incommodum patitur, ex continuo scobis descensu in oculos & os quoque, unde oculorum rubor, & dolor subsequitur, illi enim fere semper connivere necesse est.

Ii quoque, qui ad tornum exercentur, ac præcipue si lignum sit ex buxo, olea, therebinto, & aliis similibus, non levem in opere suo laborem experiuntur, (b) nam manus & brachia in assidua cõtentione habere illis necesse est, ut scalprou detineant, quo paulatim abradant, quod volunt ad designatum opus, pede dextro continuo laborandum, ut lignum contornandum volvatur, ac revolvatur. Oculos quoque ad opus intentos habere oportet, qui ex illa circumvolutione ligni, noxam aliquam contrahunt, spiritibus & humoribus in motum vertiginosum concitis. Ex materia, quam tractant Fabri lignarii, nullam fere noxam patiuntur, nisi aliquando ex ligno cupressi, cum quidam sint, qui illius gravem odorem, siue capitis dolore ferre non possant.

Fabris lignariis remedia ad cautionem non habeo, nisi moderationem in nimio labore, ne lucro nimis intenti morbos sibi comparent, ac postea inviti ab opere suo exercendo ad multos dies vacare teneant.

(a) In Præf. lib. 12.

(b) Ænei. lib. 11.

neantur; Frictiones molles ex oleo, ut omnibus operariis ex nimio labore defatigatis, erunt salubres. Oculorum quoque habenda est ratio, ut quantum fieri possit minus patiantur, operis intermissione, & si dolore ac rubore teneantur, rebus temperatis, ut aqua hordei, violarum,

laete muliebri abluantur; si vero acutis morbis alia ex causa corripiantur, eadem cautiones adhibendæ circa magnorum remedium administrationem, ut in aliis Operariis, quibus ex nimio labore vires sint magis exhaustæ.

De Morbis eorum, qui Novaculas, & Phlebotomos ad corem acuunt.

C A P U T VII.

PAucas esse artes existimo tam innocuas, quæ suis Artificibus labem aliquam non affricent. Quis unquam credidisset, iis qui ad parvam molam ex cote novaculas, Barbitonorum arma, & Phlebotomos, Chirurgis ad venam secandam inservientes, exacuunt, aciem oculorum obtundi? Ast id verum esse experientia comprobatur, neque id mirum esse debet, nam cum huiusmodi Operariis necesse sit oculos semper habere intentos ac defixos in molam illam, quæ magna velocitate circumagitur, fieri nequit, quin oculorum frangatur tonus, & progressu temporis hebescat visio, uti omnibus lepturgis evenit. Vertiginosis etiam affectibus, cum tota die operati fuerint, infestari solent, ac ii præcipue, qui non tam firmo capite fuerint, ut etiam post opus sibi videantur in mente molam circumactam adspicere. Ab hac causa externa, & occasionali probabile est, in motum cieri humores oculi, aquæum præcipue, qui natura sua mobilis est, nec non spiritus animales in orbem circumrotari, sicque naturalem oculi œconomiam perverti. In hac Civitate, quidam in hac arte satis peritus est, in acuendis novaculis & lan-

ceolis, unde lucrum non leve illi advenit; licet continuato per totum diem opere, oculorum ruborem, & ophthalmias interdum graves pati solet, nec huius infortunii aliam causam, quam artem suam culpatur; alios postea artifices huiusmodi interrogavi, qui fere omnes de oculorum morbis conqueruntur. Non exiguus quoque labor iisdem est, dum dextro pede efficiunt, ut rota major lignea in orbem circumagatur, quæ parvam molam in eundem motum ducat; ast ab hoc incommodo cavere possunt, ac nonnulli etiam cavent, dum machinam huiusmodi a pueris in gyrum adduci jubent, manibus tamen & brachiis ad opus intentis, lassitudinem non parvam contrahunt, oculi tamen ii sunt, qui magis læduntur. Quo præsidii genere iis succurri possit, aliud non video, nisi temperantiam, & ad horas aliquot ab huiusmodi opere vacare, nec tanti lucrum facere, quanti sanitatem. Ea quæ superius diximus lepturgis conferre, h. e. qui circa res minutas visum exercent, hisce quoque erunt administranda, ne cum lædio legentium eadem sæpius repetantur.

De Morbis Laterariorum.

C A P U T VIII.

PRimæ ætatis homines, non habuisse domos arte factas.

*Cum frigida parvis
Præberet spelunca domos, ignemque
laremque*

Et pecus & dominos communi clauderet umbra,

fatis credibile est; postmodum vero ad commodiorem habitationem, *Mapalia* ex harundinibus, & stramentis facta, mox casas ex saxis, & tophis, totam materiā suppeditante natura, fuisse constructas, quales in locis montanis etiam num videre est, nostris temporibus ex solis saxis congestas, & luto glutinatas, atque latis filicibus contectas. Quoniam vero in locis planis & campestribus saxa non aderant, lateres ex luto conficere, eos ad solis radios exsiccare, in fornacibus excoquere didicerunt, sicque lateritiæ domus, melioris formæ, & firmitudinis apparuere. Cum ergo inter artifices Laterarii quoque numerentur, ac necessarium sit illorum opus ad veteres domos reparandas, & novas construendas, quales morbos ex huiusmodi opere sibi accersant, peruestigemus. Non est quod hic, quomodo lateres fiant & coquantur in fornacibus, exponam. Opus enim huiusmodi cuique satis obvium est, dum extra civitatum pomeria passim, aliisque in locis facile sit observare similes operarios. Hoc opus præ cæteris valde laboriosum est & servile, sub quo gemebant olim *Israelitæ* in *Ægypto*, lateribus conficiendis addicti, pro solamine allia, & cæpas habentes. Cum ad solis radios necesse sit amplis in areis, ex luto rite subactis lateres conficere, eosque bene exsiccare, ac tandem in fornacibus reponere, ut lapidescant, fieri non potest, quin illorum corpora maxime durentur, & sicca fiant. Ad morbos itaque acutos valde dispositi sunt tales operarii, febres nempe malignas, non raro flammatorias; cum enim omnibus aeris injuriis sint expositi, uti matutinis frigidam auram captare, meridianis a solis radiis exuri, vespertinis horis mitiorem aerem experiri, ac persæpe pluviis madescere, agresti victu accedente, ex pane secundario cum alliis, cæpis, vino, ut plurimum vapido, mirum non est, si gravissimis mor-

bis corripi soleant, potius mirari licet, quomodo tam durum opus, ad plures menses sustinere possint. Febres itaque huiusmodi Artificum, delirium fere semper habent adjunctum; a quibus si evadant, ad morbos chronicos facile transeunt, uti ad quartanas, malos habitus, interdum etiam ad hydropeem. Similes operarii sunt ut plurimum ex rusticana gente, quare ubi febre corripiantur, ad tuguria sua se conferunt, sola naturæ negotio commisso, seu ad nosocomia deferuntur, in quibus solitis remediis, purgatione, sanguinis missione, ut reliqui, curantur, ignota *Medicis* horum Artificum conditione, qui exhausti sunt, & a diuturno labore exsoluti.

Hisce miseris operariis, optimum remedium esset balneum aquæ dulcis in ipsa principio, ubi febrile incipiunt, squallida enim sunt illorum corpora, humectata enim cute, ac poris apertis, patefceret vi febrili incandescentiæ, ast nostris temporibus exolevit balneorum usus, qui priscis *Medicis* tam familiaris erat. Magno usui *Romæ* olim erant balnea, ubi enim tota die operarii sese exercuissent, vespertinis horis balnea publica adibant, in quibus parvo lavabantur, ac in his sordes contractas, & lassitudinem simul deponebant, quo modo a morbis minus infestabantur, quam nostrorum temporum Artifices. Nemo erat cujuscumque sortis, sexus, ætatis, qui balneorum usum non haberet. Matronæ pariterios puellæ balnea adibant in primis nascent & Ecclesiæ temporibus, ut constat ex Epistola *D. Hieronymi* ad *Eustochium*, ubi illam admonet, ut si virginem puellam in balneo lavari conveniat, ad munditiem corporis, & sanitatis quoque gratiam, illam admonet, ne puella virgo nudam se videat, forsan enim in obscuro loco clausis fenestris, seu per noctem lavacrum huiusmodi virginibus faciendum volebat, nam balneorum fabrica a prisco usu, in magnum luxum degeneraverat. In hanc rem legi meretur *Seneca* (a), ubi *Villam Scipionis* describit, qui voluntariq

Exilio. post Africam subactam Linternum se recepit, ubi in balneolo *Cartbaginis horror abluebat corpus laboribus rusticis fessum, non quotidie lavabatur, nam ut ajunt, qui priscos mores Urbis tradiderunt, brachia, & crura quotidie abluebant, quæ scilicet sordes opere collegerant, cæterum totius undinis lavabantur.* Laterariis itaque, qui in luto semper hærent, uti proverbio dici

solet, valde salubris esset balnei usus, tum ad sanitatis tutelam, tum ad morbum tollendum; sed quoniã Christiana religio animorum potius, quam corporum sanitati intenta, passa est paulatim obsolescere balneorum usum, tam salutari præsidio in omnibus penne morbis, nostrorum temporum destituta, est Ars Medica.

De Puteariorum Morbis.

C A P U T IX.

Quemadmodum Laterariis ad solis, & ignis præsentiam exerceri ac torreretur necesse est, ita Puteariis procul a sole, & igne vim frigoris, & nimia humiditatis, puteos fodiendo, experiari, vel in media æstate; hyeme etenim, ac vere, quo tempore terra prægnans est aquæ, puteariorum operam nemo exquirat. Cum ergo ad novos puteos fodiendos, seu veteres expurgandos, ac altius venarum aquas perferutandas, commodum tempus sit æstas, dum Procyon furit, & stella velani Leonis, nemo non videt, quanti periculi plenum opus sit talis operatio, a calido enim ad frigidum, & a frigido ad calidum, a sicco ad humidum, & ab humido ad siccum fit transitus. Ex longa itaque mora in loco frigido, & aquarum madore, quæ hinc inde confluunt, per facile est stiparicutem, ac perspiratum graviter lædi, unde postea acutæ, & male moratæ febres suboriantur. Accedit præterea alia causa, unde malignæ febres emergant, tetra nempe exhalatio, quæ ex puteis exspirat, præcipue in collibus, & montanis locis, ubi sulphura, nitra, & alia mineralia sunt, quæ puteariis spiritus & humores corrumpant. In locis campestribus, & planis non ita læduntur, in iis tamen semper putor aliquis percipitur, ex quo puteis nomen est inditum. Hanc itaque ob causam, spiritus animales, quorum indoles ætherea est, & aurapuriore gaudent, insigniter vitari ne-

cesse est. In puteariorum censu veniunt, qui cisternas a sordibus collectis repurgant, quas inibi aquæ pluviales, quæ e tectis, per euripos, & canaliculos in illas influentes relinquunt, quale opus Venetiis potissimum satis commune est, æstate præsertim; dum ergo hæc cisternas verrunt & purgant, nec tam cito id possit fieri, non possunt, quin labem contrahant, sicut putearii.

Hac occasione memorare lubet puteos in agro Mutinensi, ex quibus Petroleum illud celebre obtinetur candidum & purum, cum nullibi in tota Europa simile quidpiam habeatur. In Appennini jugis exstat mons, Festinus dictus, ad viginti millia passuum ab Urbe distans, in cujus summo parva planities visitur, qua hinc inde varii sunt putei, tum veteres, tum novi, ex quibus petroleum colligitur, quod exstat in fundo aquis innatans: putei isti profundissimi sunt, nec nisi scalprio, & malleo facti, cum totus ille mons siliceus sit, unde ab incolis oleum saxi appellatur. Cum ergo novus construitur, putearii maxime ab illo odore infestantur, quali odore circumquaque totus aer est oppletus, nam memini, cum eo loci concessissem, ut puteos illos inviserem, me ad miliaris unius distantiam, petrolei odorem persensisse. Interdum evenit, ut dum putearius scalpit, venas quasdam Petrolei perumpat, unde Petrolei copia largius emanet, tunc

tunc alta voce clamat, ut quam citissime per funem educatur, ne inibi suffocetur, ac interdum vix educi potuit, sed anhelitum ægre ducens; referunt etiam quosdam ex his operariis, ex largiori vena Petrolei diffusa, suffocatos misere periisse. De Petroleo montis Festini typis olim tradidi epistolam, ad Illustrissimum D. Felicem Abbatem Viali Patavini horti præfectum, ac eodem tempore recudi curavi libellum de Petroleo montis Zibinii, quem libellum Francisci Areosti manuscriptum, *Oligerus Jacobæus* in Bibliotheca Regia Hassniensi repererat, & Hassniæ imprimendum curavit; Petroleum enim montis Zibinii parva fossione obtinetur; nam in quadam profunda valle, parva scobs visitur, ubi Petroleum super aquam innatat, sed Petroleum istud rubrum est, neque comparandum montis Festini Petroleo, quod candidissimum est, nec tam ingrati odoris. Existat Mutinæ aliud Puteariorum genus, qui non æstate, sed media hyeme puteos effodiunt; sed longe diversos ab aliis puteis, nam ex his obtinentur fontes aquæ vivæ purissimæ, atque nitidissimæ, de quorum Fontium admiranda scaturigine Tractatum Physico-Hydrostaticum edidi, quem patavino Typographo recudendum tradidi, cum nulla prioris editionis exemplaria uspiam reperire sit, & a rerum naturalium curiosis exquiratur. Longum esset, modum tradere, quo putei isti construantur, satis sit nosse, varia strata modo terræ cretaceæ, modo paludosæ, alternatim reperiri, quibus transactis, existat stratū sabulosum, glarea minuta refertum, ad quod ubi devenerint, putearii, pro operis meta & complemento habent, inibi enim percipitur aquæ fluentis murmur. Magna & longa te rebra igitur putei lateribus insistentes, stratū illud glareosum ad duas vel tres ulnas perforant, quo facto, tanto impetu aqua erumpit, ut Operarius lateribus te rebræ insidens, per funem vix educi possit, ut aqua erumpens illum non pertingat; tēporis itaque fere momento, puteus aqua

impletur, quæ postea perenniter supra terram defluat. Multa equidem curiosa, in horum puteorum fossione observantur scitu digna, uti arbores magnæ in illa profunditate, ossa magna, & alia, quæ in opere meo recensui.

Opus huiusmodi valde laboriosum, & sordidum est, cum enim ad integrum fere mensem in hisce puteis operarios immorari oporteat, hyemali tempore, ut dixi, cum per Æstatem ob fumosas exhalationes, & intensum frigus, opus huiusmodi aggredi renuant, hyeme vero inibi degant, tanquā in hypocausto, ob multū calorem concentratum, sine ulla exhalatione, cum accensis luminibus, quæ per æstatē a fumosa exhalatione exstinguuntur, dum quotidie, tum propter fossionem, tum propter calorem inibi hospitantem, toti sudore perfusi educuntur, non possunt quin graves noxas contrahant, & ea incommoda, quæ ex perspiratu læso oboriuntur, sentiant. Putearii in universum persæpe solent decumbere, ex morbis pectoris, destillationibus, aliisque morbis; cachectici ut plurimum sunt, ob victum prævum, quo per inopiam utuntur, luridi aspectus, atque ubi ad 40. aut 50. annum devenerint, huic arti, atque etiam vitæ extremum vale dicunt; hæc est misera horum Artificum conditio.

Quomodo curandi sint operarii isti, cum ægrotant, siue acutus, siue lentus sit morbus, quivis *Medicus*, qui modice sapiat & norit, quamnam artem exercere sint soliti, facile dignoscet, perspiratum nempe corporis, ob longiorem moram in locis humidis, ac putidis graviter læsum, propriis remediis restituendum, vitiosos succos corrigendos & purgandos, naturæ fractas vires refocillandas; convenire propterea in principio frequentes frictiones universo corpori, cum unctione *Actii*, cucurbitulas siccas, lavacra cruribus & brachiis ex vino generoso, in quo incoctæ fuerint folia *Salviæ*, *Lavendulæ*, flores roris marini, & similia, cucurbitulas etiam scarificatas dorso appolitas, quod reme-

Hum exercitis hominibus familiare est, parce mittendum sanguinem ex vena, seu aperiendas venas hæmorrhoidales, appositis hirudinibus, leniter quoque ac per episcrasim, ut dici solet, instituendam pur-

gationem, ne vires exsolvantur; vehemens enim purgatio ex Hippocratis (a) decreto, parum salutaris est; qui prave utuntur victu.

(a) 3. Apho. Aphor. 36.

De Nautarum, & Remigum Morbis.

CAPUT X.

SI ars ulla est, quæ ad publicam felicitatem, & mutuum commercium servandum multum conducit, ea maxime navigatoria est, quæ Ortum Occasum junxit, Aquilonem Austro, & bona, quæ huic & illi Regioni natura fecerat propria, navigatio fecit communia. Ars ista mehercule antiquissima tanti habita est, ut illius inventores divinis pene honoribus celebrarentur; sic *Argonautæ*, qui in *Colchus* usque navigarunt, inter Heroes connumerati, & navis Argo a Poetis in cælum translata. Quid si vidissent, uti passim nostris temporibus, a metis herculeis classis armatas navigationem in Peruvianas usque Regiones suscipere? Ars ista certe jam summum perfectionis attigit, planeque ostendit fabulosum non esse, ut olim creditum, reperiri homines, qui adversa nobis habeant vestigia. Exquiramus ergo, ut nostri muneris est, quas noxas patiantur nautæ, cæterique operarii, seu potius quanam sint morbi, quibus non pateant illorum corpora. Hic tamen, non de morbis navigantium, qui mercaturæ gratia seu ad alios fines navibus se committunt, ac in his otiosi nihil operantes degunt, loqui mens est, sed de nautis, qui diu noctuque in continuo sunt opere. Quocumque igitur acutorum morborum genere, ut uno verbo me expediam, premuntur Nautæ, Remiges, alique operarii; tale est enim illorum vivendi genus, tot ærumnæ quas patiuntur, in hoc instabili & infido elemento, utcumque acutos morbos in illis inveniat, quo rabie in suam depascatur,

chronici quoque morbi eosdem infestant; sed non tam diu, ut solent terrestres Artifices; navis enim locus aptus non est ad alendos chronicos morbos. Ante magnetis usum, valde laboriosam fuisse hanc artem fas est credere, nam illis necesse erat, per noctem sub dio oculos ad Cynosuram habere intentos, ut scirent, quæ eundum esset; sic apud *Virgilium Palinurus* ille Trojanæ Classis rector, dum hærebat clavo affixus, oculosque sub astra tenebat, letheo sopore perfusus in mare cecidit; nunc autem reperto magnetis usu, navis Gubernator ab aeris nocturni malitia nil metuens, ad Versoriam in sua cellula intentus inter densiores noctis tenebras navim regit, ac ad eam partem, quam in mente habet, dirigit, in mari medio, ut in terra nemo in cæca noctis caligine tam recte ambularet.

Nautæ igitur, maris, ac ventorum, cœlique injuriis, & mille incommodis, quæ secum affert navigatio, expositi, morbis acutis, ut dixi, facile sunt obnoxii, febribus præsertim malignis, & inflammatoriis, quæ eos diu ægrotare non patiuntur, cito enim judicantur seu bona, seu mala crisi, neque locum hic habent præceptiones medicæ, imo ut ait Celsus, *cum quadam temeritate sunt rapienda remedia*, non secus ac fieri solet in gravi aliqua tempestate. Solent Naucleri variam remediorum suppellectilem secum deferre, & Medicos etiam habere pro illorum administratione. Theriacalia itaque, Bezoartica præ cæteris erunt ex usu, ad præ-

pravos humores ex intimis partibus, ad ambitum corporis extrudendos, & per sudorem etiam exantlandos. Neque vero dosi mediocri talia remedia præscribenda, sed longe majori, quam quod fieri soleat in iis, qui in terra ægrotant; cum enim victus, quo utuntur Enhydrobii, longe differat ab eo, quo uti solent terræ incolæ, non nisi pessimæ indolis morbi suboriri possunt. *Thomas Bartholinus* (a) apud *Bonetum* in Medicina Septentrionali asserit, medicamenta in mari versantibus, tertia parte validiora esse præscribenda, si votis respondere debeant, quod non solum de purgantibus, sed diaphoreticis, diureticis, & quibuscumque aliis vult intelligendum. Apud *Joannem de Vigo* (b) *Jul. II. Pont. Max. Chirurgum*, caput particulare exstat de febribus, quæ navigantes infestant, ubi & ipse suadet, generosiora remedia esse adhibenda, cum supponere liceat, in hujusmodi febricitantibus, ob victum crassum, salitas carnes, panem nauticum semirosum, aquam semiputridam, tales esse humores, ut vulgaria remedia facile eludant, nam malo nodo, malus cuneus. Licet autem *Bartholinus*, & *Joannes de Vigo* de iis navigantibus intelligant, qui ad particulares suos fines mari se commiserint, hæc cautio tamen multo magis conveniet nautis, aliisque operariis, qui in mari vitam traducunt.

Longe gravius præ cæteris afficitur infelix Remigum turba, quæ longo ordine catenata, supra sua sedilia procellis, ventis, pluviis exposita, toto corporis nisu contra vim maris, & ventorum solis remis interdum navim agere cogitur, nisi gravem verberum tempestatem supra sua capita velit ingruere. Hi enim acutis morbis correpti, operi suo pœnali cito eximuntur, in libitinæ censum traducti. Mirum est profecto, quomodo remiges non patiri, licet nocturnis diurnisque labori-

bus confecti, pingues & colorati adspiciantur; rationem hujus adfert *Franciscus Comes de Verulamio* (c), ait id fieri, quod *sessilis vita, stomachum aliquo modo supportet, quem stataria, & crebri incessus pensilem faciunt; unde exercitia deligere prolonganda vitæ conducit, quæ artus magis, quam stomachum, aut abdomen movent, ut sedentes remigent, aut sciram reciprocant.*

Non raro evenit, ut morbus aliquis epidemicus naves invadat, sive is extrinsecus advenerit, sive ob prævum communem victum, ac præcipue ob aquas corruptas, sive ob variam ac diversam navigantium multitudinem, qui inassueti pelago se commiserint, ac ob frequentem terrorem in magnis tempestatibus, malignas & pestilentes febres conceperint, unde ex diffuso seminio, cæteri eodem quoque morbo concidant. In simili casu, nullum est effugium, omnes enim, ut dici solet, in eadem sunt navi, ac necesse est morientes homines sibi ad latus intueri, & commune sepulcrum ante oculos adspicere. Hic prudenti homini nil aliud agendum, quam totum salutis negotium non fato, sed rerum omnium arbitro committere, theriacalia tamen medicamenta, quæ secum quisque defert ad longam navigationem, non erunt omitenda.

Alii quoque affectus communes, si non tam periculosi, satis tamen molesti, nautas & navigantes infestant: magna alvi adstrictione laborant quicunque maria peragrant, cujus rei causa potissima, in victum crassum, prædurum, in panem nauticum, quem *Plinius* ad alvi fluxus commendat, ad carnes fumo duratas, salitas, referenda. Aeri marino & fluctuationi stypticis causam acceptam refert *Helmontius* (d); cum enim navigantes in mari duplo edaciores sint, quam in terra degentes, ac minus deficiant, necessario,

ait

(a) Tom. 1. l. 8. p. 4. Sc. 2. c. 9. (b) L. 9. c. 4. de Addi. (c) In Syl. Syl. Cent. 8. Exp. 73 §. (d) Blashum. p. 36.

ait ille, corpora multum diffilari per insensibilem transpiratum, sicque alvum densari, nam ex *Hippocrate*, *cutis raritas*, *ventris densitas*. Hanc alvi legnitatem tolerare satius existimo, quam illam remediis purgantibus per os susceptis, quæ nonnisi alicujus energix deberent esse, & alvum densiorem facerent, curare velle, quando clysterium usum naves non agnoscunt, nec aptam materiam habent. Contumacibus vigilis obnoxii sunt nautæ; cum enim illorum vigilantia, omnium, qui in navi sunt, concredita sit salus, vix tempus suppetit, quo somnum captent, nisi interdum in malacia, cui neque dormientes fidunt, & obversantem in animo habent. Pruriginolos quoque corporis affectus, per totum corpus patiuntur, ob fordes in cute collectas, ex insensibili perspiratu, locus enim, in quo degunt, opportunus non est, ut corporis munditiei studeant, ac iis interdum tantum aquæ non suppetit, ut manus ac faciem lavent, multo minus indusia, hanc ob causam ab insolenti pediculorum exercitu obsidentur. Cimicum porro in navibus tanta est copia, ut ab illorum moribus cavere non possint; tam gravis quoque odor ex hisce animalculis emanat, ut nauseam ac

vomitum, non secus ac nautea facit. Remigibus, qui ut plurimum nudis pedibus incedunt, ulcera in cruribus fiunt, quæ squalida & sicca sunt, utpote ab humore salsuginoso producta, qualia fieri diximus maritimis piscatoribus; talis ergo curatio erit adhibenda, qualem diximus præfatis piscatoribus convenire. Gravissimis quoque cephalalgias vexari solent, ac præsertim, cum ad Indias Orientales sive Occidentales, navigationes suscipiant; cum enim a temperatis zonis ad torridam provehantur, ubi aliud cælum, alia sydera, alias etiam umbras, modo dexteras, modo sinistras euntes videre necesse sit, cum lineam æquinoctialem prætergrediuntur, magno capitis dolore cruciantur, una cum totius corporis atque animi perturbatione.

Nautæ igitur, & omnes illius operarii, nescio quo sub sydere nati, ad toleranda maris incommoda raro solent senescere; sicuti qui merent in castris. Hæc pauca de nautarum morbis, ac remediis pro hujusmodi artificum solamine dixisse sit satis. In hanc rem legendus doctissimi *Glauberi* liber, qui *Consolatio Navigantium* inscribitur.

De Venatorum Morbis.

C A P U T XI.

VEnationem artem antiquissimam esse, ab ipsis Mundi primordiis receptam, post primi Parentis lapsum, ex Sacrorum Codicum testimonio satis constat, memoratur enim *Lamech* magnus venator, & multarum artium institutor, qui *Cain* jaculo, inscius tamen, occidit. Primis illis temporibus, & forsan etiam ante agrorum culturam, & frugum satiationem, venatum in usu fuisse, pro faciliiori victu, cum in multa ruditate, & agresti vita degerent homines; conditis vero Oppidis, ac Civitatibus, in quibus so-

cialem & civilem vitam traducere, ad oblectamentum traductam esse venandi artem, & studium, satis perspectum est. Nostra hac ætate non ita patet cuique venandi libertas, ut priscis illis temporibus. Principes, & Nobiles Viri, loca quædam feris sylvestribus, atque avibus tanquam asylum concessere, ut inibi a venantium plebe securæ degerent, ut sibi solis pro lubitu venari liceret. Institutum meum quod attinet, hic mihi mens est de iis Venatoribus sermonem habere, qui ex hac arte ad se, suasque familias alendas, quæ-

sum

rum aucupantur. Habent Principes inter numerosas fervorum familias venatores, & aucupes, quorum unicum munus est feras, aves capere, & capturam ad dominos suos deferre pro menfarum deliciis. Sunt etiam alii homines liberi, qui hoc studio, toto anno ad venationem incumbunt, ac ad publica Civitatum macella, prædas suas deferendo, ab hominibus otiosis, rebus insolitis vescendi cupidis, non exiguum luerum capiunt, qua in re certe laudandi sunt, ac si interdum multo pretio merces suas divendunt, haud quaquam culpandi; incredibile est enim, quantum laboris impendant, quantum sudoris & vigiliarum iis consent ea quæ ceperint, illis enim sæpe evenit, quod tota die laborantes nihil capiant, & quod pejus est, ut dum feras captare satagunt, ipsi a ferinis morbis capiantur. De iis itaque potissimum mihi erit sermo, ii enim ob artem, quam exercent, sæpius ægrotant. Ab hoc tamen infortunio Principes & nobiles viri, qui frequentius huic studio se addixerint, interdum cavere non possunt. Non pauca exstāt apud Scriptores exempla Principum virorum, qui a feris occisi fuerint, sive ex nimio labore gravissimis morbis correpti obierint. Mirum est sane, quomodo venatio cujuscunque conditionis homines oblectet, ut nec æstum, nec algorem, nec defatigationem sentiant, rerum domesticarum omnino obliti, pernoctantes etiam sub dio, ut uxores solas cubare sinant, unde eleganter *Horatius: Manet sub jove frigido Venator, tenera conjugis immemor.*

Abfit tamen, quod venationis studium, hic improbare intendam, ex sui natura enim salutare est, & ad multos morbos chronicos remedii loco, ad præservationem quoque a gravissimis morbis, cum ex *Rhasis* quoque testimonio, in pestilenti constitutione, venatores a peste immunes se præservarint: Cæterum venatio exercitationis genus est, quod non unam tan-

tum corporis partem, sed omnes simul exercet, ut ex *Galeno* (a): venatori enim necesse est deambulare, currere, saltare, modo erectum, modo curvum stare, vociferari etiam, summam omnes corporis partes exerceri, idque modo vespertinis horis, modo per noctem, modo per hyemem, sub cælo pluvio ventis perflato corpus male plecti & defatigari necesse est, sicque ad varias ægritudines disponi, quod potissimum iis evenit, quibus ars venatoria in quæstu est, cum nullum illis toto anno feriandi tempus sit concessum, tam per æstatem latrante sirio, quam per hyemem, cum nix alta jacet, quo tempore, ut ait *Virgilius*, tunc licet:

*Gruibus pedicas, & retia ponere
Cervis,*

*Auritosque sequi Lepores, & figere
Damas,*

Venatio antiquitus magis laboriosa erat, quam nostris hisce temporibus; venatorem enim oportebat esse armatum arcu, pharetra, venabulis, quæ magno erant impedimento, & magnis opus erat lacertis ad arcum tendendum, modo sclopetis, ut plurimum res agitur, non solum in venatione, & aucupio, sed etiam in piscatu, cum neque pisces in aquis degentes a pulveris pyrii vi fulminea sint securi.

Cum itaque venatio certum moderamen habere non possit, in iis qui se huic arti addixere, ut in illa non secus ac alii artifices urbani alimentum suscipiant, variis morborum generibus conflictari solent, juxta anni tempora, ut plurimum tamen acutis morbis, sic per æstatem, febribus ardentibus, cholera sicca, dysenteriiis corripri consueverunt, biliosis humoribus a solaribus radiis ad summam acridinem exaltatis, nec non a sitis & incendia tolerantia, aliisque erroribus. Hyeme vero ob frigoris vehementiam, & facilem pororum cutis constipationem, post aliquot

(a) 2. de Tuen. Val.

quot sudatiunculas, in morbos pectoris incidunt, uti pleuritides, peripneumonias. Cephalalgias quoque gravissimis male plectuntur, caput enim illud est, quod præ cæteris corporis partibus caloris, & frigoris injuriis magis est expositum. Heriis etiam interdum obnoxii sunt, ob saltus & motus inconditos, dum feras festinantur.

Qualis curatio hisce morbis sit adhibenda, cuique perito *Medico Practico* satis est perspectum. Cui ergo contigerit hujusmodi venatorum curam suscipere, præ oculis potissimum habenda erit hæc animadversio, quod vires in hujusmodi ægrotantibus debiles sint ab exhaustu, non autem ab humorum prævæ naturæ copia, adeo ut in usu magnorum remediorum caute sit procedendum, non enim tam facile sustinent repetitas phlebotomias, neque validas purgationes, longe enim differunt exerciti in venatione, ab habitu exercitatorum, de quibus *Hippocrates*; venatus enim non est hujusmodi exercitatio, quæ corpus augeat, sed potius exsolvat, ut suis etiam canibus venaticis similes reddantur; idcirco *Galenus* venatores ajebat, oportere esse duros & rigidos, neque pariter nimia diæta esse macerandos, ne vires magis atterantur; necesse est enim, ut qui huic arti se dederint, robustæ sint constitutionis, alioquin cito fatiscunt, & variis morbis corripiuntur. Locus insignis est apud *Hippocratem* (a) his verbis: *Eunuchus ex venatione & discursu, hydropicus factus est*; Ars certe venatoria propria non est Eunuchorum & Spadonum, sed eorum qui sint duro de robore nati. Cautè itaque sunt tractandi, ac potissimum ad humorum attemperationem est incumbendum, diaphoresi ad cutem illos disponendo, cum enim sudationem habeant fami-

liarem, ubi ex acuto morbo decumbunt, promptius iis succurretur per remedia diaphoretica, quam alterius generis. Antiquiores in usu habebant balnea, sed nostra hæc ætate illorum usus obsolevit; si tamen febris a suscepto frigore, & pororum cutis constipatione ortum habuerit, balneum aquæ dulcis in usum revocari posset. Ubi vero acutus morbus in chronicum migrarit, & præsertim in febres, seu quartanas, seu alterius generis, neglectis remediis, quæ ad obstructions tollendas in usu esse solent, neglecto etiam Chinæ Chinæ usu, ablegandi sunt venatores ad solitum suum ministerium, quod moderate exercitum, illis remedio esse poterit, ut unde salutem amiserant, eam feliciter redimant.

Quod de feras insectantibus diximus, hoc idem de aucupibus dictum volo; hi enim licet minus patiantur, totos dies per agros & nemora vagantes, aves quæritando, ex nimio labore, & lassitudine, sudatione interdum, vespertinis horis postea interrupta, febres tertianas & quartanas per Autumnum sibi comparant, quo tempore avium captura felicior & uberior esse consuevit; sicuti enim qui Octobris mense retibus utuntur, ad alaudas & qualeas captandas (quod aucupii genus apud nos familiare est, dum aucupes matutinis horis qualeas, quæ in harundinetum se condiderint, blande sollicitant, ut in nassam se recondant) non raro acutis morbis affici solent. Gravius autem periclitantur, qui ad aves aquaticas captandas incumbunt, ut in vallibus ac in stagnis, rigenti hyeme, dies ac noctes in parvis cymbis degant, non pauci enim ex iis, ob tetros halitus, & cælum humidum, malignas febres & malos habitus, ac sæpe hydro-

De Saponariorum Morbis.

CAPUT XII.

Saponem apud veteres in usu fuisse ad vestes laneas, & lineas emaculandas, ex Scriptorum monumentis satis constat. Hoc inventum *Gallorum*, quæ Natio elegantiae & nitore semper studuit, *Plinius* in *Historia Naturali* (a) fuisse tradit, hæc sunt illius verba. *Gallorum hoc inventum rutilandis capillis ex sevo & cinere. Optimus sagino & caprino, duobus modis, spissus ac liquidus, uterque apud Germanos majore in usu viris, quam feminis. Galenus de simplicibus medicamentis*, aliisque in locis saponis mentionem habet, quem ait componi ex calce, lixivio, ac sevo hircino, vel bubulo, vel caprino, vimque fordes abstergerendi habere. Ex quibus verbis satis liquet, inter saponem veterum, & nostrorum temporum magnam esse cognationem; Veteres enim lixivio ex calce & cineribus, sebum variorum animalium permiscebant, nostra hac ætate solum oleum. Sapo venetus præ cæteris maxime commendatur, & magna in copia ad longinquas regiones defertur. Longum esset modum referre, quo Venetiis fiat sapo, certe opus istud artificiosum est, plus quam quis credat, nec minus laboriosum. Tria sunt ergo ex quibus sapo componitur, calx viva, cinis, & oleum; calcem habent ex vicinis montibus recentem, & melioris notæ, cinerem valde longe petunt, vel ex *Hispania*, vel *Alexandria Aegypti*, præferunt tamen Operarii eum cinerem, qui ab *Hispania* in globos congestus Venetias deferitur. Ex quibus vero plantis parentur isti cineres, nescire potui, facile tamen crediderim, ex iis fieri, quæ in oris maritimis nascantur. Primo itaque calcem aqua communi diluunt, ac bene subigunt, in-

terdum etiam aqua marina in defectu aquæ dulcis, huic calci sic dilutæ, cinerem sub mola prius contritum miscent, novam aquam addendo, si opus sit, eo modo, ut tota massa sit granulosa, & aliquam soliditatem habeat. Hanc in foveas quasdam ad id opus factas reponunt, supra quam aquam coniciunt, quæ paulatim ex hac mixtura acres particulas combibens, per quosdam canales descendit in alias foveas, sicque repetunt operationem, eandem aquam prædictæ mixturæ reasfundendo, donec aquam fortem acrem obtineant, aquæ stygiæ ad instar. Ubi ergo aquam istam, quantum sibi necesse est, paraverint, Operarii certam illius portionem in amplis cadis æneis reponunt, spatium relinquendo vacuum, in prædicto cado. Magno igitur igne subdito, aquam illam excoquunt per diem integrum, cui postea oleum olivarum remiscunt, ea proportione, ut oleum ad aquam fortem se habeat, ut unum cum dimidio ad octo, si oleum recens & perfectum, si vetus, aliquanto plus, igne postea lentiori finunt ebullire hanc novam mixturam, & singulis sex horis, exitum in alios cados, non tamen tota ex parte permittunt, & priori cado rursus novam aquam fortem affundunt, sicque operationem repetendo, singulis sex horis attente observant, quando materia incipiat crassescere, illam enim e suis vasis extrahunt, & super areas effundunt in loco aperto, quo pacto tota massa concrescit, ac ferra in varia frusta dissecatur. Hæc est saponis Veneti satis celebris per Europam fabrica.

Operarii ex materia quam tractant nullum sentiunt incommodum, licet enim per inspirationem aerem hauriant acerbis

S illis

illis particulis saturatum, quibus oppletum est illorum ergasterium, nullum in pectore, nec alia parte experiuntur incommodum, sani enim, & robusti & bene colorati degunt in huiusmodi officinis; solum qui sine calceamentis incedunt, iis excoriantur pedes, & aliae partes, si forte illas aqua fortis pertingat. Totum incommodum, quod hisce operariis contingit, ex nimio labore, diu noctuque, ac nimio calore, ob ignem fere perpetuum in hisce officinis provenit, ex quibus interdum iis necesse est pedem efferre ad aerem frigidum, & recentem captandum. Cum ergo isti operarii æstivis vestibus, vel media hyeme induti, aeri frigido se exponunt, facili negotio magnis constipationibus correpti, in acutas febres, & pettoris morbos, uti pleuritides, peripneumonias incidunt. His accedunt errores in diæta, nam ex suis officinis aridi, & exusti, tabernas vinarias adeunt, ubi multo mero se invitant & proluunt. In hoc opificio, nullam aliam iis suggerere possum cautionem, quam justam laboris moderationem in suis officinis, & cum ex loco adeo calido, plus quam hypocaustum illis exire necesse est, hyeme præsertim, vestibus bene palliolati, & capite bene obtecto. Cum autem acutis febribus actu tementur, prompta, & repetita sanguinis missione iis succurrendum, iisque remediis, quibus curantur febres ardentes.

Ex hoc saponis opificio, satis commode explicari potest, qualis sit natura medicamentorum, quæ dicuntur habere vim saponariam, h.e. abstersivam fordium humani corporis; vis enim huiusmodi po-

tissimum consistit in partibus alkalicis, & lixivialibus, sed oleosæ substantiæ mixtura temperatis; sicuti enim in sapone aquæ forti oleum permiscetur, ad castigandam illius acrimoniam ne lædat, & arrodât, ita etiam in medicamentis vi saponaria præditis, sapiens natura permixtam voluit oleosam materiam, pro attemperatione, ut mitius operarentur. Herba saponaria dicta, quia macerata ritu saponis spumam præfert, tale temperamentum particularum acrium, & pinguium habere dicitur, ac vi pollere inquinamenta gallici morbi abstergendi, sive sola, sive cum aliis ejusdem naturæ remediis decocta; sic Guajacum potissimum celticæ luis alexipharmacum, non parvam possidet acrimoniam, nec modicam continet oleositatem. Oleum itaque illud est, quod sua lenitate nimiam acrimoniam temperat, & spicula infrangit, recte propterea dicitur, utramque acrimoniam corrigere, tam alkalinam & lixiviale, quam acidam. *Hippocrates* (a) in affectione cholericâ, præ cæteris remediis oleum commendat. *Propina*, inquit ille, *oleum ut quiescat, & ut venter subducatur*. Non minus quoque eam temperat acrimoniam, quæ pendet ab acido, cujus rei exemplum habemus in sulphure, in quo magna latet aciditas, quæ tamen non percipitur, sed obscuratur ab illo pingui, & inflammabili, quod inest sulphuri. Oleum ergo, olivæ productum, nulla cum re bellum gerit, sed omnibus bonitatem suam large diffusivam communicat, bonum enim non est, ut dici solet, quod diffundi non vult.



VIRGINUM VESTALIUM

VALETUDINE TUENDA

D I S S E R T A T I O.

SI Monachos, aliosque religiosos cœtus, quos habeant singulæ Civitates, sacram in terris militiam dicimus, Monialium quoque vitam suis in claustris, speciem quandam militiæ licebit dicere, quæ stativis veluti in castris firmo pede, adversus hostes humani generis fortiter pugnare novit, & vincere. Militiam hujusmodi nullæ gentes nec ethnici, nec judaici cultus novere unquam, nec cogitarunt quidem, utpote solius fœcunditatis amantes, & studiosæ; soli enim Christianæ Religionis, cujus caput est Christus, unus e Virgine Parente natus, flos ipse virginum, servanda erat hæc gloria, & ornamentum. Habuit quidem olim Roma Virgines, quas sacras, & a sua Dea *Vestales* vocabant, quæ nimirum Vestæ sacra curarent, illius ignis æterni custodes. Quatuor ab initio, ac demum ad senarium numerum auctæ degebant in phœno Deæ, a cujus aditu nemo arcebatur interdum, sed ibi pernoctare fas erat viro nemini. En umbra quidem nostrarum virginum, sed quantum illæ nostris dissimiles; iis præscripta erant pudicitæ tempora, nam post exactos annos triginta in ministerio *Vestæ*, ignes perpetuos servandi, licebat nubere, atque ut ait *Prudentius*, *transferre emeritas ad fulcra jugalia rugas*. Nostrarum vero virginum, dicam potius Viraginum, singulis in Urbibus numerosæ sunt legiones, quæ virginitatem, quam Deo voverunt, perpetuam, & illibatam præstant. Sicuti autem virorum militiæ, cum ad expeditionem aliquam proficiscitur, suos *Medicos* habere mos est, cum

magni intersit milites bene valere, & rite curari, ita æquum est Monialibus præsto esse doctos, & peritos *Medicos*, qui illarum incolumitati quantum licet prospiciant. Mens quidem erat de morbis Monialium, & curatione differere, sed satius duxi, dissertationem hanc de illarum tuenda valetudine præmittere, longe gloriosius esse existimans a morbis præservare, quam eosdem curare.

Medicus itaque huic ministerio additus, quem peritum, prudentem, honestisque moribus præditum esse oportet, primum debet advertere, qualis sit conditio aeris, in quo positum sit monasterium, nam si in loco salubri, non magnum negotium illi erit Monialium valetudinem tueri, non ita vero si in loco insalubri fuerit; aer enim in quo degimus, & quem inspiramus, magnam habet in nostris corporibus potestatem; persæpe enim evenit, ut monasteria in gratiam amplitudinis hortorum, & Monialium oblectamentum, sint quidem bene structa, sed male posita, nempe prope muros, & foveas Civitatis, ad quæ loca omnes sordes confluunt. Sic apud muros quotannis majorem ægrotantium numerum, & graviores esse morbos observare est, quam in locis interioribus, qualis observatio est *Hippocratis* in Libris Epid. in historia illius, qui decumbebat prope muros; hoc idem quoque in hisce monasteriis observavi, nam si in frequentioribus locis Civitatis fuerint, licet sine hortis, & spatiosis ambulacris, feliciori fruuntur valetudine, quam ea, quæ hujusmodi habent delicias, sed pa-

rum salubres. *Medicum* ergo attentum esse oportet, ut ea, quæ aerem inquinare possunt, quantum licet avertat, Moniales monendo, ut ab iis ventis caveant, qui ab ea parte, ubi sunt foveæ, spirant, ac ne ingentes fimi acervos in hortis suis congerant, sed potius curent exterius emi, neque recentes, sed veteres, ne dum hortos saturare volunt, aerem pravis halitibus inquinant; quam ob causam *Hesiodus*, uti jam superius diximus, cum de morbis agricolarum ageretur, stercoreationem agrorum damnabat, consultum magis volens salubritati, quam fertilitati. A deambulatione in suis hortis matutinis, & vespertinis horis cavere debent, ne illarum graventur capita, summam totius monasterii mundities procuranda, ut aer quantum licet purus fervetur.

In omnibus fere monasteriis observavi quatuor, vel quinque sues nutrirî solere, ut fassamenta, pernas, lucanicas, laridos, multaue alia conficiant; quæ animalia, licet intra quædam septa contineantur, fieri tamen nequit, quin aeris puritati multum officiant, dum etenim fuilla identidem purgare necesse est, per æstatem præcipue, non parva mephitis totum monasterium infestat, neque suaderi possunt, ut consuetudinem hanc abiciant, licet si expensæ ratio habeatur in alendis his animalibus, non tam magnum sit emolumentum, ut ipsæ putant; quando igitur iis sic placet, quanta possunt diligentia efficiant, ut quam minime aeris puritas lædatur.

Quoad alimenta humano generi communia, panis primas tenet, hac de re non habeo quod dicam, omnia etenim monasteria optimo pane, ac ut plurimum recenti utuntur, ab iisdem bene laborato, ut nihil sit, quod hac in re desideretur, non ita vero de potu, h. e. vino; vina etenim Monialium, ut plurimum sunt de illorum natura, quæ ad æstatem male se habent, ubi enim Procyonis, & vesani leonis calores persenserint, evanida sunt, & pendula. Infortunium, hoc illis quotan-

nis contingere observavi, nam cum a principio multa aqua fuerint diluta, tum ut minus lædant, tum ut cuncta dolia, quæ exstant, impleantur, non possunt postea æstatis fervorem diu sustinere. Aliud quoque malum accedit, ut quam primum ex uvis immaturis vina recentia conficiant, acria, & acidula, quæ ubi ad paucos dies ebullierint, in usum veniunt, unde stomachi dolores, & flatulentia ortum habent. Ad incommodum istud vitandum, huiusmodi tempore, vina sibi parent ex passulis, & aqua pura ad solem excocta, passulæ enim vinum concentratum dicuntur, sive si vinum huiusmodi non placeat, vinum vetus a suis affinis, & amicis sibi procurent; vinum enim recens, qualecunque sit, stomacho semper insensum est, atque ubi vini veteris copia haberi possit, a novo abstinendum; *Nemo vinum vetus habens, statim vult novum*, aiebat *Servator noster* apud *Lucam*. Monere item soleo monasterii Rectricem, ut pro communi usu vina recentia, sed non multa aqua diluta percolari jubeat, sicque percolata in doliis ad usum reponat; vinum enim rite percolatum, ac a tartaro & facibus depuratum, id proprietatis habet, ut in doliis nunquam effervescat, ubi cætera vina ad mentes integros in doliis solent ebullire. Habent id etiam vina percolata, ut nunquam marceant, & pendula fiant, sed solum ob nimios æstus acelescant. Consultius tamen fore crediderim, tum pro Monialium valetudine, tum pro re Monasterii, si ii, quibus demandata est cura cellæ vinariæ, meraciore vina pararent, suo tempore pro æstivis mensibus, quæ postea limpha diluerent, cum iis uterentur, uti multis in locis fieri assolet; sic enim securius Moniales valerent, & Pharmacopœ monasterii peculatum minus exhaurirent. Scio equidem in quibusdam monasteriis, ad vina præservanda ne vappescant, alumen, ad portionem quandam pro qualibet vini mensura solere misceri, sed

sed cum vina hujusmodi vim adstringendi, & obstruendi possideant, pro bona valetudine commendare nequeo.

Quoad cetera alimenta, cum varia sint Monialium instituta, aliæ pisculentam vitam degant, aliæ carnibus utantur, & omnibus cibis, qui secularibus etiam in usum veniunt, cumque diversæ sint ætates, habitudines, temperamenta, non nisi generalia documenta possunt præscribi; in omnibus tamen tanquam regula Polycleti, primas tenebit justa moderatio. Iis quæ carnibus abstinent, ac solis piscibus, ac oleribus vescuntur, lubrica solet esse valetudo: *Inbecilliora cibaria brevem vitam habent*, scripsit *Hippocrates*, hoc est alimenta parum vitalia, & facile corruptibilia. Panem oportere ad pisces, & olera quadruplum esse, aiebat *Marcellus Ficinus* de Studioforum valetudine tuenda. Legumina omnia flatuosa sunt, & succos non nisi melancholicos præstant, qui bonæ valetudini ex sua natura adversi sunt. De leguminibus locus est apud *Hippocratem* in libro de ratione victus in acutis, ubi ait, omnia legumina esse flatuosa, cruda, elixa, frixa, non ita vero viridia. Rationem reddit *Martianus*, quare legumina macerata, & viridia sint minus noxia, quam sicca, cum vulgaris opinio sit legumina viridia peioris esse notæ, quam sicca, quia nempe ubicunque siccum prævalet humido, materia flatuum generatur, nequaquam vero ubi humidum prævalet sicco, quod in leguminibus viridibus, & maceratis contingit. Ut ergo minus lædant legumina, oportebit, ut quantum fieri possit sint macerata aquæ lixivialis beneficio. Solent ulterius præter flatulentiam, somnos valde turbulentos efficere, & aphrodisiacas ideas mente excitare, unde in adagium cecidit *Pythagoricum* illud, *A fabis abstineto*. Hanc ob causam *D. Hieronymus* Monachos suos corpora jejuniis castigantes, ut castimoniam fervarent, monebat ut quantum possent a leguminum esu abstinerent, ac oleribus potius uterentur; quod idem repetit

in Epistola ad *Furiam* de viduitate servanda, & in alia Epistola ad *Demetriadem* de servanda virginitate.

Si vero sint ex iis, quæ non tam severe disciplinæ se addixerint, sed carnibus utantur, laudantur primo vervecinæ, ut quæ facile perspirent, ex observatione *Sanctorii* nostri, in Lib. de stat. med. postmodum vitulinæ, & quas habemus ex gallinaceo genere, columbis, avibus montanis, si ipsis ex ære proprio suppetat commoditas. Carnes bubulæ, suillæ, leporinæ, coctu difficiles sunt & crassos succos generant. Mutinæ exstat monasterium insignis Virginum, quas *Salesianæ* a *D. Francisco de Sales* vocant, quod ex munificentia Serenissimæ *Ducissæ Lauræ* fuit fabricatum, & multis latifundiis dotatum, quæ Moniales nulla alia utuntur carne, quam vitulina, in hunc finem, ut quantum possunt bene valeant, & cum animi hilaritate Deo serviant. Bonum est autem Monialibus sanguinem spirituosum esse, & per sua vasa fluxilem semper quidem, ea præsertim ætate, qua talem esse oportet.

Non sum nescius institutis suis, & legibus obstrictas esse, ut frequentibus jejuniis corpora sua castigent, sed in hac re quoque locum habet celebre illud *ἡδὴν ἄρα*, hoc est, ne quid nimis; persæpe enim Monialium multæ, severioris disciplinæ studiosæ, se ipsas conficiunt, & in ipso juventæ flore sanguine & viribus exhaustæ, non solum valetudinaris, sed etiam morbosæ fiunt, atque morosæ cæteris Monialibus, & Medicis, a quibus prompta remedia exigunt. Hic referre lubet, quæ de Virginum jejuniis refert *D. Hieronymus* in laudata Epistola ad *Demetriadem*. *Sic debes jejunare, ut non palpites, & respirare vix possis, & comitum tuarum vel porteris, vel traharis manibus, sed ut fracto corporis appetita, nec in lectione, nec in psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias: Jejunium non perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est, & sanctificatio, atque pudicitia.* *Parcus*

aus cibo, venter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur.

Nihil porro est, quod bonam Monialium valetudinem magis infirmet, quam quod si eo beneficio gaudere non possint, quod ex somno justo & naturali obtinetur. Etenim cum Monialibus, ut plurimum mos sit, somnum in amplo, & longo conclavi, quod dormitorium vocant, capere, unaquæque in suo cubili, quamvis justum tempus illis ex monasterii instituto sit destinatum, nequeunt tamen per totum illud tempus somno indulgere; siquidem cum omnes simul eodem in loco conclusæ sint, ex iis aliæ tussiant, aliæ suspirent, aliæ altum stertant, aliæ somnient, & obloquantur, graves patiuntur interdum vigilias, & cum matutinis horis suavius dormiunt, ad sonum campanæ surgendum e lecto, & templum adeundum. Præter vigilias aliud quoque accedit incommodum, quod non admodum bonus odor iis in locis, ubi tot virgines simul dormiunt, persentiat, in quem si quis mane pedem immittat, nares sibi percelli sentiat, quod Moniales, licet assuetæ ingratum habent, qualem odorem vocant *dormiticio*. Hippocrates in libris epidemiorum somnum laudabat in frigore cooperto, in amplo scilicet conclavi, sed stragulis esse bene coopertum, ne somnus a frigore perturbetur, aer enim, qui per os inspiratur, purgator est, qua de re alibi diximus.

Longe placidiorem somnum capiunt hæc Moniales, quæ singulæ suam cellulam habent, hyeme præsertim, placidius enim dormiunt, & permissum illis tempus ad quietem implent, non ita vero æstate. Aliud quoque incommodum vitare non possunt, nimirum quin aerem inquinatum ab halitibus, qui jugiter a corpore exspirant, per os, nares resorbeant. Ad hujusmodi incommodum quantum licet vitandum, iis suavisor sum, ut dormitorii valvas, non solum æstate, sed etiam hyeme modice apertas relinquant, ad aerem recentandum, ut inter internum, & externum aliquod

sit commercium; si quæ vero sint, quæ sibi non satis noctu somnum captasse videantur, æstate præsertim, quo tempore breviores sunt noctes, somno diurno, ad aliquam horam supplendum ante cibum ex Celsi monitu. *Longis diebus meridiari potius ante cibum utile est, sin minus, post eum, hyeme potissimum totis noctibus conquiescere.*

At si non tam facile est sacris hisce Virginibus iis beneficiis gaudere, quæ præstat somnus, per facile quidem esset ea consequi, quæ laudabilis corporis exercitatio conferre posset. Si qualis sit Monialium vita, contemplemur, eam ut plurimum sedentariam esse deprehendemus, dum in suis ergasteriis inter artes minervæ delicatiores, vel acu pingendo, sive quid aliud simile efficiendo, sive in templis canendo, meditando majorem diei partem traducunt, atque hoc est, quod illas, nec diu, nec bene valere finit. At dicent ipsæ, canere & psallere exercitii genus esse, cui non erant assuetæ, cum propriis in domibus apud suos parentes degerent. Non negarim equidem, quin cantus & psalmodia inter exercitia locum habeant, sed dico hæc non sufficere, nisi totum corpus quoque convenienti motu exerceatur. Verum exercitium appellabat Plato, in quo motus sit in seipso & ex semetipso: Lectio sola & cantus pulmones exercent, non totum corpus. Urgebunt ipsæ, singulis diebus, matutinis horis, antemeridianis, vespertinis quoque etiam per noctem, toto corpore exerceri ad campanas in motum ciendas, quod non tam leve exercitii genus est, ut totum corpus non incalcescat, ac interdum sudore non diffluat. Hujusmodi exercitationem improbare non audeo, nisi totam viciniam cogerent ad multa mala illis imprecanda. Memini me non semel curasse juveneculas Moniales, gravissimis destillationibus detentas, cum media hyeme noctu etiam ad multas horas, in-

turris summitate, ad sonum campanæ totis viribus incumberent, ad aliquem diem festum prænunciandum, ac præsertim ubi aliqua puella sit velanda. Ego certe non satis admiror, quomodo cunctis Monialibus in omnibus fere civitatibus tam gratum sit hoc aurium tormentum. Non desunt alia exercitia, in quibus totum corpus, & singulæ partes corporis exerceantur, veluti manus, pedes, quale est opus textorium; at nullam textrinam in Monasteriis mihi unquam videre obtigit, si quid autem est, quod ab obstructionibus naturalium viscerum præservet, ac si adsint, eas facile expediat, maxima est ars texendi, ubi totum corpus in exercitio est, numquam certe robustiores & coloratiores solent esse mulieres, quam texitrices. *Mulierem fortem quis inveniet, quæ sivit linum, & lanam, & operata est consilio manuum suarum, sic ex Sacris Litteris habemus.* Olim quidem Virginibus Monialibus licebat identidem e suis monasteriis pedem efferre, nunquam tamen solis, ac ad solennes supplicationes per civitatem, ut solent alii religiosi cœtus, longo ordine procedere, quod iis sane non modico erat beneficio, ad justam corporis exercitationem; at quoniā *Bonifacio VIII.* P.M. satius visum est, eas esse suis in monasteriis conclusas, ut cœlo potius, quam mundo spectaculo essent, modo necesse est, ut aliis laboriosis operibus suppleant, nec quæ magis laboriosa sunt, servis suis, quas Conversas vocant, ac ut plurimum de rusticana gente, relinquāt, ne postea, ubi illas vident robustas, & bene coloratas, illarum felicitati invideant. In quibusdā civitatibus observavi, monasteria quædam esse, quæ servas non habeant, sed moniales omnes ejusdem esse sortis, quæ sibi quæ necessaria sunt procurent. Præstat igitur virgines vestales operosas esse, non solis manibus circa opera levidentis texturæ, sed toto corpore, si illis cordi est bona valetudo. Sic ea quæ a Medicis de excretis, & retentis passim dicuntur, a moderato corporis exerci-

tio, tanquam fructus a radice promanant, ubi enim ea quæ excernenda erant fuerint excreta, natura facilius retinet, quod ad corporis alimoniam est necessarium.

Si vero ad sanitatis tutelam adeo conferunt moderatæ corporis motiones, non minus quoque conferet compositos esse animi motus; tanta siquidem lege consortii sociantur anima & corpus, ut ad invicem bona, & mala sibi communicent. Quam graves turbas in humanis corporibus, ac præsertim in massa sanguinea excitent animi pathemata, veluti ira, timor, gaudium, aliæque passionibus, si modum excedant, satis olim ostendit doctissimus *Chambraeus* in libro, quæ de passionum characteribus inscripsit; ubi notas, & colores describit, quos quæque passio in ipso vultu depingit, unde quis possit conjicere, quam graves motus intus efficiant, in scemineo præsertim sexu. Non semel mihi observare obtigit, ob subitam animi passionem, in mulieribus, temporis fere momento, tantam ad interna contractionem fieri, ut ea supprimerentur, quæ in pleno erant fluore. Caveant ergo quantum possunt Sacre Virgines ab animi passionibus, ira præsertim, & quam propere anguem, ut dici solet, in ovo suffocent. Nolim tamen, ut apathiam sibi procurent, ut olim quidam *Philosophi*, hoc enim generosas Virgines dedecet, habent siquidem suum usum passionibus, si quis recte illis uti velit. Satis fit, si illas regere didicerint.

Animum rege, qui nisi servit

Imperat, hunc franis, hunc tu compe-
sce catena.

Quoniam vero quærere quis posset, num pro tuenda Monialium valetudine, satis sint sola præcepta, & recta vivendi ratio, an etiam in usum revocari possint remedia, responderem, quod cum sanitas multam habeat latitudinem, possint etiam suis temporibus ad præservationem usurpari medicamenta. *Quibus convenit vena sectio, vel purgatio, hos vere purgare, vel venam secare oportet, aiebat Hippocrates.*

Notanda est autem particula illa dis-
junctiva, non enim præcipit *Hippocra-
tes*, ut semper duo hæc magna remedia, ut
apud nonnullos mos est, in usum veniant,
qui piaculum putant venam secare, nisi
aliquod purgans fuerit præmissum; sunt
enim quædam, quibus convenit sola venæ
sectio, ubi nimirum plenior sit habitus, aliæ
quibus sola purgatio, cum ad cacochy-
miam vergunt, sunt etiam quibus utrum-
que convenit. Non solum autem vere, sed
etiam autumnino institui poterunt hujus-
modi remedia, ac præsertim purgationes,
ad ea errata corrigenda, quæ æstate com-
missa fuerint, in elu voluptuoso fructuum,

qui sub ora, & opora matureseunt.

• *Paucas hæc cautiones Medicas*, cum
alia permulta dici possent, Virginibus
Vestalibus lubuit proponere pro illarum
bona valetudine, ut alacrius persistant in eo
quod tam generose susceperunt instituto.
Grande mehercle est opus, duro cuique
martyrio comparandum, Virginem puel-
lam ad perpetuam castitatem custodiendā
voto se obstringere, nam uti eleganter *D.
Hieronymus*: *Contra naturam, imo ultra
naturam est, non exercere ad quod nata sit;
interficere in se radicem suam, & sola
Virginis poma decerpere.*



BERNARDINI RAMAZZINI¹⁴³

Medicinæ Professoris Primarii, &c.

D E

PRINCIPUM VALETUDINE TUENDA;

COMMENTATIO

SERENISSIMO PRINCIPI FRANCISCO ESTENSI

D I C A T A.

PRINCEPS SERENISSIME,



UM duobus ab hinc annis mihi Mutinæ cōmeranti datum fuerit, ut SERENISSIMÆ CELSITUDINI TUÆ humillima obsequia mea coram præstarem, atque ut eodem tempore generosam Tuam Indolem, quæ gloriofissimam, tam Pace, tam Bello; Avum Tuum FRANCISCUM PRIMUM plane refers, admirari possem, magna me incessit cupido, ut aliquo literario munere Nomini Tuo primus omnium litarem. Ægre quidem tuli, quod nihil paratum haberem, neque ob improperam valetudinem, quæ lateri meo comes individua hæret, quidquam tam cito moliri possem, quod Te dignum cense-rem. Hæsit tamen menti meæ votum istud, nec levi sollicitudine torqueri me sensi, quod argumentum non suppeteret quale optabam, quod nimirum non minus novitatis, quam utilitatis contineret, & Principibus ad Populorum regimen natis magis proprium esset, quam cæteris. Favet tandem votis meis Fortuna, dum enim libros meos, ut fieri solet, excuterem, occurrit

Tom. II.

liber Marsilii Ficini de Studioforum Sanitate tuenda, tum mihi sub manibus nasci visum est argumentum, quod querebam; hoc est ut Tractatum de Principum Valetudine tuenda conscriberem. Profecto si recte advertamus, nullius hominum generis magis lubrica est valetudo, quam Principum, ac eorum præcipue, apud quos summa est potestas, varias quidem ob causas, sed potissimum ob vitam minus sobriam traductam; illis enim inter delicias, & opiparas mensas enutritis, non tam facile est, uti privatis hominibus, eam vitam sobrietatem, ac tenorem servare, qui sanitatem cum longævitæ pollicetur. Quot servi pro piscatu, pro venatu, & peregrinis aucupis, quam ingens Coquorum turba dia noctuque insudet, ut cibaria elementa per omnia quæ sita coquat, atque inexplicabilibus mixturis condiat, ut mensæ regali pompa instructæ appareant, nemo non novit. Quis autem in tanta epularum varietate, elegantia, ac inter tot laguentis appetitus incitamenta; ac præcipue ubi magnus aliquis Princeps hospitio sit excipiendus, uti persæpe in Aula Estensi evenit, quæ omnium hospitalissima est, quis inquam sobrietatis

T

tam

nam severas sit castos, ut sibi temperet, ne de singulis aliquid delibet? Nō minus autem obstructionum nutricula est, ciborum in modica licet quantitate assumptorum diversitas, quam cibi simplicis saturatio; fieri enim nequit, ut edulia diversa non solum, sed contrariae indolis, in unam formam cocant, & ingentes turbas in stomacho non excitent. Hinc nihil frequentius, quam videre Principes, licet antea boni habitus, aut valetudinarios degere, aut praepropere, ob vitam nimis lautam, & minus quam par est exercitatio, succumbere; sic peculiare quosdam morbos in Aulis hospitium sibi delegisse intuemur, uti Colicam, Nephritidem, Podagram praecipue, cui volupe est auratis sub tectis, & in cubilibus purpura instratis molliter cabare. Habes quidem, **PRINCEPS SERENISSIME**, praec oculis magnum Temperantiae, & omnium Virtutum Exemplar, **SERENISSIMUM** scilicet **PARENTEM TUUM**, cujus Vita morum Censura est, ad quem, tanquam ad speculum TE componas, ex hoc tamen meo labore aliquot documenta accipere poteris, ut Valetudinem tuam sobrie degendo Tute possis regere. Non ideo tamen suasor tibi sum, ut tam arctis legibus TE addicas, uti olim Ludo-

vicius Cornarius Patritius Venetus; neque enim hac aetate nondum pubescente, corporis habitum, quo TE Natura instruxit, tam elegantem, ac decorum genio suo fraudare debes, nimis parce vivendo; neque enim TIBI grandiori facto, natoque ad publicum bonum, semper liceret capiundi tibi momenta eligere, satis sit, si mediocritatem quandam serves, ac praecipue illud Comici, Ne quid nimis, ne quid minus. Si cuti autem tua interest inculcata valetudine gaudere, quando non est vivere vita, sed valere, atque omnia mortalitatis nostrae stadia percurrere, ita quoque Subditorum plurimum interest Principem habere sanum, robustum usque ad ultimam senium, ut successorem profectionis aetatis relinquat. Meum hoc igitur, qualecunque munus, quod **CELSITUDINI TUAE** in obsequium sistere audeo, ea benignitate, qua Atestino generi propria, & gentilitia est, excipe, Teque novum Maecenatem, qualem omnes sperant, exhibe; sic enim meo exemplo in sinum tuum convolabunt Litterarum Opera Tuum Nomen auspiciantia; agetum ergo, ac eorum Principum, qui egregium & magnificum putant Scientiarum, bonarumque Artium Cultores favore prosequi, Ordinem.

Ingrederere, & Votis jam nunc assuesce vocari,

CELSITUDINIS TUAE SERENISSIMAE

Patavii Kal. Septemb. 1710.

Humillimus, Addictissimus, & Observantissimus Servus & Cultor

BERNARDINUS RAMAZZINI

LECTORI BENEVOLO

S.

QUam fortem apud medicos habiturus sit meus hic liber, ex ipso Bibliopola, cui illum imprimendum tradideram, cognovi; is enim cum alias propriis sumptibus mea scripta Typis tradere solet, modo se de hoc opere meo idem facturum pernegavit, causatus talem esse libri titulum, ut ad sui emptionem paucos possit allicere, cum Medici libentius libros de curandis morbis, quam de tuenda valetudine emere soleant, & perpauci sint, qui ad aulas Principum se unquam accersiri posse existiment. Quamvis facile ita eveniturum, uti prædixit Bibliopola, cognoscerem; volui tamen librum hunc meum prodire, & publici juris fieri, parum sollicitus, si non multos hujus operis lectores nactus fuero, memor nempe Horatiani illius carminis,

*... neque te ut miretur turba labores,
Contentus paucis lectoribus . . .*

Unica ratio scribendi mihi fuit, ut prodessem, non ut plausus emerem. Non semel conditionis Principum misertus sum, qui cum ex aliquo gravi morbo decumbunt, magis periclitantur, quam ceteri homines, dum a Medicorum multitudine, etiam si velint, cavere non possunt. Si quis enim Princeps graviter ægrotans, uni tantum Medico fidere se vellet, aula tota reclamaret, quin ipsemet Archiater Principem suum precibus fatigaret, ut quos haberet Civitas experientia elariores medicos, & externos quoque in subsidium sinceret accersiri. Rem igitur non inutilem, neque Principibus ingratam facturum me credidi, si in illorum gratiam tractatum conscriberem, ex quo ea commoda obtinerent, quæ pars Medicinæ, præservatrix dicta, pollicetur, ne tam crebro curatricis molestias cogantur experiri. Tu interim, qui mea hæc legere non gravaberis, si quid boni inerit, illis frui; & Vale.

D E

PRINCIPUM VALETUDINE

TUENDA,

C O M M E N T A T I O.

C A P U T P R I M U M.

*Ad publicam felicitatem plurimum conferre bonam Principis Valetudinem;
ideoque peculiari diligentia custodiendam.*

SI inter ea, quæ in hac humana societate, ad publicum bonum sunt instituta, maxime optabile est bonum Principem habere, non minus quoque votis expetere licebit, eundem bona, & inculcata valetudine, cum vitæ longævitate gaudere; quemadmodum enim (si tamen interdum licet magnis par-

va componere) dum Paterfamilias, qui in propria domo Princeps, & Dominus est, recte valeat, ut rebus suis vacare possit, rei domesticæ negotium rite procedit, & census augetur, ast ubi adversa valetudine premitur, œconomica administratio pessum it, ac patrimonium licet amplum fuerit, paulatim ad tenuitatem redigitur, ita prorsus si bonus Princeps secunda fruatur valetudine, subditi in officio perstant, & politicum regimen imperturbatum servatur, si vero lubrica, & instans fuerit Principis valetudo, diu stare non poterit publica felicitas, perdit enim homines novarum rerum cupidi, hinc an- sam captare solent, publicam quietem seditionibus, & bellis civilibus evertendi; quale infortunium olim experta est *Gal- lia* sub *Carolo IX.* qui ob vitam valetudinariam, cui erat addictus, magnis calamitatibus floridissimum Regnum suum afflictum, & convulsam adspicere coactus est. Sic *Reutam Scotorum Regem VII.* variis morbis conflictatum, ac semper lecto affixum, cum a nepote regnandi cupido periculum aliquod sibi impedire agnosceret, a Regno se abdicasse, ex historiarum monumentis habemus. Non deessent exempla, quibus ostendi posset, cum statu Principis valetudinario, publicam felicitatem constare non posse, cum ætas quælibet casus huiusmodi habeat, verum res ipsa loquitur, quando non solum in politicis, sed physicis rebus, idem prorsus evenire, facile poterit cognosci. Laboraret, uti non raro fit, corporis nostri pars aliqua princeps, uti cor, aut cerebrum, affectu aliquo licet non gravi, naturalem totius corporis œconomiam aliqua ex parte ledi necesse est. Si imbecillis stomachus sit, nec rite ingestos cibos concoquat, singulæ partes totius corporis noxam persentiscunt, si vero firmus, & robustus sit, universum corpus robur, & firmitudinem suam retinet. Recte propterea in hanc rem *Q. Serenus* antiquus scriptor, qui de re Medica carminibus eleganter scripsit,

de stomacho hos habet versus:

Qui stomachum Regem totius corporis esse

Contendunt, vera niti ratione videntur,

Hujus enim validus firmat tenor omnia membra.

At si hoc in nostris corporibus evenire observamus, non est quod miremur, si in civili corpore idem quoque aliquando eveniat; adeo refert, eum qui cæteris præsit, recte valere, quam ob causam *Plato* in libro de Republica, *Socratem* induxit ex *Æsculapii* instituto vetantem, ne qui ex natura sua valetudinarii essent, ad publica negotia administranda accederent. Cum itaque satis constet, languente Principe; languere quoque leges, & publicam felicitatem, magna commendatione digna est Ecclesiæ consuetudo; Summum rerum omnium Rectorem pro Christianorum Principum incolumitate, in sacris solemnibus deprecandi, & publica vota quoque suscipiendi, si eisdem graviter ex aliquo morbo decumbere contingat. Id ipsum quoque agere Ethnici pro more habuere. Sic *Magno Pompejo* in Campania febre laborante, totam *Italiam* pro illius salute suis numinibus sacrificia instituisse legimus. Admiratione quoque olim fuit Populi Romani pietas erga *Germanicum*, quem a *Tiberio* adoptatum, pro successore habiturum sperabant; cum enim illum *Antiochia* ex gravi morbo periclitari nuntiatum esset, ac propterea tota Civitas in magno luctu, & mœrore versaretur, evulgata fama convulisse *Germanicum*, ut in ejusmodi gaudium effusus est Populus, ut per Urbem conclamaret: *Salva Roma, Salva Patria, Salvus est Germanicus, & in Capitolium cum luminibus, & victimis plebs concurreret, convulsis Templi foribus, ne (ut tradit Scriptor) gestientes vota reddere morarentur.* Verum certo nuncio paulo post accepto mortuum *Germanicum*, pietas in furorem conversa est.

lapidata enim fuere templa, subversa aræ, lares quibusdam familiares in publicum abjecti. Tanti erat apud ipsos *Germanici* vita, & valetudo, spe concepta publicæ felicitatis, ob egregias animi virtutes, quæ in illo præcellebant, si post *Tiberii* excessum Imperii habenas aliquando suscepisset.

Cum ergo ad populorum prosperitatem magnum habeat momentum prospera Principis valetudo, æquum sane est, ut magna illius habeatur cura, & studium; munus autem hujusmodi nonnisi medicæ artis esse poterit, cui ad bene merendum de humano genere semper intentæ satis esse non debuit regulas, & præcepta in universum tradidisse pro tuenda hominum valetudine, juxta ætatem, temporum, & locorum naturam, quam spartam exornavit *Galenus* libris sex de Sanitate tuenda editis, quem postea multi alii Scriptores sunt imitati, nisi etiam quarundam per-

sonarum, quæ ad publicum bonum videntur natæ, incolumitati studeret prospicere. Sic *Marsilius Ficinus* vir celeberrimus elegantissimum Libellum, de *Studioforum Sanitate tuenda* conscripsit, cujus exemplo postea *Fortunatus Plempius* in Lovaniensi Universitate professor egregius Opus elegantissimum edidit de *Togatorum Valetudine servanda*. At si literarum studiosos,

Qui Juris nodos, legumque ænigmata solvant,

bene valere optabile est, ac si ob utilitatem, quam humanæ Reipublicæ præstant, digni fuere habiti, ut in sui gratiam peculiare tractatus a doctissimis viris conscriberentur, eo magis Principes Legum Custodes, & publicæ felicitatis Columnæ, ab arte medicâ obsequium istud, seu tributum videntur exigere, ut pro illorum valetudine, quantum licet tutanda, particularem curam, & operam impendat.

C A P U T II.

Qualis debeat esse Medicus, cui vere Archiatri nomen conveniat, quidve in Principis persona desideretur.

SI Principibus magno decori, & laudi Aulam habere clarioribus viris, quos in diverso facultatum genere fama commendat, potius quam statuis, & imaginibus ornata, & instructa, veluti *Jurisperitis, Philosophis, Mathematicis, Historicis, Poetis*, aliisque literarum cultoribus, iisdem non solum decorum erit, sed necessarium habere Medicos, fama, doctrina, & experientia celebriores, quorum opera, tum in secunda, tum in adversa valetudine utantur. Habuere sane priscis temporibus Reges, & Imperatores magni nominis, & auctoritatis Medicos, uti *Alexander Magnus Philippum Acarnum, Caesar Augustus Antonium Musam*, & sic deinceps alii Cæsares, & Reges, barbaris quibusdam seculis exceptis; non habent tamen nostrorum temporum Principes,

quod hac in re invideant Principum præscæ ætatis fortunæ, unico enim seculo adeo exulta est ars medica, tum in Theoricis, tum Practicis, ut si ipsis Medicinæ parentibus daretur reviviscere, non parum admirarentur, quomodo ars ista tam longo seculorum fluxu, quasi iners, & otiosa steterit, ac postea tam brevi tempore summum fere gloriæ apicem visa fuerit attigisse. Quamvis igitur Medicorum præstantis doctrinæ, & experientiæ suppetat copia, pro determinando tamen Archiatro aliquo, opus est delectu; oportet enim in eo Medico, qui in Aula bene mereri, & dignitatem suam integram servare velit, prærogativas quasdam eminere, quas non tam facile sit in cæteris reperire.

Ad Archiatri munus itaque rite ob-
eundum, idonei esse non possunt, qui
Me.

Medicinæ Elementis, primoribus labris, ut dici solet, delibatis, laurea donati, in Pagos, & Oppida concedunt, ibique ad aliquot annos, alienis periculis praxim aliquam medendi addiscant, mox in aliqua populosa Urbe Clinicam exercent, donec apud doctos, & indoctos boni practici nomen sibi comparent. Hujusce enim ordinis Medici in Theoricis semper hospites esse consueverunt, novarum rerum, quæ in medica facultate jugiter eveniunt, prorsus ignari, nec alios Scriptores versant, quam qui de re pharmaceutica tractant, ut magnam remediorum supellectilem promptam, & in numero, ut dici solet, habeant. Medicum vero, qui Principum valetudini præesse debet, necesse est, ut in loco Studiis apto, hoc est in aliqua celebri Universitate, cursus suos tum in Philosophia, tum in Medicina ex assè absolverit, ac antequam medicæ praxi se devoteat, in Musæo docti, & eruditi alicujus Medici, Scriptores tum veteres, tum novos evolvat, ac norit quos Auctores legere debeat, quos omittere, ne tempus inutiliter conterat, atque hoc pacto sese instruat, ut solent juvenes Doctores in Jure creati, qui in Jurisconsultorum Bibliothecis versandis libris operam impendunt, antequam ad Forum pro agendis causis accedant. Ad erudiendum Medicum, ut dignus sit, qui sive in publicis Lyceis professorium munus exercent, sive in Aulis Principum Archiatri dignitatem rite sustineat, non parum confert in juvenili ætate peregrinatio, non tam curiositate quadam varias Provincias, & Regna invivendi, atque hominum mores observandi, quam ut peregrinando, doctiores, & celebriores Medicos cujuscumque loci conveniat, & alloquatur, ut ab iis varium medendi modum, & quæ usitatiora in morbis apud ipsos sunt remedia, accipiat, sicque variis mercibus onustus Patriam repetat. Mirum est, quantum prudentiæ, quæ in Medico primum expetitur, ac in eo præsertim qui Archiatri dignitate hæpi

decoratus, sibi comparare possit, is, qui peregrinationem hujusmodi suscipiat, sic Ulysses, qui mores hominum multorum vidit, & Urbes, prudentis titulum sibi adscivisse dicitur. Mos hujusmodi nunquam satis laudandus, Germanis valde familiaris est, qui postquam ab Academiis dimissi fuerint, prius quam Medicæ Praxi serio se dedant, varias peregrinationes, ac præsertim per Italiam nostram capeffunt, ut quos in re medica, vel fama, vel scripta commendent, invisant, ex quibus documenta aliqua, quæ artis sint decerpant. Exstat in hanc rem elegantissimus Libellus *Thomæ Bartholini*, quem ad *Gasparum filium*, dum Italiam peragraret, de Medica peregrinatione conscripsit, in quo illum admonet, quomodo gerere se debeat, quæ Lycea, quas Urbes adire, quos Medicos salutare, aliosque etiam in omni Scientiarum genere Eruditos viros extra medicam facultatem, quos inter celeberrimum *D. Antonium Maliabequium* Hetruriæ decus recenset. Qui ergo talia fundamenta jecerit, ac postea medicæ Praxi in urbe aliqua populosa, ubi periti exstent Medici, practicæ medicinali ad aliquot annos sedulâ impendat operam, supra vulgarium Medicorum sortem assurgat, ut aliquando ad Principis Aulam possit accersiri. Singularis itaque doctrina requiritur in Medico, qui vere aptus sit ad regendam Principis sui bonâ valetudinem, non minor enim virtus est, sanitatem ab iis, quæ clanculum, vel aperte, e statu suo illam avertere possunt, fartam tectam tueri, quam eandem amissam restaurare, sicuti non minor militaris disciplinæ peritia in eo exigitur, qui prudentia, ac attentione arcem ab hostilibus insidiis norit servare, quam in eo, qui ab hostibus captam valeat redimere. Si vero præter recensitas dotes alia accedant ornamenta, ut in Geometricis, Astronomicis, & Physica experimentalibus, lucro apponendum; nam si non meliorem Medicum, doctiorem tamen, & Principi gratiorem facient. Summatim quanti

momenti sit, Principis valetudinem Medico magni nominis, & experientia claro demandatam esse, Leges ipsæ satis ostendunt, nam in Codice l. 10. Tit. de Profess. & Med. Lib. 10. cavebatur, ne quis in Archiatrum eligeretur, nisi communi meliorum iudicio fuisset comprobatus, optimo sane consilio, ne vulgares Medici per ambitum, malis artibus, Archiatri locum occuparēt.

In Medico Fortunæ favorem desiderari volunt nonnulli, eoque magis in iis, qui Principibus suis operam præstare debeant, quam vulgi opinionem fovent populares quidam Medici, qui doctioribus, & magis eruditis notam hanc appingunt, ac ut pro more habet pessimum laudantium genus, peritiam commendant, & extollunt, sed quæ Fortunam comitem non habeat; quæ in re ignorantiam suam, & malignitatem producit, satis enim fortunatus est, qui prudens est, & ex artis præceptis operatur. Cæcæ hanc vulgi persuasionem rident viri omnes docti, ac præsertim Vir doctissimus Joannes Crato trium Imperatorum Medicus, qui in Epistola sua nuncupatoria hæc habet verba. Fateamur, inquit ille, cum Hippocrate rem se habere, ut hi soli fortunate facere videantur, qui sciunt, & contra infortunate qui ignorant. Fortuna enim uti, est recte facere, hoc vero qui sciunt faciunt. Non uti Fortuna, neque assequi hoc quod velis, est id facere, minimeque recte quod facis. Inscius vero atque indoctus quomodo quæso fortunate aliquid ad finem perducet? Qui igitur curationes suas fortunatas esse capiunt, ii Artem sequantur necesse est, & successus a Deo petant. Hæc Crato: Si quis tamen in hoc negotio, quod ægrum, & Medicum intercedit, Fortunæ locum aliquem concedendum velit, illum potius penes ægrum, quam Medicum reperiri crediderim; æger enim vere fortunatus est, qui peritum Artificem inciderit, non secus quam qui mari committere se velit, peritum Nautam nactus fuerit; mirum est enim quomodo qui navigaturus

est, latagat peritum Nautam, quam fortunatum reperire, qui autem æger decumbat, credere se velit Medico, quem vulgus fortunatum potius, quam peritum deprædicet.

Atque hæc quidem sunt, quæ in Medico desiderantur, ad Principum valetudinem regendam apto; quædam tamen sunt etiam, quæ in Principis persona desiderabilia sunt, si ab eo, quem in suum Archiatrum accivit, & cuius fidei, ac prudentiæ se concredidit, velit assequi, quod maxime optandum est, sanitatis scilicet tutelam. Necesse itaque est, ut Princeps facilem se præstet, & aures patienter commodet monitis, quæ subinde pro re nata suggerit Medicus. Labet hic ex formula satis proluxa, qua *Gothorum Reges*, ut ex *Cassiodoro* Varia. Lib. 6. postquam in Italia rerum potiti, barbari exuere cœperunt, Archiatros suos creare consueverunt, pauca verba referre. *Indulge te palatio nostro, habeto fiduciam ingrediendi, quæ magnis solent pretiis comparari, nam licet alii subjecto jure serviant, tu rerum domino studio præstanti observa; fas tibi nos fatigare jejuniis, contra nostrum sentire desiderium, & in locum beneficii dictare, quod nos ad gaudia salutis excruciet, talem tibi denique licentiam nostri esse cognoscis, qualem nos habere non probamur in ceteros.* En quantum auctoritatis olim Reges Medicis suis largiebantur, sanitatis suæ solliciti: hinc discant nostrorum temporum Principes, quales gerere se debeant cum Medicis, quos non ut mancipia considerare debent, sed, ut ita dicam, tanquam familiares, seponant enim oportet aliquid de sua gravitate, si quotidianis fere colloquiis cum iis agere debeant in secunda valetudine, ne postea cogantur in adversa duris illorum præceptis intempestive obsequi. Si enim Medicus ad Principem non facilem habeat accessum, ac in illo comitatu aliquam non reperiat, nec ausit hiscere, nisi cum ab illo de re aliqua fuerit quaesitus, quamvis quædam observet, de

quibus illum admonere debeat, nihil audebit proferre, ac illa in sinu suo tacitus recondet. Mirum est autem, quantum animi ad id quod Artis est rite peragendum suscipiat, & notas quascumque tum bonas, tum malas observandas, si norit sibi licere aperte loqui, & monita sua uti salubria benigne excipi, non solum in adversa, sed firmiori valetudine. Non vulgari tamen prudentia illi opus est, ac præcipue cavere debet, ne dum a Principe in æstimatione haberi se videt, ac magna liberalitate tractari, eo deveniat, ut illi se credat necessarium, qualem *Philippus de Comines* refert fuisse *Jacobum de Gotties Ludovici XI.* Galliarum Regis Archiatrum, qui suo Regi, quem mortis pavidissimum esse noverat, non solum se necessarium credidit, sed aperte illi protestabatur, quod si unquam ab Aula fuisset dimissus, de illius salute actum esse, ideo ut Scriptor tradit, verbis asperrimis Regem suum solitum increpare, non secus ac servum suum, & quo majorem liberalitatem experiretur, dum quolibet mense decem millibus aureorum donaretur, eo fuisse duriores, & tyrannidem quandam in Dominum exercuisse, illi enim persuaserat, ut sine opera sua, nec otidium quidem posset vivere. *Liberalitas servum fidelem facit*, ait Comicus, aliquando tamen etiam petulantem reddit, & fortis suæ nunquam contentum. Elegans sane est illud dictum, quo *Antigonus Rex*, ut ex *Plutarcho* in *Apopthegmatibus* legitur, Medici sui avaritiam suggillavit, cum enim in prælio vulnus Rex suscepisset, fracta clavicula, ac Medicus, dum vulneri mederetur, quotidie munus exposceret, ac a Regia liberalitate referret, tandem Rex ad illum conversus, *pete ait, quod vis, dum clavim habes*. Multum equidem hujusce generis Medici, de sua auctoritate & æstimatione sibi detrahunt, nimis crebro a Principe suo munera, & beneficia exposcendo, præter enim, quod naturam suam divitiis inhiantem produnt, fortunæ suæ non raro damno sunt, nam plura for-

san acciperent, si Regiam liberalitatem non frustrarentur; apte quidem in hanc rem *Horatius*:

Coram Rege suo de paupertate tacentes

Plus poscente ferent, distat sumas ne pudenter,

An rapias

Medicus itaque ad merendum in Aula; tanquam in castris destinatus, sciat oportet, duplex sibi munus incumbere, unum, quod Principi suo, quotiescumque ex aliquo morbo decumbat, sedulam præstet operam, ut illum promptis remediis sanitati restituat, alterum, quod dum Princeps bona fruitur valetudine, illius custodiæ maxime invigilet, quod in cæteris Medicis non ita usu venit; qui ubi ægris curandis operam locarint, ac illos e morbo exemerint, paucis quibusdam documentis relictis pro redintegranda valetudine, sostro accepto abeant, qui vero Archiatri ministerio est auctoratus, & quotidie ad Principem salutandum, & solita obsequia præstanda pergere tenetur, attente observare debet, qualis sit in Principe valetudinis status, licet integræ, quod ex adspectu, voce, & hilaritate coniciet, ac unam diem cum alia conferre, quandoquidem sanitas multam habet latitudinem, ac ut ajunt Philosophi, suscipit magis, & minus, ut observare possit, num in eodem statu perstet, num crescat, an decreseat: sicuti enim creditur culpa vacare Medicus, si prædixerit, qualis sit futurus morbi eventus, bonus, vel malus, ita non solum culpa vacabit, sed laudem promerebitur, si prævideat, ac præmoneat, valetudinem in lubrico esse, & ad statum morbosum sensim vergere. Quoniam autem hic tantum agitur de Principum sanitate tuenda, Archiatri præcipuum munus erit, corporis habitum in Principe suo diligenter observare, num firmus sit, num ex natura sua, & a primordiis robustus, an imbecillis sit, qualis ejusdem structura, num densa, an rara; quale illius temperamentum, quan-

tum accedat, vel recedat a medio illo, ac optimo, quod tanquam *Polycleti* regulam fingunt Medici, quæ sit ad actiones promptitudo, quibus animi motibus sit magis obnoxius. Non exigui quoque momenti erit perspectum habere, num a Parentibus fanis, ac robustis ortum duxerit, & num Avi, & Atavi gentilitiis quibusdam morbis laborarint, quales morbi ad integra secula interdum delitescunt, ac postea veluti per traducem in nepotibus post longum tempus regerminant,

Multa Pater, Materque valent insundere Natis:

Transit & in seri jura Nepotis Avus. Omnia hæc itaque attente animadvertere expedit, curanti enim Medico lucem non exiguam fœnerabunt ad sanitatem in statu naturali servandam, & ea prævidenda, & antevertenda, quæ eandem labefactare, five e statu naturali possint evertere. Plurimum autem interest Medici totis viribus incumbere ad Principis sui sospitatem custodiendam, nisi experiri velit, quantum curarum, & sollicitudinis sibi sit subeundum, si contingat eundem habere in lecto decumbentem, vel ex aliquo acuto morbo periclitantem, five ex chronica ægritudine, uti inter torturas podagricæ, seu nephriticæ passionis, gementem & ejulantem, ut Medico necesse sit assiduas querimonias, de artis Medicæ inanitate, ac interdum etiam non bona verba audire.

Principis itaque si illi cordi est sanitas, qua cuique homini nihil est pretiosius, erit, ut monitori suo identidem auscultet, ac illi non minus in præservatrice, quam in curatrice fidem adhibere velit. Si enim bona valetudo miserrimo cuique adeo cara est, uti videmus, quanto carior debet esse Principi, supra tot Populos posito, ac inter bonorum omnium affluentiam degenti, venerationem, & obsequia, tanquam Numini omnes præstant, ut illi præter sanitatem nil aliud sit optandum. Nullicerte mortalium, quam Principi quadrat, id quod *Pindarus* in Olympiis, sanitatem laudans cecinit, eum scilicet, qui sanus extremum senium pertingat fama illustris, & divitiis affluens, nequaquam sollicitum esse debere, ut sit Deus,

ὅσιν φάρμι παρισταμένων ὕγινα δ' ἔστι
ἐλβον

ἄρδεις, ἑξαρκέων κτεάτεσσιν καὶ
εὐλογίαν προσιδείς, μὴ μάρτυ
ση γένος γενέσθαι.

Græcos versus hic lubet apponere, quos *Aloysius Adimarus* Poeta Florentinus percelebris eleganter Tusca Poesi sic expressit:

Che quel che sano i giorni estremi vede,

E con ricchezze onestamente riede

Cinto di fama a saettar l'oblio,

Non brami più, nè cerchi esser un Dio.

C A P U T III.

Aeris naturam, & supra viventium corpora potestatem, nulli ætati magis innotuisse, quam nostræ, rectum propterea illius regimen pro Sanitatis tutela instituendum.

EA est hominis conditio, ut postquam ab aquis uteri emerferit, novem mensium spatio enhydrobius, ac semel tantum aerem in quo degimus hauserit, illius usu postea toto vitæ tempore carere non possit, tantæ scilicet est necessitatis inspiratio- nis & expirationis reciprocatio, ut sine

alimento ad aliquot dies vita protrahi possit, sine aere vero non nisi ad pauca momenta vita subsistat. De aeris natura, & admirandis illius proprietatibus, pauca habemus a veteribus Philosophis, lōge plura, & oculata fide certiora a rerum naturalium scrutatoribus habet hæc ætas nostra. Quam

contractilis, & distrahilis sit aer, palam facit *Machina Boyliana*, ubi aer tanquam in carcere conclusus, per quandam veluti torturam cogitur fateri, qualis revera ille sit, quod idem pariter demonstrat *Sclopus Pneumaticus*, in quo aer compressus, magna vi, & magno cum strepitu erumpit, ut Pyrii pulveris vim exæquet. Ad explorandas aeris proprietates varias, & alterationes, reperta sunt multa instrumenta, uti *Thermometri*, *Barometri*, *Hygrometri*, *Anemometri* ac postremo a clarissimo *Viro Christiano Wolffio* edita est *Aerometria*, opus sane elegantissimum, in quo ea, quæ de aere desiderari possunt, uberrime continetur. Ut autem ad propositionem meam accedam, quid ad corporum sanitatem aer conferat, videamus; aeris, qui nos circumambit præcipuus usus a Medicis creditus est, ut per inspirationem, æstuantem in præcordiis sanguinem temperaret, qua Opione valere iussa, pro certo habetur, aerem particulis nitrosis saturatum, pulmonum ministerio folium adinstar, vestalem ignem in sanguinis massa hospitantem acuere potius, quam sufflaminare. Fermentationis quoque, in nostris corporibus, & in omnibus fluidis substantiis, aerem principium, & auctorem esse, experimentis comprobari potest; si tempore vindemiæ mustum ab uva recens expressum, in phiala vitrea conditum, ac orificio spumante concluso, ne quidquam aeris subire possit, post plures menses idem mustum cum eodem sapore reperitur; mirum itaque non est, si supra nostra corpora tantum potestatis habeat aer nobis incumbens, dum per os viscerum penetrabilia subit, & sanguini remiscetur, ac dum exterius per cutis poros in venas irrepit. Recte propterea Hippocrates in libro de flatibus, aerem eorum, quæ corporibus nostris accidunt, auctorem & dominum appellavit. Profecto si alterationes, quas in humanis corporibus aer valet efficere, conferamus cum iis, quas alimenta, & aliæ res non naturales possunt inferre, longe plures, & fortiores sunt hæc, quæ ab aere nobis proveniunt, quam quæ a cæteris rebus; aer enim

intus, & in cute continuo nos afficit.

Cum modo frigoribus premimur, modo solvimur æstu,

Aere non certo, corpora languor habet.

Cautum itaque hac in re esse oportet Archiatrum, cui Principis sui valetudo demandata est; idcirco diligenter debet advertere Domini sui temperamentum qualecumque sit, cum sanitas in qualibet temperatura, nisi a mediocritate enormiter excedat, possit subsistere, ut illius aeris in quo Princeps ut plurimum degit, temperamentum accommodetur, ac illud foveat. Laudatur equidem ab omnibus aer sincerior; utpote qui aptus sit ad sanguinis fermentationem, & circulum promovendum, ac spiritus vegetiores generandos. Aliquando tamen evenit, ut quidam ratione sui temperamenti feliciter degant in aere crassiori, quam tenuiori, ideoque interdum necesse sit valetudinarios, e locis ubi aer est salubris, & nitidus, ad loca ubi aer est nebulosus, & crassus transmigrare, *peffimum enim est cælum, quod agrum facit*, ut ait *Celsus*, & optimum dici potest, quod sanum reddit. Sicuti enim *naturarum aliæ quidem ad hyemem, aliæ vero ad æstatem bene maleve se habent*, ita pariter de naturis hominum licet dicere, quod aliæ ad aerem crassum, aliæ ad tenuem bene maleve se habent. Solent propterea Principes variis in locis habere palatia in oppidis suæ ditionis, modo in campestri loco, modo in sublimi, ad quæ se conferant juxta varia, ac diversa anni tempora, & prout expediat sanitatem ad meliorem statum redigere. Quare Romani Pontifices duo in Urbe habent magna palatia, *Quirinale*, & *Vaticanium*, quæ pro sitis diversitate, diversam habent aeris temperiem, sic in Vaticano pro more habent hyemare, in Quirinalli æstatem traducere. Observare mihi contigit, quod ut plurimum, præsertim in Italia nostra, Principum palatia posita sint in locis Civitatis minus salubribus longe a foro, & Populi frequentia, quod factum crediderim, quia, qui primi illa posuere, ad voluptatem potius, & commo-

ditatem, propter situs, & hortorum ampli-
tudinem, quam ad salubritatem animum
intenderint. Prope Urbium pomœria, &
fossas, in quas omnes sordes confluunt, æ-
rem nebulosum esse satis constat, ideoque
morbis magis obnoxios esse cives inibi
habitantes, prohibita insensibili transpira-
tione, quæ a nulla re magis læditur, quam
ab aere impuris halitibus saturato, uti in
sua statica *Sanctorius* demonstrat; aer enim
circumambiens, cutis, & glandularum po-
ros obstruit, per inspirationem vero, sangui-
nis, & viscerum crasim labefactat. Ob-
servatione dignus est locus *Hippocratis*
in primo Epidemiorum in Historia *Phili-
sci*. *Philiscus*, ait ille, *habitabat prope
murum, & decubuit, prima die febris acu-
ta, &c.* In hunc locum egregie *Mercuria-
lis* in hujusce Historiæ interpretatione ci-
tat, *Hippocratem* non fortuito apposuisse
locum, ubi æger decumbebat, ut Medici
attentiores sint ad curandos eos, qui in hu-
jusmodi locis habitent, tanquam ex mali-
gnioribus febribus corripiti soliti. Hoc
idem repetit *Hippocrates* in historia octa-
va Erasini. *Erasinum*, qui habitabat ad
Boetæ torrentem, febris magna corripuit
post cœnam, &c. Annis ab hinc quinque,
mihi Mutinæ per æstatem, & autumnum
commoranti observare contigit constitu-
tionem epidemicam malignarum febrium,
de genere tertianarum intermittentium,
quæ multos, qui circa murorum ambitum
domos habebant, sustulerunt, nullo fere ex
iis, qui in partibus Civitatis interioribus
domicilia haberent, hujusmodi febribus
laborante. Magni momenti igitur est de-
gere in aere puriori, & a nebulis remoto,
ut sanitas felicior habeatur, in aere enim
puro, & minus de terrena facie participan-
te, insensibilis transpiratus, ad sanitatem
adeo necessarius facilius est, quam in aere
crassiori, & nebuloso, qui adiapneustiam
comitem habet, ubi purus, & serenus libe-
riorem facit perspiratum, & promptiora
ad omnes functiones corpora. Solent Prin-
cipes non procul a suis palatiis habere

Hippodromos, & Equilia ædium ad instar
magnifice constructa, in quibus longo or-
dine centenos equos generosæ indolis be-
ne cultos, & pexos videre est, tali pompa,
& luxu, ut hinc metiri liceat, qualis sit
Principis magnificentia, quale fuit olim
Regis Latini stabulum, quod descripsit
Virgilius, ubi equi

*Stabant tercentum nitidi in præsepi-
bus altis.*

ex equino itaque stercore, ac stramentis;
solent stabularii montes fimi ingentes acer-
vare, non procul a stabulis, qui inibi ad
menses relictæ, ubi putrescere incipiunt,
cum postea extra Urbem exportantur, ta-
lem mephitim expirant, ut aulam non so-
lum, sed viciniam totam inficiant; consul-
tius itaque esset, quotidie purgamenta hu-
jusmodi alio deferre, quam finire, ut idem
camarina illa commota inquinetur
aer, & memorata incômoda subsequantur.

Paradoxum alicui hoc videbitur, si ad
judicium Barometri recurramus, quod
serenus aer flante Borea magis premit,
quam pluviosus, & australis, qua in re hal-
lucinatus est *Borellus*, in libro de motibus
naturalibus a gravitate pendentibus, qui
vi ratiocinii potius, quàm experientiæ cre-
didit aere pluvioso altius attolli mercuri-
um in fistula, deprimi vero restituta se-
renitate, quale problema multorum exer-
cuit ingenia, ut hujus phænomeni vera ha-
beatur ratio, qua de re mihi cum *D. Sche-
hamero* Professore Kilonienti fuit contro-
versia; pro cuius Problematis solutione
Epistolam hoc æno edidi ad celeberrimum
Virum *D. Lucam Schrackium*, A.
N.C. Præsidentem conscriptam; aerem itaque
nebulosum, & australem, perspiratum di-
minuere crediderim, non tam quod cutis
poros infarciat, quam quod atmosphæra,
utpote levior minus premit, tum intus,
tum in cute, sicquæ laxentur fibræ corpo-
ris, ubi sereno aere, & spirante Borea, at-
mosphæra magis premit, & in officio con-
tinet fibras, quæ suo nixu promovent san-
guinis circuitum, qui ad facilem transpi-

tatum magnum habet momentum suo appulsu; sic ratio reddi potest, cur *Austri caput gravent, surditatem, ac languorem inducant, caliginem visui offundant*, ut ex *Hippocrate*, quia minor est atmosphaerae pressio, & consequenter fibrarum laxitas, segnior sanguinis per sua varia fluxus, ac difficilior perspiratus, quæ mala tolluntur, si gravior fiat atmosphaera, subsequente aeris serenitate. Quanta sit necessitatis non solum ad valetudinem tuendam, sed & vitam sustentandam, iusta & moderata aeris pressio, satis demonstrat machina pneumatica, in qua extracto aere animalia moriuntur, & liquida quæque in tumorem attolluntur. Hanc ob causam in editissimis montibus, ubi minor est aeris pressio, propter brevioris aeris columnam incumbentem, difficilior est respiratio inflatis pulmonum vesiculis.

Recte sane illud *to thion Hippocratis* adeo celebre, ad aerem referendum quidam interpretes volunt, divini enim aliquid, & nobis ignoti illi inest, ut quavis circa illius naturam expendendam tot Philosophi laborarint, adhuc tamen supersit quod illorum ingenia exerceat. Cautum itaque in hac re, & observatorem esse oportet Medicum, cui Principis valetudinis tuendæ cura incumbit, ut quantum licet aeris naturam, in quo ille ut plurimum degit, exploratam habeat, eamque temperamento accommodet, & qualis corporis sit structura, densa, vel rara, ut conveniens sit transpiratus, diligenter observet, cujus utilitatem primus omnium annotavit *Hippocrates* in libro de alimento, hisce verbis. *Qui probe perspirant, debiliores, & saniores sunt, & a morbis facile reconvalescent. Qui male perspirant, priusquam agrotent fortiores sunt, ubi autem agrotarint, difficilior a morbis reconvalescent.* Observatione profecto digna sunt *Hippocratis* verba, cum ait, eos, qui bono perspiratu gaudent, saniores esse, sed debiliores; & ratio est, quia in facili transpiratu e glandulis per ductus excretorios in cutem hiantes,

non solum superfluitates tertiæ coctionis, sed etiam particulae alimentares una exhalant, & idcirco debiliores sunt, quam qui minus probe perspirant, & a morbis facilius convalescent; ubi altera ex parte quibus densior est cutis, robustiores sunt vires, sed sanitas magis periclitatur. Athletæ propterea virium robori consultum magis, quam sanitati volentes, ut in palæstra virium suarum magnum specimen præberent, in balneis a calidario, in frigidarium exiliebant, in hunc finem, ut sanguis, & spiritus a balneo tepido ad cutem & laceratos evocati, vi frigidae inibi sisterentur, & occlusis poris validior esset fibrarum, & musculorum virtus. Cum ergo præstet Principem saniores esse, licet debiliorem, quam robustiorem, & morbis minus obnoxium, cum illi sufficiant vires ad naturales actiones obeundas, nihilque sit quod promptius perspiratum temporis momento offendat, quam aeris frigus intempestivum, præsertim si a calido loco ad frigidum fiat transitus; attentum propterea oportet esse Medicum in mutatione temporum, quæ potissimum pariunt morbos, ut Principem suum præmoneat, ne tam facile frigido aeri, & pluvioso se committat, ne subita fiat pororum cutis constipatio, qua nihil promptius est, ad sanitatem evertendam; cum itaque venatum procedunt Principes per Autumnum & Hyemem, monendi sunt, ut in placido aeris statu id agant, nec flante Borea, aut ingruentibus pluvias; ab Austris quoque cavendum, qui & ipsi perspiratum lædunt, laxitatem, ut diximus, fibrarum inducendo. Ut autem hac in re Medici Principes habeant præceptis suis magis obsecundantes, optimum erit iis suadere, ut in suo Cimeliarcho habeant *Barometros, Hygrometros, Anemometros*, aliaque huiusmodi instrumenta, ut oculari fide agnoscant, quid faciant in atmosphaera subitæ temporum mutationes, quomodo ex improvviso in *Torricelliana fistula* Mercurius decidat, & pluvias præmoneat, qua ratione ad boreales flatus, ejus-

Ejusdem Mercurii exaltatio proximam serenitatem denunciet. Longe quidem sensibilibior esset atmosphære pressio, ac illius mutatio, si experimentum fieret in *Barometro* non ex Mercurio, sed ex aqua, qualem se habuisse refert clarissimus *Boyle*. Hyemali tempore suadendi, ut a matutino frigore maxime caveant, sed in suis cubilibus placide cubent, quod ab his obtinere non admodum arduum erit, æstate vero invitandi essent, ut ad Solis ortum exurgerent, ad auram leniorem captandam, & sanguinis æstum sufflaminandum, quod non ita facile impetrari solet, dum ut plurimum Principes lychnobii esse consueverunt, noctu operosam vitam agentes, interdium vero somno indulgentes.

Plurimum igitur refert ad valetudinem custodiendam aeris regimen; nam sicuti aer ignis anima dicitur, cum ignis sine aere vivere non possit, ita aer si purus est, ac sincerus, & nitrosis particulis saturatus, vitalis calor, qui in sanguine hospitatur, vita, & anima est, impurus autem, & inquinatus, ejusdem mors, & extinctio.

Non pauci quoque momenti erit ad tutandam Principis valetudinem, observare, cum incipiunt populariter vagari quidam morbi; num affectus hujusmodi ab aliquo aeris vitio ortum ducant, an ab alimentis corruptis, uti frugibus, vinis; nam in primo casu, Medici erit Principem hortari, ut ad salubriorem locum se transferat; in altero vero, aer suspectus esse non debet. Observatione quoque dignum est, quod si constitutio aliqua variolosa


inter pueros caput efferat, morbosum aliud quod in aere suspicari liceat, ut plurimum enim post variolas morbi Epidemici, uti febres malignæ, dysenteriae solent succedere, ut mihi pluries observare contigit. Hæc itaque generalia sunt præcepta, quæ hac in re excogitare mihi datum est, habita ratione tamen ad ætatem, temperamentum, anni tempus, regionem, consuetudinem, quæ in omni subiecto sunt consideranda: cæterum consulenda erit experientia, & aer qualiscumque sit præferendus, si salutaris fuerit compertus; nam ut superius dictum; *pestimum est cælum, quod agrum facit.* D. Petrus Damianus Ravennas Ecclesiasticus Scriptor, ut ipsemet refert, cum Romæ degeret, apud Romanum Pontificem *Nicolaum II.* sed fere semper valetudinarius, & febriculosus, Pontificem precari cœpit, ut sibi permetteret *Ravennam* adire: ast ille, cui percarum erat habere præsentem virum, sanctitate non minus, quàm doctrina percelebrem, supplicantis precibus cum nollit annuere, affirmans Romano Cælo longe insalubriorem esse *Ravennam* aerem, ubi etiam aquarum salubrium penuria laboraretur, D. Petrus dimissione desperata, de Romana Urbe febribus obnoxia lusit his versibus.

*Roma vorax hominum, domat ardua
colla virorum,*

*Roma ferax febrium, necis est uberri-
ma frugum,*

*Romana febres stabili sunt jure fide-
les,*

*Quem semel invadunt, vix a vivente
recedunt.*



Non bene inter se convenire Principum mensas, & bonam valetudinem; victu parco & simplici facile obtineri sanitatem cum longevitate; quid sit cibi attritio in stomacho apud Galenum exponitur; neminem in seipso etiamsi caveat determinare posse justam cibi mensuram.

INter sanitatis studia, non immerito Hippocrates primum locum tenere voluit monitum illud *non satiari cibis*, nulla facta mentione de cibi parcitate; nam si hac duo extrema conferantur, sæpissime in ciborum satietate peccatur, perraro in parcitate, imo si sanitas utpote perfectio & virtus corporis, mediocritatem, & veluti quoddam æquilibrium tenere debet, vergit tamen potius, & inclinat ad parcitatem. Quales sint quotidianæ Principum mensæ, quibus tam ingens servorum turba militat, non est quod describam, non enim in abdito sunt, sed facile patent eas prospicere volenti, ut etiam solum sufficeret eos spectare, qui longo ordine varii generis dapes ad mensas Principum deferunt, & referunt. Hygæam, & Panaceam, binas sorores, Æsculapii filias, finxere Veteres, primam quæ custodiendæ sanitati, alteram quæ revocandæ præesset. Profecto si ad observandas Principum mensas Hygæa accederet, facile crederem ad hujusmodi spectaculum, & tam grandes apparatus, quam citissime abituram, & Panacæ sorori renunciaturam, non esse sibi cum regalibus mensis rem ullam, sed illa potius, cui sanitatis restauratio est demandata, ad munus suum exercendum sese accingeret. Verum omissis fabulis, quibus utebantur Mythologi, ut mysteria quædam ignaræ plebi obvelarent, fateri necesse est, ad intemperantiam in victu, tanquam ad scopulum naufragium facere Principum valetudinem, quare hac in re attentum oportet esse Medicum, ut dextre, & arrepto tempore Principem admoneat eorum, quæ sanitati injuriam inferre valeant, ac e statu suo dejicere.

Quoniam igitur nulla in re magis, quam in nimia ciborum copia, propter magna incitamenta, quibus instructæ sunt quotidianæ Principum mensæ, quod non evenit in aliis viris nobilibus, licet opulentis, nimia saturatio quantum fieri poterit cavenda est, tanquam omnium malorum fons & origo, & licet alimenta sint boni succi, majorem forsan inferunt noxam, nam, ut dici solet, *optimi corruptio pessima*, cumque id sæpissime contingat, nec spatium detur stomacho, ut per abstinentiam cruditates concoquat, cacochylia præsto est, & inde cacochymia, ac mala nutritio. Augetur quoque malum, quo major erit ciborum varietas, & conditura, quæ uno eodemque fermento ventriculi, non possunt uniformiter confici, multo minus in aliis corporis officinis convenienti mixtura in unam redigi formam; sic vitiatto sanguine, functiones omnes læduntur, nam uti agebat Hippocrates Libro de Flatibus: *A sanguinis perversione totius corporis persiones*. Idem prorsus evenit in multiplici ciborum diversitate, quod in aquis magnorum fluminum scripsit idem Hippocrates, quas pro communi usu improbavit, illas eleganti vocabulo *dissidentes* vocitans; cum enim magna flumina nonnisi ex variis fluminibus in unum confluentibus fiant, eaque per diversas regiones discurrentia, varios ac diversos minerales succos combibant, magnorum fluminum aquæ non possunt constare, nisi ex particulis, quæ inter se diffideant, ideoque parum aptis ad humanos usus; ita sanguis ex tot monstruosis particulis diversa indolis conflatus, nunquam ad perfectam mixtionem poterit per-

pertingere sine tumultu, ut sit idoneus ad partium alimoniam, & functiones obeundas; in hanc rem egregie sane *Horatius*:

*nam cum simul assis
Miscueris elixa, simul conchyliis tur-*

*dis,
Dulcia se in bilem vertent, stomacho-*

*que tumultum
Lenta feret pituita*

Hanc ob causam forsitan gravi passione ventriculi laboravit *M. Aurelius Imperator*, quam cibi attritionem in stomacho appellavit *Galenus* ad curationem accitus. Historiam satis elegantem, quam ipsemet *Galenus* de Præcogn. ad *Posthumum* tradit, lubet afferre: post cibum assumptum angore stomachi premebatur Imperator, ut pulsus frequens & parvus appareret, adeo ut annotationis febrilis principium crederetur a duobus, qui curationi aderant: *Galenus* nocturno tempore vocatus, explorato pulsu, libere pronunciavit coram Medicis qui aderant, Imperatorem nullatenus febrile, sed simplicem esse cibi in ventriculo attritionem; quam ob causam ab Imperatore quaesitus quid agendum esset, hisce verbis respondit. *Si quispiam alius esset, qui hoc morbo laboraret, bibendum ipsi dedissem, quemadmodum solitus sum, vinum pipere inspersum; Vobis autem Regibus, quibus tutissima remedia Medici admoveere consueverunt, lana manipulum nardino pigmento calido intinctum, ostio ventriculi imponere sufficet.* *Galenus* ingenuam libertatem admirans Imperator, Medicis dimissis, vinum sabinum pipere inspersum bibit, & sanitati est restitutus.

Elegans in hanc rem est apud *Macrobius* disputatio super cœnam, uti mos erat apud Antiquos & Literatos homines ad animum exhilarandum variis quaestionibus, inter *Dysarium*, & *Eustachium*, quorum primus pro ciborum simplicitate disseruit, alter uti gulæ patronus, pro alimentorum varietate in symposiis declamavit, ingeniose sane uterque, sed validio-

ribus argumentis *Dysarius*, inter quæ magni ponderis est illud, quod cum febrilentibus Medicorum nemo cibi varietatem offerre ausit, sed alimento quam simplicissimo utatur, quod si ad sanitatem recuperandam multum confert cibi simplicitas, cur non etiam conferet ad eandem conservandam. His adjici potest, quod stomachi fermentum tantarum virium esse nequit, ut tot ac tam diversæ naturæ ingesta cibaria dissolvat, quin unum citius, alterum tardius cōcoquat, aliud vero nullo modo; ea prorsus ratione, qua videmus quædam menstrua, uti aquas fortes metalla quædam dissolvere, & alia intacta relinquere. Hoc idem quoque de vinorum diversitate sentiendum, quæ ex variis regionibus deferri solent, ad ornandas, & exhilarandas Principum mensas; observatum est enim diversa vinorum genera epota, quamvis non in magna quantitate, subitam ebrietatem induxisse, tumultuantur enim intus assumpta, non secus ac loca, & nationes unde fuerunt deducta; non levem quoque noxam experimur, cum ab uno vini genere, & unius loci ad aliud, licet in eodem loco natum, sit transitus, quod pariter annotavit *Hippocrates*, nam ad aliquot dies noxam aliquam persentimus, antequam stomachus illi assuescat.

Multiplex itaque, ac deformis cibi, ac potus varietas, ea est potissimum, quæ Principum sanitati bellum indicit. Siquid enim admirandi, & portentosi in genere Animalium, Piscium, Terræ, Maris uspiam apparet, illico alicujus Principis mensæ destinatur, & dono mittitur; sic magnus ille Rhombus, & admirandæ magnitudinis, qui in Adriaco captus est, & cymbam onerabat, Piscatorum nemo inter suas capturas numerare ausus est; *Domitiano* itaque missus est, ad cujus spectaculum in concilium vocati sunt Proceres, quorum alii aiebant, piscem illum capi voluisse, ut Principis mensam decoraret, alii peregrinam hanc belvam grande omen esse magni, & clari triumphi, alii requiri ad fabricandam pa-

tinam novum *Prometheum*, ad quem Rhombum alludens *Juvenalis* cecinit:

*Quidquid conspicuum pulchrumque ex
aquo totum est,*

Res fisci est, ubicumque natat; donabitur ergo.

Hac in re equidem fuit magna Cæsarum intemperantia in cœnis, quibus varia indebant nomina, quales fuerunt cœnæ *Augusti*, & *Vitellii*, nomine dodecatheos appellatæ, in quarum una *Augustus*, & convivæ, Deorum, Dearumque habitu discubuerunt, ac inter ipsos *Augustus* pro *Apolline* ornatus est visus, quod convivium licet in secretiori palatii parte factum, vulgus latere non potuit, nam cum eo tempore magna charitate annonæ Urbs laboraret, acclamatum est, frumentum omne Deos abligurisse; ridenda sane convivia, in quibus ubi sub vestibus Deorum, tot diversis ciborum generibus ventrem infarcirent, cum ambrosia, & nectare tantummodo victitarent Dii, imo interdum una portione tantum esset contenti. Sic de supremo Deorum *Martialis* lusit,

Jupiter ambrosia satur est, nunc nectare vivit.

Ab hujusmodi autem vanitate longe profecto absunt nostra hac ætate Principum mensæ; attamen cum singulari apparatu instructæ fere semper appareant, ac persæpe in publico conspectu, non adeo facile est, ut quis licet sobrius sibi temperet; quin ex epularum novitate aliquid delibando, sanitati injuriam aliquam inferat.

Temperet igitur sibi Princeps a satietate ciborum non minus, quam a multiplici varietate, & æquo animo patiatur Medici ad Principis sui salutem excubantis morositatem, si in feliciore valetudinis statu aliquid moneat, quod gustus jucunditati non bene sapere videatur; non omnino placet vulgatum illud *Celsi*: *Sanus homo, qui & bene valet, & suæ spontis est, nullis obligare se debet legibus, ac neque Medico, neque Jatrapiæ egere*; largiamur id verum esse in privatis hominibus, at non

in Principe, cujus bona valetudo publicæ felicitatis magnum est præfidium, adversa vero multas ætumnas comites habet. Id unum autem ad parcitatem, & simplicitatem victus servandam deberet sufficere, quod saniores, & longæviores esse soleant, qui frugalem, & sobriam vitam ducunt, quam qui lautam. Cujus rei argumentum esse possunt veteres *Eremicola*, qui herbarum radicibus, & palmarum fructibus victitantes, vitam ad integrum seculum producebant, veluti de *Paulo Eremita*, & *Antonio Abbate* refert *Divus Hieronymus*. Hujusmodi quoque exemplum viderunt posteriora hæc secula in clarissimo viro *Ludovico Cornario*, Patritio Veneto, qui cum a vita nimis lauta, idem sibi fatum, quod fratres suos in primævo ætatis flore sustulerat, imminere adverteret, ad sobriam vitam transeundo, fortis, sanus, integer corporis & animi viribus, pancratice, ut dici solet, vixit, ut nonagesimum sextum annum agens, elegantissimum libellum conscripserit *de vitæ sobriæ commodis*, dignum sane, qui commentariis illustretur, quod, si quid otii mihi dabitur, forsitan exsequi in animo est.

Qualia porro ad id, quod expetitur debeant esse cibaria, qua mensura, qua hora, quo ordine sint assumenda, neminem fore crediderim, qui certis possit definire legibus, tam varia sunt alimenta, tam varia temperamenta, corporum habitus, diversæ Regiones, & consuetudines, & quædam idiosyncrasie, ut vocant, specificæ quædam proprietates, ut experientia potius, quam Scriptores sint consulendi. Ad cuiusque igitur stomachum est provocandum, ille enim æquissimus est iudex; ea idcirco alimenta quæ facile coquuntur, quæ promptam habent diadosim, & corpus bene nutriunt, illa cæteris sunt præferenda. Signum itaque bonitatis cibi, saltem in genere, erit bonitas coctionis, & prompta nutritio. In hanc rem animadversione digna sunt *Lucretii* carmina,

*Nec multum refert quo victu corpus
alatur.* Dum-

*Dammodo quod capias concoctum dide-
re possis*

*Artubus, & stomachi humectum serva-
re tenorem.*

Plurima apud Scriptores de re cibaria ex-
stant monumenta, quare solum ea pertin-
gam, quæ ad rem meam faciunt, & quæ
ad Principum valetudinem tuendam mi-
hi videbuntur magis accommoda; sed hac
de re in sequenti Capite. Primum itaque
ad tuendam valetudinem, cavendum erit a
satietate, quæ obstructionum parens est,
& morborum nutrix, sicuti etiam ab altero
extremo, a nimia ciborum paritate, ne
corpus debito alimento fraudetur; non ideo
tamen velim, ut alimenta capiantur in
pondere, numero, & mensura, sed ea mo-
deratione, ut stomachus gravamen, & di-
stentionem non sentiat, sed per sæpe inter

illecebras, & gratos sapes, quibus gustus
percellitur, gravitatem non advertimus,
nisi postquam e mensa surrexerimus. Hanc
difficultatem iusta mensura cibos capiun-
di, docte non minus, quam eleganter ad-
notavit D. *Augustinus* Libro IV. contra
Milianum, his verbis. *Iam vero cum ad
usum ventum fuerit necessaria volupta-
tis, per quam reficimus corpus, quis ver-
bis explicet, quemadmodum nos modum
necessitatis sentire non sinat, & ipsum li-
mitem procurandæ salutis, si qua adsint
delectabilia rapiendo abscondat & trans-
eat, putantibus nobis satis non esse, quod
satis est, dum libenter ejus provocationi-
bus ducimur, existimantibus nos adhuc
agere negotia valetudinis, cum agamus
potius voluptatis; ita nescit cupiditas ubi
finiatur necessitas.*

C A P U T V.

*Cibaria, quæ ad bonam valetudinem sunt minus apta, Principibus magis usui esse; de
cibis primæ, & secundæ mensæ quædam adnotantur; quid sit apud
Hippocratem carnes esse leves ad stateram, quid apud Ari-
stotelem vinum ethicum.*

QUOD vulgo dici consuevit, nimi-
rum quod per sæpe meliora videam-
us, & deteriora sequamur, id in
conviviis omnibus, & potissimum in Prin-
cipum mensis magis usu venit; cibaria
etenim quæ aptiora sunt ad valetudinem
tuendam, & utiliores succos præstant, fere
neglectui sunt, & alia exotica, & pereгри-
na, ac difficilis coctionis, seu pravi succi
magis appetuntur, & exquiruntur. Panis
cibus omnium communis, si quasdam feri-
nas gentes in extremo Septentrione exci-
pias, quas *Ichthyophagos* vocant, qui pi-
scibus victitant, in Principum mensis
locum quidem primum habet, & ultimum,
nam quamvis sit *tener, & niveus, mollique
siligine factus*, parum de illo degustant
Principes, & quandoque solum mollior
illius pars ad extergendos inunctos digi-
tos inservit. Hoc tamen in omnibus con-

viiviis laute, & opipare instructis, in qui-
bus abundant opsonia, exiguum panis ab-
sumitur, sic quando *Servator noster* qua-
tuor fere hominum millia septem panibus
hordeaceis, & quinque piscibus saturavit,
illius Discipuli de panis fragmentis duo-
decim collegerunt cophinos, nulla de pi-
scibus mentione facta.

In mensis itaque Principum, levem ha-
bent gratiam *dona laboratæ Cereris*, non
ita Bacchi, Pomonæ, & venatricis Deæ
munera. Panis igitur ex laudabili tritico
bene fermentatus, subactus, ac rite coctus,
firmum & vitale alimentum præstat ma-
gis, quam quodcumque aliud cibi genus,
ita ut eo solo, & aqua possint vivere ho-
mines:

Satis est populi struviusque, Ceresque
ajebat Lucanus. Sic *Juvenalis* quoque
panem, & circenses, ubi enim populi fru-
gibus,

gibus, & spectaculis abundant, uti olim populus Romanus, felicem vitam degunt. Sic vidimus hoc anno, quanta calamitate tota pene pressa fuerit Europa, ob annonæ caritatem, quam algidissima hyemis constitutio, cui nullam aliam similem priora secula viderunt, invexit, frugibus radicitus exustis. Hinc nulla cura bonos Principes magis fatigavit, quam ut quolibet pretio fruges aliunde exquirerent, quibus subditos suos, tanquam filios pascere.

Locus egregius exstat apud Hippocratem in primo Epid. *Imbecilliora cibaria brevem vitam habent*; locum hunc subobscurum egregie interpretatur Vallesius, ut uno quidem modo pro debilioribus cibis intelligendi sint ii, qui sint facili coctionis, quia facultati commutanti parum resistent, & huiusmodi cibos brevem vitam habere, quia parum maneat in corpore, cum, uti ex Aphorismo, *Eorum quæ velociter nutriunt, veloces quoque sunt excretiones*, altera vero interpretatione, quod imbecilliora cibaria brevem vitam habeant, nimirum quod paucum alimentum præstando brevitate quoque vitæ præstent. Panem itaque laudatissimum succum humanis corporibus suggerere, qui ob similitudinem partibus apponatur, & firmiter adhæreat, ac propterea ad sanitatem, & longævitatē multum conferat, consentiunt omnes. His licet adjicere panem bene coctum, qualis est nauticus, corruptioni non esse tam facile obnoxium, sicuti cætera alimenta, veluti carnes, pisces, & fructus. Panis ad longum tempus asservatus non putrescit, & vim nutriendi retinet; panis ergo, quem primam, & communem hominum victum, & etiam apud primos parentes in usu fuisse deducunt nonnulli ex illo Ecclesiastici: *Initium vitæ hominis, aqua, panis, vestimentum*, cæteris alimentis præferendus est, & intermiscendus, quare non immerito Verulamius panem ciborum firmitamentum appellabat. Salubre consilium

itaque fuerit Principibus, ut pane vescantur rite parato, illum bene permansum, & salivali fermento imbutum cibus intermiscendo, cum aliqua quidem proportionē ad reliqua edulia, non ea tamen, quam excogitavit M. Ficinus de Studiosorum Sanitate tuenda, Libro secundo: *Panis, ajebat ille, esto duplus ad potum, triplus ad carnes, quadruplus ad pisces*, ingeniose quidem, sed huiusmodi legibus arctari non decet eum, qui bene valeat, & suæ spontis sit, quales sunt Principes. Augustus perfructum frigida panem, pro potione in fiti lumere solebat; idem panis unciam cum patricis uvæ duracinæ acinis quandoque edebat, quippe vesceretur ante cœnam quocumque tempore, & loco, quod stomachus desideraret, Auctore Suetonio.

Quantum autem partium spirituosarum contineat panis bene fermentatus, norunt Chymici, qui ex illo spiritus acido volatiles educunt, egregium balsamum ad stomachi fermentum hebetatum renovandum, qua de re legi meretur Etmullerus. Hanc ob causam inter alimenta nihil est, quod stomacho pene sit magis familiare, ut in sanitatis statu neminem capiat panis fastidium, imo in statu morbofo, pro argumento proximæ sanitatis accipiat, si æger incipiat panem appetere. Observatione dignum est, quod si quidam sunt vini abstemii, & alii propter quandam idiosyncrasiam, a quibusdam cibis summe abhorreant, uti a caseo, pomis, ovis, aliisque rebus, nullus fere observatus fuerit panis abstemius, præter puellam quandam, cujus meminit Brayerius, quæ in Gallia Belgica cum sexdecim annorum esset, nunquam panem degustavit, imo si illius momentum in sero lactis, quo maxime delectabatur, positum fuisset, illico nausea tentaretur. Neque ratione, & auctoritate caret, eorum, qui paucio pane, & multa carne vescuntur, fætore animam; caro enim utpote ex sua natura corruptioni obnoxia, nonnisi succos ejusdem indolis potest suggerere, si nimius sit illius esus;

refert *Brayerinus*, Libro IV. de Re cibaria, se novisse literatum hominem, cui hoc peculiare fuit, multis carnibus, paucissimo autem pane vesci, ideoque fœtidissimum oris halitum illi contigisse; revera nullus odor gravior est præ cæteris alimentis, qui spiritus recreet, quam panis odor e furno recenter extracti.

Carnium usum quod spectat, non raro a Principibus hac in re graviter peccatur, dum carnes animalium domesticorum respuunt, & ferinas, ac sylvestres magis appetunt, quæ non solum a natura humana alienæ sunt, sed difficilis coctionis, quales carnes sunt *Cervorum, Damarum, & caro Apri*, quod a *Satyrico* suorum temporum luxum sugillante, dicitur animal propter convivia natum. Observatione dignum est, quod tradit *Hippocrates* secundo de Diæta, ubi damnat carnes graves in ore, & ad stateram. *P. Martianus* locum hunc obscurum explicans, ait carnes omnes, quarum gravitas in ore percipitur, & ad stateram manifesta, hoc est, quæ, data paritate molis, aliis gravior est, duræ coctionis esse, & stomacho ponderosas, in quo censu referuntur carnes bubulæ, suillæ, atque etiam leporinæ; hoc idem dicendum de piscibus marinis durioris, & densæ carnis, & de avibus aquaticis, quæ fortiores stomachos exigunt, & corpora magis exercitata, quod in Principibus non evenit, qui in otio potius, quam labore ævum traducunt. His addendum carnes huiusmodi ad stateram graves, ex observatione *Sanctorii* in Statica, difficilius esse perspiratus quam carnes leviores, quales sunt carnes vervecinæ. Quare alimenta huiusmodi, licet Coquorum mangonio gustui sapiant, crassiores succos suggerunt, in vasis sanguiferis, & visceribus infarctum, & obstructions generant. Solent quidem huiusmodi carnes duriores, ad aliquot dies asservari, ut teneriores fiant, ac per æstatem in conditoriis nivium teneri, ad macerationem, & putrefactionem fere, quod non adeo laudandum, nam persæpe proxi-

mæ corruptioni multum de spiritu vitali illis decedit, ideo ab *Hippocrate*, secundo de Diæta, probantur magis carnes recentiores, utpote salubriores. Ad teneritudinem vero ipsis conciliandam, carnes huiusmodi duriores flagellandæ, ac perdomandæ, fractis enim illarum fibris molliores fiunt, & stomachico fermento minus rebelles.

Utiliores quoque sunt carnes volatiliæ, quæ liberiore cælo, & naturalibus pascuis suis fruuntur, quam altilis, & cortales, ut vocant, quæ quidem pinguioribus sunt, sed minus salubres, utpote minus exercitatæ; summam carnes omnes laudantur, quæ facile perspirant, quales sunt vervecis, ex observatione celeberrimi *Sanctorii*, & carnes omnes, quæ uti aiebat *Hippocrates*, ad stateram leves sunt, ut quæ multum aeris substantiæ contineant, quod ob faciliorem perspirationem Principibus præsertim, quibus corporis exercitatio non adeo familiaris est, valde conducit. Necessarium itaque foret, Principes, quibus magno cultu, & apparatu ex variis carnum generibus instructæ sunt mensæ, sive a suis Medicis, sive ab ipsa experientia edoctos esse, quæ carnes stomachum magis gravent, quæ coctu faciliores sint, & alvo magis secedant, quod itidem de piscibus dicendum, cum quibusdam anni temporibus pisculentos dies agunt, ne postea jam saturi, cum ad frigidas mensas sit transitus (sic enim Veteres secundas vocabant) ad nova gulæ irritamenta aqualiculum nimis onerant:

Postquam exempta fames, & amor compressus edendi:

Fit strepitus, mensæ succedant dona secunda.

Sic præsto sunt, qui magna celeritate alio adportent, quidquid culinam redolet, & longo ordine inferant, quæ lassatæ voluptati solamen aliquod apta sint adferre, quare temporis momento, nova metamorphosi apparet mensa instructior,

quam antea. Mos huiusmodi in Italia, rerum omnium, quæ ad luxum spectant feracissima, in aulis Principum perantiquus est. Mensæ Syracusanæ, & Italianæ præ cæteris lautiores celebrabantur, ut etiam adagii loco essent, quoties lautam mensam quis vellet innuere; sic *Plato* in Epistola ad propinquos *Dionis*, negat sibi felicem illam vitam in Siculis, Italianisque mensis, ac reliquis voluptatibus sitam nunquam placuisse. *Athenæus* quoque in dipnosophistis inter opiparas mensas, & omni deliciarum genere refertas Italianas refert.

Ad mensas itaque secundas, in quibus vid re est mero, & eleganti ordine disposita varia bellariorum, & cupediarum genera, acetaria, olera, fructus quoscunque peregrinos, ab Alcinoi hortis, si licet, usque deductos, atque omnia, quæ Coquorum ingeniosa manus figurare didicerit, pericitatur temperantia, & consequenter bona valetudo. Quoniam autem a pinguioribus in prima mensa infractus est appetitus, ut plurimum in secunda ad illum acuendum, ab acidis subsidium quaeritur. Lactuca ex variis acidis, & salis quoque parata primum locum mereri solet, more veterum, apud privatos tamen homines, & vulgarem gentem nostra hac ætate prima mensa in usu esse consuevit, de hac *Martialis*:

*Claudere quæ cænas lactuca solebat
avorum,*

*Dic mihi cur nostras inchoet illa
dapes?*

De fructibus hoc adnotare licet, quod Principes nunquam fructus edant in tota sua maturatione, & integritate, nam ad illorum mensas, quæ solum raritate, & pretio æstimantur, fructus apponi solent aut præcoces, aut serotini; præcoces acerbiores sunt, & crudos succos generant, serotini fatui sunt, nullius gratiæ, & bonitatis. De ficibus, hæc habet verba *Hippocrates*, in secundo de Diæta. *Præcocis ficus pessima*. Dominum satum itaque

dmoneat oportet Medicus, ut lab immo dico fructuum fugacium esu sibi temperet, quales sunt ii, quos horæos vocant, & nascuntur sub ora, & opora; oram autem, & oporam Græci vocabant tempus illud, in cuius medio oritur canicula, quod quadraginta dierum est, de quo *Galenus* pluribus in locis, ut in secundo de Alim. Facult. & tertio Aphor. 14. fructus enim huiusmodi corruptioni facile sunt obnoxii, & biliosas diarrhœas per æstatem inducunt, unde *Galenus* in Libro de vitio, & bonitate succorum, ob illorum usum immoderatum se bis ægrotasse ingenue fatetur. Absit tamen ut illorum usum improbare audeam, quos nimirum ad sitis, & æstuantis stomachi solamen natura genuit, si nive, seu aqua perfrigerati assumantur, eo tempore, quo

Procyon furit

Et Stella vesani Leonis,

Sole dies referente siccos.

Quoniam autem nivis, qua carere mensas Principum monstrum esset, facta est mentio, non improbatur moderatus illius usus, sed abusus, tanquam summe noxius damnatur. Profecto potiones illas, & sorbitiones ex acido citri, limonum cum saccharo ad congelationem usque, quas ingeniosa sitis commenta est, nemo sanæ mentis unquam laudavit, dum ad illarum descensum horrescunt viscera, & occalescit stomachus, & paulo post molestior sit sitis. *Nix sitim facit*, aiebat *Rhasis*, Libro vigesimo primo Tract. quinto, quod efficit, dum palati poros, & fontium salivalium, unde serosus latex jugiter emanat, occludit. Veteres in conviviiis pro more habuisse frigidam, & calidam aquam potare satis notum est, ut ex *Martiali*:

*Caldam possis aquam, sed nondam
frigida venit;*

imo quod mirum est, aquam calidam in deliciis habebant, qualis luxuriæ species nostra ætate obsolevit; priscos homines aqua gelida, & calida usos fuisse facile credide-

viderim, ut noxam, quam frigidæ potus induceret, calidæ potione eluerent, & emendarent. Hanc tamen consuetudinem calidam potandi, non adeo laudabat *Martialis*, sic enim ille:

*Possideat Lybicas menses, Hermumque,
Tagumque;*

*Et potet calidam, qui mihi laudat
aquam.*

Equidem si rectior esset nivis usus, atque ut Juristæ solent dicere, cum moderamine inculpatæ tutelæ, pro singulari beneficio a Divina bonitate, ad repellendam æstuantis aeris violentiam, nix esset accipienda, in locis præsertim calidioribus, ut in Sicilia, Regno Neapolitano, ac tota fere Italia, tum pro sanis, tum pro ægris corporibus. Ubi enim, uti aliquando evenit, cum per hyemem, vel paucæ nives, vel nullæ e Cælo delapsæ fuerint, ac propterea nivalis annonæ caritate laboretur, annus ille pro nefasto habetur, nec observatione caret, quod in huiusmodi casu longe plures, & graviores morbi vagari fuerint, quam cæteris temporibus. Perantiquum fuisse nivis usum, etiam apud *Judæos* habemus, ex Proverbiorum Libro: *Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis, ei, qui miserit eum, animam requiescere facit.* Judæis autem nivem suppeditebat *Mons Libanus*, quem *Tacitus* Histor. Libro 5. præcipuum montium in ea Regione esse ait, & miram dictu tantos inter ardores opacum fidumque nivibus, ac in tanta copia, ut *Jordanem* amnem alat, & fundat. Sicuti autem non modica sunt bona, quæ ex nive proveniunt, si qui bene utatur, ita non pauca, & ulgaria sunt mala, quæ ab immoderato illius usus promanant, quæ recensuit *Hippocrates* 5. Aph. 18. & 24.

Magna itaque cautione opus est in re, quæ tam suaviter gustum percellit, perdifficile est enim, ut quis sibi temperet, ubi siti urgetur, & gelidas potiones habeat in promptu, ne illas affatim hauriat, quod sane periculosum est, præsertim si

corpus antea fuerit excalefactum, cum exempla non desint illorum, qui post gelidæ potionis haustum, syncope correpti fuerint, & non secus, ac epoto veneno repente interierint; attamen tam gravis noxa vitari, aut saltem corrigi potest, si forbillatim potiones huiusmodi gelidæ assumantur, dum enim in ore paulisper continentur, ac lente per oesophagum descendunt, multum de suo rigore deponunt, & stomachus in antecessum per communicationem refrigerium perlentiscit, quam cautionem valde commendat *Tschirnhau-
sus* in suo eleganti Libro *Medicina mentis & corporis*; ubi refert, pluries assum fuisse a vario corporis exercitio adhuc æstuantem, aquis artificio congelatis se reficere, absque ullo quod ob id senserit incommodo, eo quod ob nimiam qua palatum afficit frigiditatem, nonnisi pauxillum singulis vicibus assumeret, ubi ex adverso ait se quosdam vidisse, in simili statu cerevisiam avidius, & copiosius inglutientes, in gravissimos morbos fuisse collapsos, a quibus vix liberari potuerint.

Nil porro est, quod Principum valetudini vel clanculum, vel aperte sit magis hostile, quam vini potus, si immoderatio sit illius usus, neque solum valetudini, sed etiam famæ & existimationi. Satis nota sunt magnorum virorum exempla, quibus bibacitas probro fuit, & rerum gestarum gloriam obumbravit, uti *Alexandro Magno*, ejus in vino intemperantiam, ut cohiberet *Androcides* vir sapientia clarus, referente *Plinio* Libro 14. cap. 5. sic illi scripsit. *Vinum potaturus Rex, memento te bibere sanguinem terræ.* Catoni quoque *Censorio* viro obiciebatur ebrietas; vitium huiusmodi latere non potest, eoque minus in Principibus, adeo ut facile in vulgus dimanet, & scommatibus interdum derideatur, sic *Tiberius Nero*, *Biberius Mero* vocitari consueverat. Vinum equidem si moderate potetur, magnas præstat utilitates

ad corporis vires confirmandas, sed eodem nihil perniciosius, si modus absit, naturam enim ignis habet, quo nihil est utilius, & eodem nihil nocentius. Magnates & Principes Viros podagra, & nephritide cognatis affectibus, & hæreditario jure a parentibus in filios transferri solitos, sapissime infestari nemo non novit; quare *Lucianus* in sua *Tragopodagra* longam seriem Heroum, quos Poetæ celebrant, podagra laborantium recenset. Quantum virium utrique affectui generando, & alendo habeat vinum large haustum, ipsa met experientia satis palam facit, dum tartaro suo, cujus prægnans est, articulis duram & lapideam materiam affigit. Ut ergo Principes hospites tam infestos ab aula arceant, vino quidem utantur, modicæ naturæ, sive lymphato, cavendo a vinis meracis, & quæ magis commendantur. Laudatur vinum vetus defæcatum *edentulam*, ut ipsum vocat *Plautus* in *Pœnulo*, quod non mordeat, in planitie potius, quam in collibus natum, minus enim tartari in sinu suo recondit, summum vinum modestum atque ethicum, hoc est boni moris; liceat mihi hoc uti vocabulo, quo usus est *Aristoteles* in *Rhetoricis* *δύος ὁ ἡδύος*. *Theophrastus* 6. de causis plant. ait, id vini genus celerius purgari, & consistere, quod sit tenuius, & quasi vitii mixtura immune; *Gaza*, & *Hermolaus Barbarus* de vino bene morato intelligunt, non desunt tamen, qui illud *ἡδύος*, de vino percolato intelligendū velint *αἶμα καὶ ἡδύον*: Vina itaque sint, sive ex sua naturamorata, ac tenuia, sive facco percolata, ac ut ita dicam castrata, nam sacco, ut ait *Plinius*, vini franguntur vires. De vino percolato hoc adnotare licet; quod in dolio repositum non ebullit, ut reliqua vina, quæ in suis vasis ad menses integros magno strepitu ebulliunt, ac præcipue si meraca sint, nam in percolatione vina multum facis, & tartareæ materiæ sacci parietibus hærentis relinquunt, quæ

in causa sunt, ut vina non percolata ad aliquod tempus effervescent, nec conquiescant, nisi postquam facta fuerit conveniens per superiora despumatio, & crassiorum partium in fundum præcipitatio. Id habent etiam notatu dignum vina percolata, quod elutriatione non indigeant, nec per æstatem pendula fiant, neque doli parietibus tartaream materiam affigant; quare pro tartaro, cujus in re Medicæ tantus est usus, obtinendo, nunquam aperiuntur dolia, in quibus asservatum fuerit vinum percolato. Ulterius hac gaudent prærogativa, quod non expectandum, ut veterascant, post enim duos vel tres menses in potu usui esse poterunt. Hujusmodi vinum igitur ex optimis uvis non in collibus, sed in planitie, non adeo tamen ab iis distante paratum, aptius erit ad mensas Principum pro valetudine tuenda, & pro podagricis, ac pro nephriticis affectibus, quantum licet, arcendis. Nolo itaque Principum mensas carere vino, sed habeant vina, quæ sanitati insidias non struant, sed vitales spiritus blande, & sine noxa reficiant. Non desunt Regum, & Imperatorum exempla, qui hac in re sobrietatis, ac temperantiæ egregium specimen reliquere; *Julius Cæsar*, *Suetonio* teste, vini parcissimus fuit, *Augustus* quoque, eodem referente, in Castris apud Mutinam nonnisi ter super cœnam bibebat; e quibus *Suetonii* verbis, vini mutinensis agri præstantiam licet deducere, quamvis enim *Augustus* suæ valetudinis studiosus fuerit, attamen ter tantum super cœnam bibisse magnum fuisset sobrietatis exemplum; quare fas est credere vini generositatem, quod mutinenses colles signunt cognovisse, ac propterea tam singulari temperantiâ, illo usum in cœna fuisse. Mehercle vina Saxolensia, Florianâ, Spetiana, Hetruriæ vinis celebrioribus nullatenus concedunt. Neque unicum est hoc beneficium Mutinæ a Deo concessum, ea enim Civitas præter optima

ma vina, & aeris salubritatem, habet, habuit semper, & habitura est optimos etiam optimas aquas, & quod præcipuum Principes est, & ad veram felicitatem viam sternit.

CAPUT VI.

Nemini magis, quam Principi pro conservanda valetudine necessariam esse quotidianam corporis exercitationem.

SI verum est quod scripsit Hippocrates Libro 3. de Diæta, eam esse exercitationis vim, ut in commodatione quadam inter labores, & alimenta sanitatem positam esse voluerit, *considerandum est*, ait ille, *utrum cibus superet labores, aut labores cibus, aut moderate inter se habeant, utrum enim tandem superetur, morbi fiunt, ab æqualitate autem inter ipsa mota, sanitas adest*: Igitur licet quotidiana alimenta ad vitam & sanitatem servandam, sunt necessaria, ita etiam quotidianum exercitium ad sanitatis custodiam erit æque necessarium, ut inter hæc duo proportionem sublata, sanitatem corrumpere necesse sit. Si enim modicus sit cibus, & immodicus labor, atteruntur vires; ac si multum sit alimentum, ac pauca exercitatio, cumulantur excrementa, & sensim nobis non sentientibus, magni fiunt morborum apparatus. Recta itaque victus ratio, & moderatum exercitium, mutuo se debent excipere, ut sanitas consistat; præcessisse tamen alimenta, & inchoatam coctionem æquum est, nam ut ex Hippocrate in aphorismis, *ubi fames, laborandum non est*. Apud Perlas exercitium, & victus ita colebatur, ut turpe putaretur spuere, nares emungere, uti refert Xenophon in Pædia Cyri libro 1. certissimo apud ipsos intemperantiæ in victu argumento, quod nostra quoque tempora ejusdem labis coarguit, dum non solum frequenter exspuere, & nares emungere pro sanitatis studio habemus, sed nicotianæ fumo, masticatione, & pulvere, nares & fauces continuo provocamus,

ad congestas impuritates excernendas; quæ non cumulantur, si vitam magis frugalem, & minus desidiosam ageremus. Natura equidem commodis nostris satis intenta, alibi, quam in facie, aptis emissariis nos instruxit, ad excrementa, tum crassa, tum tenuia egerenda, sed nos organa odoratus, & gustus ad fæda ministeria traduximus. Contra hujusmodi Hippocratis præceptum a Principibus frequentissime peccari satis patet, unde fit, ut non raro hanc ob causam, a sanitatis statu facile decedant.

Corporis itaque exercitatio pro sanitatis studio, si ulli necessaria est, maxime Principibus, quibus ob lautiores cibos, & multi nutrimenti, necesse foret, ut ita dicam, cibos a laboribus superari, ut æqualitas illa, & proportio, quam Hippocrates optabat, obtineri posset. Varia sunt exercitationum genera, illud tamen exercitium præferendum, quod a principio intrinseco ortum ducit. *Omnium vero motuum optimus ille est, aiebat Plato in Timæo, qui in semet ex seipso fit. Nam & mentis, & totius ipsius motioni cognatus est. Qui vero ab alio fit, deterior.* Vesi currus, navi, sella gestari, fricari corpus, sunt quidem motiones corporis, sed a principio extrinseco, nec tales sunt, ut ex iis ea beneficia consequantur, quæ a motu musculari obtinentur, uti ex deambulatione, cursu, & quacumque alia spontanea corporis motione; ex convenienti enim corporis exercitatione, sopitus calor excitatur, circulus sanguinis promovetur, alimenti in singulas partes aqua-

æqualior est diadofis, ac liberalior est perspiratus, atque obstructions in visceribus, & vasis sanguineis si quæ sunt expediuntur. *Disruptum est lien, ambula,* aiebat *Plautus* in *Curculione*. Recte sane, ac eleganter in hanc rem *Celsus* Libro 1. Cap. 2. *Ignavia maturam senectutem, labor longam adolescentiam reddit.* Summatim humanum corpus, uti de fama *Virgilius*:

Mobilitate viget, vires acquirit eundo.

Princeps itaque, cui cara sit valetudo, non minus cogitet de cibo quotidie sumendo, quam de quotidiana exercitatione: laudatur deambulatio matutina ante cibum, sub dio magis, quam sub tecto, cœlo tamen sereno, nec a ventis præflato, sive vespertina ante cœnam; *labores cibos præcedant*, aiebat *Hippocrates*.

Quædam sunt exercitationum genera, quæ Principibus magis sunt propria, uti venatus, equitatio, saltatio, ex quibus multa beneficia obtinerent, si frequentius iis uterentur. Venationis studium antiquitus, ab ipsa juventute Principibus satis familiare fuit, ut illis pudori esset, nisi arcum tendere, feras insectari, sagittas ad scopum collimare exacte nossent, atque hac in re cæteris præcellerent. Sic *Achillem* legimus a *Thetide Chironi* traditum, qui illum in venationis studio instruxit, ut feras consectari in silvis, & in præruptis montium jugis cum apris, & fortioribus belluis concurrere assueverit, quo pacto fortis, & egregius bellator, ad bellum Trojanum est quæsitus; venatio enim est rudimentum quoddam ad militarem disciplinam, in qua instruendum esse decet Principem. Cum ergo venatus multa habeat commoda, magnoque sit oblectamento, id præcipue momenti habet, quod ad sanitatem multum conferat, sive enim equitando, sive pedestri itinere per loca aspera & prærupta feras scrutando, corpus variis motibus exerceri necesse est, & incalescere, ut quæ aliquam gravita-

tem capiti, stomacho, ac visceribus inferebant, facile per transpiratum dissentur.

Præter beneficia, quæ a venatione pro tuenda valetudine referunt; non modicam laudem quoque a Poetis, & Scripturibus promereri consueverunt propter dexteritatem, & sagittandi peritiam, uti *Æneas* a *Virgilio*, cum septem cervos in lybico littore pro septem navibus suis sagittis occidit, *Domitianus* a *Martiali* ob feras occisas, *Gratianus* ab *Ausonio* ob leonem interemptum. Hac in re digna est, quod legatur Epistola *Sidonii Apollinaris*, in qua *Theodoricum Gothorum Regem*, venandi & sagittandi peritissimum describit; ait enim illum venatione nunciata, processisse arcu lateri innexo citra gravitatis regie offensam, & muliebri credidisse, arcum ab alio tenulum accipere, insinuat enim e regione capitibus, arcum magna vi intendebat, mox spicula capiebat, implebat, expellebat, ut ipsius Scriptoris verba referam, *quod cupias percuti, prior admonet, eligis quid feriat, quod elegeris ferit, etsi ab alterutro errandum est, rarius fallitur figentis ictus, quam destinantis obtutus.*

Equitatio quoque exercitationis genus est Principibus valde conveniens, imo necessarium, nisi enim didicerit equum prompte conscendere, illique apte insidere, ac fræno regere, non parum periclitabitur; equi enim adulari nesciunt, nec Principes a cæteris distinguunt, pauci nimirum sunt *Bucephali*. Mirum sane quantum gratiæ, ac favoris apud Populos sibi adsciscat Princeps, forti & spumanti equo decore insidens, cum in publicum procedit. Statuæ equestres, prisca, & nostris quoque temporibus magnis viris, in foris, & publicis viis statui consueverunt. Motus autem corporis per equitationem, quæ semper habet aliquam concussionem adnexam, magnæ est utilitatis, crassos humores stagnan-

tēs e loco dimovendo, eosque simul excernendo. Curavi olim Equisonem mutinensem, qui cum acuta febre laborasset, ob intemperantiam, & nimiam aquæ potionem, factus est lienosus & turgido ventre, adeo ut de hydropē timeretur, nec ullo remedio venter detumesceret, suavis illi fui, ut ad solitum munus equos domandi rediret, quo pacto perfecte convaluit, & adhuc vivit. Ad valetudinem ergo servandam Principibus commoda erit frequens equitatio, quam in morbis chronicis maxime commendat *Thomas Sydenham*, quod si hoc exercitii genus remedium curativum est, erit quoque præservativum a morbis, nam ex *Hippocrate* in Libris Epidemiorum, quæ facta tollant, ante facta fieri prohibent. Olim certe equitatio Principibus magis familiaris erat, sicuti modo apud Persarum Reges solenne est Legatos equitando audire; nunc autem mos inolevit, ut super regales currus in publicum procedant, seu in Rhedis sedentes aurigare pro more habeant.

Equitatio tamen habet etiam sua incommoda, ubi enim adsit aliqua dispositio podagrica, aut nephritica, & vesicæ affectio, non parum noxia est, quare *Hippocrates* in libro de aere, aquis, & locis, ajebat *Scythas* Hæchiadi obnoxios esse, quod super equos quotidianam agerent vitam; infœcundos quoque homines, ex nimia equitatione fieri, ibidem asserit *Hippocrates*, ex nimia scilicet renum, & valorum spermaticorum concussione, ut etiam hanc ob causam oriantur aliquando Gonorrhœæ. Si tamen equitatio moderata sit & placida super equos gradarios, quorum copia Principibus non deest, non parum conducit ad corporis salubritatem; est enim, ut ait *Galenus* 2. de Valetudine tuenda Cap. 8., exercitatio mixta ex gestatione, & opera, qui enim equo insidet, musculos intentos, & in quodam motu tonico exercitos habeat oportet; quare

equitatio ex sui natura, apta est ad calorem nativum augendum, & ad excrementorum inanitionem promovendam, stomachi quoque robur non parum confirmat, sensuum instrumenta repurgat, & acutiora reddit, quare in surditate, in capitis dolore a *Tralliano* commendatur.

Creditur quoque equitatio plurimum valere ad crura crasse facienda, quam ob causam refert *Suetonius Germanico*, cui graciliora crura objiciebantur, Medicos suasisse, ut equitationi indulgeret, ejus rei rationem esse crediderim, eo quod crura in equitatione super stapedes multum operentur, etenim qui sæpe equitare solent, musculos, & fibras crurum intentos habeant necesse est, ideoque sanguis, quem suggerunt arteriæ, inibi detineatur, nec tam facile per venas refluat, sicque partes illæ uberiorius alantur, atque in mole augeantur; qualis ratio quoque militat in cæteris partibus, quæ magis exercentur, quod satis patet in pistoribus, quibus amplæ, & crassæ sunt manus; exercitium enim, ut ait *Avicenna*, membrum magnificat. Nisi itaque princeps noxam ullam præsenferit in renibus, & articulis, commodæ & placidæ equitationi in gratiam sanitatis indulgeat, & assuecat, ut si ad aliquam militarem expeditionem suscipiendam aliquando cogatur, ad hujusmodi exercitium aliquam habeat assuetudinem.

Est & alia exercitatio Principibus satis conveniens, atque utilis ad institutum nostrum, licet ab ipsis ad simplex oblectamentum suscepta, saltatio scilicet, & choreas agere, cum enim exercitatio hujusmodi alternationem habeat, corpus, & vires non valde fatigat, & eadem affert beneficia, quæ a cæteris exercitationibus obtinentur, nimirum caloris, & spirituum exsuscitatio, corporis excussio, artuum ad varios motus agilitas, & promptitudo. Solenne est Principes in puerili ætate ad saltationem, & choreas instruere, ut grandiores facti, publice-

blice sui corporis elegantiam, & majestatem præ se ferant, adeo ut Principi, hujusce exercitii ignaro, turpè sit & indecorum, nescire ad harmonicos concentus pedes movere. Hanc ob causam, uti memorat *Herodotus*, *Hippocles Atheniensis*, *Agarista Clisthenis* Sycioniorum Tyranni filiae matrimonio excidit, eum ignave, & scurriliter saltavisset. *Scipio* saltatione maxime oblectabatur, in provectiori etiam ætate, nam, ut refert *Seneca* de Tranquillitate Animi, triumphale illud, & militare corpus movit ad numeros, non molliter se infringens, sed ut illi antiqui viri solebant, inter lusum, ac festa tempora virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, etiam si ab hostibus suis spectarentur. Commoda, & utilitates non referam, quæ tradit *Lucianus* de Saltatione adversus *Cratonem*, qui exercitium istud tanquam effeminatum, & viro indignum calumniabatur; beneficium certe quod ex illo refertur, non parum confert ad animi hilaritatem, & corporis quoque salubritatem. His addere licet, quod saltatio Principem instruere possit ad arma tractanda, & in acie fortiter pugnandum. De *Epaminonda* Thebanorum Duce legitur, saltatione delectatum fuisse, existimante hoc pacto corporis agilitatem conciliari, ut quando pugnandum sit, eo promptiores sint homines. *Meniorem Crentensem* Trojano bello, mira dexteritate, & concinnitate corporis in acie pugnantiem, hancque ob causam Græcis, & Trojanis notum *Homerus* celebravit, saltatorem illum appellans. Equitatio itaque, & saltatio in quocunque Principe rudimenta sunt ad bellicas artes, in quibus instructos esse oportet, qui ad imperandum sunt nati.

Gestatio in sella, præ laudatis exercitationibus, non multas habet vires, attamen laudabilior semper est qualiscunque corporis motio, quam simplex sessio, aut statio, quæ vires potius fatigat, quam roborat, dum in statione muscoli crurum, & femorum in motu tonico perstant, quam

ob causam varices in cruribus interdum oriuntur, unde *Juvenalis*, *Varicosus fiet Haruspex*, cum Haruspices diu stare circa extispicia pro more haberent. Navigatio interdum utilis erit, & salubrior esse creditur in mari prope littus, ob siccas exhalationes, quam in fluviis, & stagnis. *Navigatio in mari prope littus, inambulatio prope mare satis commoda*, Proverbium Græcum erat, quod in Symposiis refert *Plutarchus*. Deambulationem præ cæteris exercitationibus valde commendat *Hippocrates* 2. de Diæta, præsertim matutinam, & aliquam etiam a cœna sumpta. *Phædrus* apud *Platonem* ex sententia *Acumeni Medici* inambulationem in loco aprico extra Urbem iis præferebat, quæ fiunt intra Urbis pomeria, forsan quoniam inibi purior sit aer.

Ludus parvæ pilæ apud veteres satis usitatus, a *Galeo* pluribus in locis commendatur, cujus usus quoque nostra ætate satis familiaris est; quare *Romanos Cæsares* non puduisse publice se etiam exercere pila, & folliculo, Scriptorum monumenta testantur: sic *Vespasianus*, qui prospera usque ad senectam valetudine usus est, sæpe se exercebat in Sphæristerio, teste *Suetonio*. *Antoninus* quoque Imperator, ut ex *Eutropio* habemus, inter palæstritas non raro visus est. *Gustavus odulphus* egregius ille bellator, cui vincere ludus erat, post relatas victorias adhuc calens a cæde, spectantibus exercitus sui Primoribus, folle ludebat, ut refert *Catarinus ab Avila*. Quantum itaque conferant moderatæ corporis exercitationes, ad prosperam valetudinem tuendam, cum ad vitam quoque valetudinariam diu producendam multum possint, exemplo esse poterit *Herodicus* ille artis gymnasticæ repertor, qui licet pro exemplari valetudinarii hominis traduceretur, attamen lineæ vitam ad seculum usque hoc pacto produxit.

Inter exercitationis genera, non immerito recensetur venereorum usus, legitimus tamen, quem *Tiberius Clinopalem* vocabat,

bat, verum hac in re non mediocri temperantia opus est, hoc enim exercitium, si modum excedat, corporis vires atterit, & animæ ipsius systasim concutit; si tamen modus adhibeatur, non prorsus inutilis est, spiritus enim exsuscitat, & alacriores efficit. Egregie sane in hanc rem *Celsus*: *Concubitus neque nimis pertimescendus: neque nimis concupiscendus, frequens corpus dissolvit, rarus excitat.* Cum ergo eos, quibus cæteris imperare fors dedit, nihil magis dedeceat, quam cœlibatum profiteri, nihilque subditis sit optabilius, quam aulam videre liberis plenam, bonum Principem, ubi justam ætatem adeptus fuerit, pro suscipienda prole decebit esse uxoratum, sed pro valetudine conservanda, non valde uxorium. Dictum elegantissimum *Lycurgi* hic placet apponere, quod Principibus magis, quam cuiquam videtur congruere; quæsitus vir ille sapientissimus, cur in suis legibus sanxisset, ne maritus perpetuo cum uxore cubaret, sed ad certa quædam intervalla, se-

juncti degerent, respondit se tres ob causas id statuisse, primâ, ut viri alacriores essent, non semper uxoris lateribus hærentes, secundam, ut amor, inter conjuges interdum sopitus revivisceret, tertiam, ut filii robustiores essent, & vivaciores. Promovet quoque venereorum usus circularem sanguinis motum, & vasorum ampliacionem, si moderationem conjunctam habeat; norant id quoque antiquæ mulieres, quæ pro more habebant virgini, antequam thalamum ingrederetur, ut cum viro concumberet, filo collum metiri, mane autem eodem filo collum remetiri, ac si illud non sufficeret, ad totum collum complectendum, gestientes proclamabant, ex virgine mulierem factam; ad quam consuetudinem alludens *Catullus* in Nuptiis *Thetidis*, & *Pellæ* sic lufit:

*Non illam nutrix orienti luce re-
visens,*

*Hesternò poterit collum circumdare
filo.*

CAPUT VII.

Regulam inversam Somni, & Vigiliarum, Principum Aulis valde familiarem, ad tuendam valetudinem minime aptam esse.

Lubricam esse Principum valetudinem, ac sæpe illos ægrotare mirum non est, quando, non in unum tantum, sed in omnia pene præcepta, quæ ad servandam sanitatem conducunt, ab iis graviter peccetur; mirum est, inquam, cur non, & sæpius, & gravius ægrotent, adeo a communi vivendi ritu deviant, ut a cæteris sic distingui illis proprium videatur, quemadmodum Planetis naturale est in contrarium niti motu opposito illi, quo stellarum multitudo constanti ordine movetur ob ortu in occasum. Huc quadrat illud *Ovidii*, qui finxit in secundo *Metamorphoseon* Solem de seipso ita loquentem;

*Nitor in adversum, nec me qui cæ-
tera vincit*

*Impetus, & rapido contrarius eve-
bor orbi.*

Si in malo rerum non naturalium usu ullus error ab iis committitur, maxime in somno & vigilia; ut plurimum enim dormiunt Principes, cum totus mundus vigilet ad opera intentus, vigilant autem, cum non solum homines, sed cuncta animalia in terris, & pisces quoque in mari somno indulgent. Ex hac regula inversa, nocte vigilandi, & die somnum captandi, quæ nullam proportionem habet cum naturæ legibus, num quicquam boni inferri possit, iisdem Principibus judicandum relinquo; satis enim liquet naturali ordine noctem

quieti, & somno destinata esse, diem vero vigiliis, & operibus. Dum volumus somnum captare, lucem quantum possumus arcemus, lux enim ex sui natura spiritus ad sensus externos allicit, & vigilias infert, tenebrae somnum conciliant, qui spiritus ad interiora prolestat. Huc spectat oraculum illud *Hippocratis* in primo de Dieta, *Lux Orco, tenebrae Iovi, lux Jovi, tenebrae Orco*. Non inepte propterea ab *Hesiodo* in *Theogonia* somnus noctis filius dici tur, & nox Microcosmi, vigilia vero dies: *Noctu dormiendum, inter diu vigilandum*, aiebat *Hippocrates* in libro *Prognost.* in cuius loci expositione *Galenus* hæc habet verba: *Temporibus Hippocratis non aliud fuit ex natura, aliud ex consuetudine, nunc vero divites e contrario agunt, tum in quibusdam aliis, tum somno, interdum dormientes, noctu vigilantes*. Hanc consuetudinem invertendi tempus somni, & vigiliarum, acriter increpabat *Seneca*: *Antipodas in Urbe habemus*, ait ille; morem hunc itaque perantiquum esse constat, qui semper damnabitur, & semper retinebitur.

Apud Græcos, Ægyptios, Romanos, Magnatibus morem fuisse noctes majori ex parte insomnes traducere, cum amicis cœnando, ex Poetis, & Scriptorum monumentis compertum habemus; mos enim illis erat cum domesticis modice pransitare, vel matutinis horis jentaculum aliquod sumere, mox cum amicis laute cœnare, in Tricliniis discumbendo, qualem morem *Judæi* quoque a Romanis, quibus parebant, per assentationem recepere, unde *Christus Servator noster* in ultima cœna cum *Discipulis*, in Triclinio discubuit, quamvis *Pictores* antiquitatis ignari, quibus quidlibet audendi semper fuit potestas, illum sedentem in capite mensæ soleant depingere, non enim in sinu *Christi* potuisset *Joannes* somnum captare, neque *Maria Magdalena*, dum *Christus* in *Bethania* cœnavit apud *Lazarum*, stans retro potuisset illius pedes lavare, nisi discubuis-

set, uti ex antiquo marmore Patavii invento ostendit *Fulvius Ursinus*, in libro de Triclinio, atque *Octavius Ferrarius* in opere eruditissimo de Re Vestiararia. Forma autem Triclinii, apud laudatos Auctores visitur delineata; erant enim tres lecti, quorum unus erat in fronte, reliqui duo ad latera, ad plures convivas excipiendos idonei, spatium medio ministris relicto, unde *Horatius*,

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Lectum etiam unicum in suis ædibus rite & decore paratum, in quo cum magno luxu, & pompa cœnarent, habebant. Veteres enim in stratis discumbentes, ad noctes integras cœnas traducebant, a sole usque ad solem interdum, mimos, pantomimos, citharædos, & phonascos habebant, ut postquam epulis corpus saturassent, animos quoque hujusmodi illecebris pascere, interdum quoque literatos homines habebant; quos de rebus sublimioribus differentes audirent; sic *Aeneas* postquam apud *Didonem* regio apparatu coram *Aulæ Proceribus* cœnasset, surrexit crinitus *Iopas*, qui cœpit canere

... errantem Lunam, Solisque labores,

Unde hominum genus, & pecudes, unde imber & ignes.

Hoc idem legitur apud *Lucanum*, cum *Iulius Caesar*, victo *Pompejo*, a *Gleopatra* magna pompa & luxu exceptus est; post cœnam etenim remotis epulis, ut longis colloquiis noctem produceret, *Achoream* compellavit, ut *Ægypti* res abstrusiores, sacra & gentis mores proferret. Cum autem priscis temporibus, paucas post horas a Solis occasu, vel ante etiam, uti *Domitianus*, *Suetonio* teste, qui non ultra Solis occasum cœnabat, convivia sua celebrarent, & post epulas noctis reliquum cantu symphoniarumque, & eruditis colloquiis transigerent, in iis si longiores noctes fuissent, pene absolutum erat coëtionis opus, antequam somno se traderent,

rent, quare a præpostero somni & vigiliarum usu, a morbis minus plectabantur, quam qui nostra ætate hujusmodi vitæ genere delectantur. Principes enim multum nocturni temporis impendunt in multis occupationibus, quæ ad regimen spectant, conscribendis literis, audiendis, qui supplices libellos porrigunt, aliis que negotiis expediendis, deinde non raro media nocte exacta, cibum capiunt, ac paulo post cubitum concedunt, quo pacto noctis reliquum, & meliorem diei partem, matutinas scilicet horas, quo tempore a solari lumine vitales spiritus recreantur, irrequieti, & cum somnis turbulentis absumunt, unde postea nonnisi cum torpore, & vitiata coctione evigilant.

Quoniam autem consuetudinem hanc noctu vigilandi, ac interdum dormiendi ab aulis ablegare fere impossibile est, aliqua moderatione saltem hac in re utantur. Principes, maturius cibum capiant, parrior sit cœna, & aliquod tempus inter cœnam, & somnum sit interjectum. Aliquam deambulationem a cœna commendat *Hippocrates* in primo de diætâ, plurimum enim confert ad flatulentias excutiendas ab assumpto cibo enatas. *Augustus* e convivio nonnunquam digrediebatur, convivas epulantes relinquens, paucis ferculis cœnam claudebat, mox acroamota, & istriones, aut triviales ex circo ludos interponebat, ac frequentissime aretalogos. Modus etiam adhibendus circa tempus somni, & vigiliarum, sicuti enim sanitas, uti superius ex *Hippocrate* est dictum, in commodatione inter cibum, & labores posita est, ita etiam inter somnum, & vigilias. Satis erit, si somnus ad vigilias subtriplem habeat proportionem, octo scilicet horarum spatium:

Septem horas dormisse sat est, juvenique senique.

Verficulus est, qui legitur apud auctorem libri de Medicina mentis & corporis. Non inepte *Plutarchus* somnum Publicano similem faciebat, sicuti enim publicanus di-

midium vesticæ suffuratur, ita somnus dimidium pene vitæ surripit; idcirco quo plus dormimus, minus vivimus, etenim si tempus illud quo ægrotamus, inter vitæ spatia non est computandum, sed illud quo valemus, itaneque tempus illud, quo dormimus, sed quo vigilamus. Magna tamen sunt beneficia, quæ nobis ex somno proveniunt, si modus adfit; legenda est oratio, quam apud *Ovidium* habet *Iris Junonis* nuncia ad somnum in cimmerio specu altum dormientem:

*Somne quies rerum, placidissime
somne Deorum,*

*Pax animi, quem cura fugit, qui
corpora duris*

*Festa ministeriis mulces, reparasque
labori.*

Sæpe mecum ipse quæsi, cur tantæ necessitatis sit somnus, ut sine illo vita nequeat subsistere, vel saltem miserrima, qualis *Mecænat* contigit, qui per triennium perpetuas vigilias sustinuit, donec tandem tabe consumptus periit, & *Nizolio Ciceroniano*, qui ut refert *Heurnius* in libro de morb. cap. ad decennium usque infomnis vitam produxit, sed nihil potuit occurrere, quod animum veritatis avidum, satis expleret; etenim si quis dicat somnum maxime necessarium esse, ad reparanda quotidiana spirituum dispendia, quæ contingunt ob diurnas vigilias, & animales operationes, regeram ego longe plus esse, quod noctu per somnum insensibiliter digeritur, ac diffilatur, quam quod absumitur, dum vigilamus, & corpus exercemus, ex observatione doctissimi *Sanctorii* in sua Medicina statica. Si dicatur in somno ciborum coctionem perfici ob caloris, & spirituum ad interna retractionem, & succum nutritium partibus promptius apponi, ut animalia quædam per somnum pinguescant, quæ non fiunt in vigilia ob caloris, & spirituum ad externa expansionem; quanquam vera sint hæc omnia, causam tamen non ostendunt, quare somnus tantæ sit necessitatis, ut si quis

cætera sanus; ob casum aliquem fortuitum duos, vel tres dies sine somno transigat, adeo imbecillem se persentiat, ut vix stare possit, quamvis alimenta optimi succi, & vina generosa ad refocillandas vires illi non defuerint. Quid hoc rei est igitur, quod damna, quæ ex somni carentia contingunt, nulla alia re pensari valeant, nisi somno ipso? Num id fieri credendum est, quia in diuturnis vigiliis frangatur tonus fibrarum, quæ ex jugi spirituum influxu tensæ permanent, ubi in somno laxantur, & quiescunt, & in media quadam statione consistunt? Etenim dum vigilamus, sive sedeamus, sive ambulemus, nervi, & fibræ musculares in continua fere tensione, ac operatione sunt, licet aliqua intercedat alternatio, in somno autem omnes ex æquo feriantur; sic videmus cuncta animalia, cum dormiunt in situ recurvo, ut boves, canes, feles, & omnia quadrupedia jacere. Pueri quoque fere omnes hoc habent, ut in lecto semper inflexa teneant crura, provecti quoque ætate aliqua corporis inflexione somnum capeffunt, neque enim dormirent, si extensa prorsus crura, & brachia in motu tonico fervarent. At isthæc missa faciamus, & aliis felicioris ingenii perscrutanda reliquamus.

Pro coronide hujus capitis lubet Hippocratis oraculum apponere, quod ad rem nostram, documentum salutare continet, sed propter verborum obscuritatem aliqua indiget expositione. Somnus

in frigore cooperto, sic Divinus Præceptor 4. in 6. Epid. Varias hæc Hippocratis sententia e Græco in Latinum translata habet interpretationes, ut ex Galeno, & Vallesio in commento citati loci videre est, vera tamen, & germana interpretatio, quæ salubre documentum pro somno captando exhibet, est, quod bonum sit dormire in loco potius frigidus, quam calidus, ut respiratio sit facilior, nam in somno cum fiat retractio caloris ad interna, & præcordiorum intendatur caliditas, satius erit inspirare auram frigidior, sed corpore pannis bene obtecto, ne a frigoris morfu somnus interturbetur. In hunc sensum quoque dictum illud Hippocratis interpretatur Paulus Heredia; hoc idem videtur esse sensisse Cornelius Celsus, seu potius ab Hippocrate documentum mutuatus est, dum somnum in conclavi quam maximo laudavit. Non satis bene itaque sibi consulunt, qui ne a frigore hyemali infestentur, in angustis cubiculis dormiunt, ut solent apud nos Moniales, & quorundam Ordinum Religiosi Viri, qui in parvis cellulis somnum capiunt, & halitus suos, quos ab ore & toto corpore expirant, resorbent. Quam gravem odorem exhalent cellulæ hujusmodi, norunt Medici, cum in illas pedes immittant ad ægros mane invisendos. Principes igitur, quibus omnia commoda suppetunt, dormiant, ut monet Hippocrates, in frigore cooperto.

C A P U T VIII.

Excretionum naturalium, quæ reliquæ sunt cotionum in nostris corporibus, rationem habendam, ut rite fiant, ac ne ulla alteri impedimento sit.

SI quemadmodum coquinariæ beneficio repertum est, quomodo cibaria, quæ ad vitam sustentandam sunt necessaria, ita parari possint, ut non solum palato magis sapiant, sed etiam ut in stomacho prom-

ptius conficiantur, ita Chymicæ artis solertia fieri posset, ut quod in cibis succi nutritii est, & apti, ut in ultimum partium alimentum cedat, in quandam veluti quintam essentiam redigeretur, ut si quid

quid impnri esset, per simplicem transpiratum diffilaretur, nec opus esset, ut tanta excrementorum moles, in ventre colligeretur, quæ nos cogeret ad quotidianam egestionem, si hoc inquam obtineri posset, non ideo tamen crediderim, feliciorem fore talem hominis statum, immo supposita partium, qua conformati sumus, structura, infirmior esset, & minus decorus corporis habitus; continuam enim a stomachi fermento, quod feriari nequit, erosionem cum animi morositate perciperemus, uti experimur vacuo prorsus stomacho, nam uti ex veteri adagio, fames, & mora bilem in nasum conciunt, nec levis foret molestia, quam confluxus bilis, & succi pancreatici parerent. Difficilior propterea esset respiratio, intestina enim a ciborum reliquiis distenta, viscerum sunt substerniculum, unde est quod iis, qui die naturali unica tantum comestione utuntur, videantur pendere viscera, uti ajebat *Hippocrates* de Rat. Vic. in Ac. n. 16. Sic idem *Hippocrates* in Libro de Art. n. 51. in fracturis costarum inediam damnabat, *moderata enim ventris repletio, costarum fit directio*, ajebat ille: Necessaria est itaque, propter partium crassiorum a chylo secretionem excrementorum in intestinis acervatio, & ad tempus retentio. Neque vero solum ad bonam corporis valetudinem, partes ad imum ventrem spectantes, turgescuntiam quandam, & crassitudinem habere bonum est, sed etiam ad totius corporis venustatem, & elegantiam multum confert; non levis enim est turpitudine ventris depressio, qualis in hypochondriacis, & scorbuticis visitur. Adeo verum est quod scripsit D. *Augustinus* in Lib. 22. de Civ. Dei Cap. 24. nimirum quod, *nihil creatum videmus in hoc corpore utilitatis causa, quod non habeat etiam decoris locum. Plus autem nobis id appareret, si numeros mensurarum, quibus inter se cuncta connexa sunt, & coaptata, nossemus.*

Non est igitur, quod homo hac in re a

cæteris animantibus optet distinguere, sed sola ratione, ac temperantia, quæ si adsit, non solum alvi excretionem, sed aliarum quoque partium, rite & commode fient juxta naturæ leges. Quomodo autem in statu bonæ valetudinis fiant in nostris corporibus naturales tum secretionem, tum excretionem, exponere instituti mei non est, id egit ex asse doctissimus *Terenzonius* in *Pisano Lyceo* Medicinæ Professor, in nuperis suis exercitationibus, sed solum mihi mens est cautiones aliquot tradere pro sanitate tuenda, præsertim Principum. Cum vero tanti sit momenti, in statu corporis ægro, alvi & vesicæ excrementa diligenter observare, non solum ad morbi naturam dignoscendam, sed ad prognosim, & curationem instituendam, in statu quoque integræ sanitatis idem agere bonum esset. Verum hæc animadversio, dum bene valemus, ut plurimum negligitur, at in Principe, cujus incolumitas maxime est optabilis, hujusmodi consideratio non est contemnenda. Oportet ergo Medicum, qui Principis valetudini regendæ præest, illius naturam perspectam habere, etiam in statu integræ sanitatis, num alvum habeat ad solutionem, aut ad strictionem propensum, & ad assumpta respondeat, ut immoderantias possit temperare. Ut plurimum Principes ob ciborum multiplicem diversitatem, nec tam facilem illorum coctionem, habere solent facilem, ubi enim minus perfecta est coctio, solutior est venter; aliquando tamen ratione temperamenti, & quorundam ciborum usu, est adstrictior, unde non parva incommoda succedunt. *Ventris stupor, omnium confusio, immunditia vasorum, cerebri consumptio*; ajebat *Hippocrates* 3. in 6. Epid. quod licet *Galenus* in loci hujus expositione intelligendum velit de vitiata ventriculi coctione, attamen æque bene, ut ait *Vallelius*, de intestinorum expultrice læsa poterit intelligi.

Si ergo contingat alvum plus quam par sit

fit laxiorem esse, cibis potius, quam medicamentis agendum, ea nempe exhibendo, quæ facultate aliqua adstrictoria, ac stomachi, & intestinorum fibras roborandi vi polleant, veluti panis rite coctus, carnes assæ, fercula ex oryza, mala cydonia, pyra, cavendo a vino dulciori, & bellariis. Aliquando ex particulari aliqua constitutione, uti ex venarum angustia solutior est alvus, qualis observatio est doctissimi *Ballonii* in suis *Ephemeridibus*, eo quia chylus non tam facile subeat venas mesaraicas, aiebat ille, juxta suorum temporum hypothesein, at verius per venas lacteas abdominis, quam ob causam, ait ille, mulieres, ut plurimum laxiores habere ventres, nam cum multis cibis se obruant, ac sine ordine, & vitam desidem agant, ob vasorum conniventiam facile effluent, quod in hominibus, qui habent vasa ampliora, & vitam ducunt magis operosam, non ita evenit. Si itaque signa appareant, quæ venarum angustiam indicent, parciori cibo erit utendum, & qui vim aliquam habeat calorem innatum vegetandi, & ora vasorum ampliandi, sicuti corpus modice exercere opportunum erit. Si vero adstrictior sit alvus, alimentis pauciter agendum est, quæ alvum meliorem reddant, qualia sunt carnes teneriores, sed elixæ, veluti vervecis, vituli, hædi, pullorum, pisces quoque, fercula ex herbis cum passulis, prunis, & similibus.

*Pruna peregrina carie rugosa senectæ
Sume, solent duri solvere ventris
onus,*

Cavendum a clysterium emollientiũ usu, nisi summa cogat necessitas, licet enim ex lacte, herbarum decoctis parentur, attamen frequens illorum usus intestinorum fibras frangit, & effæminat, ac non raro tormina in ventre excitat, præterquã, quod corpus in malam consuetudinem trahitur. Novimus olim Romæ purpuratum Principem, qui cum alvi adstrictione laboraret, servũ habebat, qui alternis diebus emollientẽ clysterem sibi inderet, non tamen semper cũ

utilitate, cum interdum in ventre excitarentur non leves turbæ, quo remedii genere propter consuetudinem uti coactus est ad multos annos, donec vixit; multo magis cavendum a laxantibus, & eccoproticis per os assumptis, aliquam enim semper in stomacho perturbationem pariunt. Laudant nonnulli in alvi adstrictione cassiam ad aliquot drachmas, at cassia non tam innoxia est, ut illius usus non sit suspectus; flatuosa enim est, & stomacho parum amica; idcirco a *Ballonio* Medico experientissimo, cassia caco stomachos vocabatur, immo idem *Ballonius* 2. epid. in renum & vesicæ affectibus, sive purgato, sive impurgato corpore, cassiæ usum omnino improbat, & virositatem quandam in illa agnoscit. Hanc pariter damnat *Fallopius* noster de med. purg. cap. de cassia, *Joannes Beverovicus* in libro de ren. & ves. cal. *Ludovicus Nonius* in epistola ad eundem *Beverovicium*, & complures alii. Cum autem persæpe Principes, sive ex hæreditaria dispositione, sive ob errata in victu, renum affectibus laborare soleant; Medicus pro alvo laxanda, in persona Principis suspectam debet habere cassiam, sed potius talem diætã instituere, quæ ventris duritiem emolliat.

Non minus quoque advertere oportebit, quales sint excretiones secundæ coctionis, atque etiam terciæ, persæpe enim proportionem inter se debitam non servant; mictio plurima, parvam significat dejectionem, ut ex *Hippocrate* 4. Aphor. conversa enim materia fluidiori ad vias urinæ, mirum non est, si sicciore fiant alvi fæces, & parvæ sint dejectiones; copiosæ autem fiunt mictiones, sive ex usu ciborum calidiorum, & vini meracioris usu, sive ex particulari temperatura calida, & sicca, qui enim talem habitum sortati sunt epiphlebi esse solent, hoc est venarum latitudinem habere, ideoque plurimum mingere, cum per lactearum amplitudinem copiosus humor abripiatur, & sanguini permixtus, tandem ad renes defer-

feratur: sic etiam ex eodem Hippocrate 3. in 6. Epid. *cutis raritas ventris densitas*, hoc est multus perspiratus alvum duriorrem efficit, subducta scilicet ventris humiditate, quæ faeces alvinas molliores reddit, & ad excretionem promptiores. Medici pensum itaque erit incumbere quantum licet, ut per hæc tria principalia corporis emissaria, impuritates rite, & juxta naturæ leges expurgentur, quod obtinebitur, temperantia in victu, & recto rerum non naturalium usu.

CAPUT IX.

Ex nulla re magis, quam animi affectibus periclitari Principum valetudinem, nihilque esse, cui minus succurrere possit ars Medica.

IN classe rerum, quas Medici non naturales vocant, quæ medium sunt quiddam inter ea, quæ sunt secundum naturam, & præter naturam, locum postremum tenent animi pathemata, sed primum forsitan sibi vindicant, quatenus præ cæteris plurimum habent virium, ad bonam valetudinem evertendam, & graves morbos inferendos. Quantum perlieant animi affectiones, & quam grandem tempestatem temporis momento in massa sanguinea concitent, ex signis, & notis, quas in externis corporis partibus, ac in facie potissimum depingunt, facile est deprehendere, qua de re egregie scripsit *Cambræus* in libro de Pass. Carac. sic in ira, quæ præ cæteris passionibus vehementior est, fit primo aliqua sanguinis ad interiora retractio, sed paulo post majori impetu ad corporis externa protrusio; sic ubi quis ira fuerit correptus, facies, & oculi rubore suffunduntur, os amarescit, spumant labia, pulsus frequentes, & magni fiunt, verba interrupta, motus irrequieti, multa que alia apparent, quæ hominis non sani, sed furentis, *Orestes* ipse diceret; Anima enim sensitiva, ubi satis virium esse agnoscit ad objectum, quod sibi odiosum, & infestum concipit, propulsandum, collectis viribus, spiritus, & sanguinem ad externa protrudit, cordis ministerio, quod ex spirituum animalium confluxu, tanta vi, ac tam crebro systoles suas explicat, ut sanguis per arterias ad partes delatus, nec a venis tam prompte resorptus, non possit, quin cutim rubore perfundat, ubi in timore, dum videt non esse sibi tantum roboris, ut longe a se quod hostile est repellat, contraria eveniunt, fibræ enim per totum contractis, impeditur sanguinis motus, seu ejusdem sanguinis per arterias ad suum principium fit retractio, quando inter varios sanguinis motus, retrogradum etiam nonnulli admittunt; lege enim consortii, & mechanica necessitate inter animam & corpus, conspicuum est, ad quasdam motiones animæ, quasdam etiam fieri in corpore, & in massa fluidorum motione; sic hominibus subito timore percussis pallor in facie apparet, attonitum simulacri adinstar perstat corpus, mens stupet, & vox faucibus hæret. Sic quælibet alia passio propria signa, & notas habet, quibus seipsam prodit, uti apud laudatum Scriptorem videre est. Si ergo ad animæ perturbationes tanta fit in sanguine, & fluidis omnibus suisque deque perturbatio, mirum non est, si propter animi pathemata naturalis œconomia pervertatur, & facili negotio corruat bona valetudo. Non desunt apud Scriptores exempla eorum, qui ex nimio iræ impetu subito extincti fuerint, quod pariter legitur de aliis, quibus ex nimio terrore, five ex improvise gaudio, post magnum mœrorem interclusus est spiritus.

Ast cum animi affectus in privatis hominibus, atque etiam infimæ sortis adeo polleant, ut quotidie videmus, quanto plus virium habebunt in iis, qui licet supra cæteros constituti, tota sua potestate

impetrare non possunt, ut omnia, quæ flagranter optarint, obtineant, nec efficere, ut fortuita quædam, & valde molesta iis non eveniant, de quibus ne per somnium, quidem cogitarint. Quis ex iis, qui Principatus, Regna, & Imperia possident, *Augusti* fortunam, prosperitatem, Imperii amplitudinem, & longam ætatem sibi non optaret? At si quis Caput 45. Libri septimi Histor. Natur. *Plinii* legat, ubi longa serie *Augusti* infortunia, & casus adversi recensentur, Principem infelicissimum pronuntiabit, licet inter felicitatis exempla numeretur. *Augustus* ipse de rebus sibi adversis, non raro conquestus est, præcipue de *Julia filia* moribus, cujus pudicitiam suspectam habebat, idcirco inter amicos dicere solebat, *duas habere filias delicatas, quas necesse haberet ferre. Juliam, & Rempublicam*, ut legitur apud *Macrobrum* in libro 2. Satur. Cap. 5. Quam gravi metu, ac mœrore affectus fuerit, ubi *varianæ cladis* in Germania nuncium accepit, ex Scriptorum monumentis satis constat, excubias enim per urbem indixit, ne quis tumultus exsurgeret, quasi Germani in Italiam irrupturi essent, ludos Jovi vocavit, ut Rempublicam servaret, adeo consternatus, ut per continuos menses *barbapiloque summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans, Quintili Vare legiones redde.*

Augustum licet bono, & decoro habitu ex sui natura præditum, valetudinarium, immo persæpe gravibus morbis conflictatum fuisse legimus, ut *Antonius Musa*, Medicus celeberrimus, illius desperata salute, dum ex remediis, quæ salubriora videbantur, nihil levaminis obtineri adverteret, raro exemplo periclitatus fuerit, nam ut ait *Plinius*, *Augustum contraria medicina gravi periculo exemit*, quod perraro facere solent Medici, qui ut ait *Celsus*, *in splendida persona conjectura sua nolunt periclitari, ne occidisse, nisi servarint, videantur.* Improperam autem illius Principis valetudinem, & frequentes mor-

bos, nonnisi ad animi pathemata, a quibus ob male inter se coherentem iniquæ fortunæ, ac felicitatis interdum mixturam cavere non poterat, referri potuisse crediderim. Cum autem Principibus, qui populos regunt, fere quotidie causæ non desint, quæ illorum animos transversos agant, non equidem mirari convenit, si ut plurimum minus prospera valetudine fruuntur, mirari potius licet, cur non sæpius decumbant. Quam gravi tempestate per totam Europam primo hujus seculi decennio jactata fuerit Principum fortuna, satis constat, ut Summo rerum omnium Reçtori, pro iis componendis, & pace restituenda, suscepta fuerint publica vota.

Principes itaque, si illis cordi est bene valere, a violentis animi affectibus, quantum licet caveant, non ita tamen, ut ad apathiam illam, quam Philosophi quidam ambitiose nimis affectarunt, studeant pertinere, id enim esset hominem ex homine tollere, nam uti inquit *D. Hieronymus*, *Nos affectus, & perturbationes, quamdiu in tabernaculo corporis hujus habitamus, & fragili carne circumdamur, moderare, & regere possumus, amputare non possumus.* Gaudeant igitur, doleant, tristentur, misercantur, irascantur etiam aliquando, sed iræ sint Principe dignæ, veluti de *Jove Ovidius*:

Ingentes animos, dignas Iove concipit iras.

Sic etiam in Sacris Literis *Deum* iratum legimus, de hominum sceleribus pœnam sumpsisse. Multum itaque interest, num quis irascatur, ac incandescat, ut postea eorum, quæ iratus perpetrarit, pœniteat, uti de *Adriano Imperatore*, ut refert *Galenus* de Cognosc. & Cur. Anim. Mor. qui ira percitus cum stylo oculum servo perfodisset, ac postea illum vidisset factum unoculum, commiseratione ductus, pollicitus est illi daturum se quod vellet, & optaret, at cum ille taceret, eundem sermonem repetiit, cui ille respondit, se nihil,

hil, nisi oculum amissum optare, qui restitui non poterat. Ratio itaque sola habenas teneat, & animæ sensitivæ motus in officio deineat, ac præsertim in iracundia, in quam facile delabuntur, qui summa potestate gaudent.

. . . . *animum rege, qui nisi servit
Imperat, hunc frans, hunc tu compe
sce catenis.*

Moderatio igitur in iracundia maxime commendabilem, & subditis percarum efficit Principem, ut qui certi sint nihil ab eo deliberari posse, nisi quod prudentia, ac justitia maturarit. Principibus equidem mirum in modum quadrat, quod *Claudianus* scripsit:

. . . . *Diis proximus ille est,
Quem ratio, non ira movet*

Unica igitur passionum medela, ne tam graves valetudini noxas inferant, erit ratio, non ab Arte Medica, sed a Morali Philosophia petenda, non enim quidquam aliud, quam ratione suggerere potuit *Galenus* in laudato Libello de Cognos. & Cur. Anim. Morbis. Ne autem hac in re inane porcus videatur Archiatri officium Principis valetudini excubantis, illius pensum erit advertere, in quemnam affectum ille sit pronior, num ad iram, an ad mœrorem, & alios affectus, quos ipse magis quam quispiam alius cognitos habere credibile est, poterit opponere talem diætam, & vivendi rationem, quæ vim habeat moderandi dispositionem, quæ affectui naturali vim præbet, ut si præservida

temperie præditus sit, commendet talem victum, qui nimium sanguinis, & spirituum fervorem compefcat, laudet vina acidula, sive diluta, summam diætam perfrigerantem; si vero ex naturali, temperie illam videat ad mœrorem propensum, cibarium usum, quæ sanguineam massam volatilibus particulis saturent, & spiritus vividiores efficiant, prout ferret occasio, approbet, vina mediocriter generosa illius temperamento magis accommoda commendet, talia enim melancholicis, & qui gravioribus curis premuntur solent esse remedio, dum particulas sanguinis acidas mitiores reddunt, eo prorsus modo, quo flagmata acida vitrioli, sulphuris, aliorumque, spiritu vini dulcescunt. *Date siceram mœrentibus, & vinum iis qui amaro sunt animo*, ut in proverbii habemus. Sic *Helena*, ut ex *Homero* in *Odys. Menelao & Telemacho Ulyssis Filio*, pharmacum illud mœroris, vinum scilicet nepenthes, quo a *Polydamna Regis Theonis Uxore* in *Ægypto* fuerat donata, propinavit. Si vero ob passionem aliquam diu perseverantem, Principis sui habitum videat gracilescere, & faciem decolorari, illum admoneat de remedium necessitate, ad proximam ægritudinem antevertendam, hujusmodi enim cogitatio, a contemplatione idearum, quæ excruciant, mentem forsan abducet.

C A P U T X.

*Quale debeat esse in Principibus Literarum Studium, ne bonæ
Valetudini inferatur noxa.*

P Rincipes, quorum proprium esse debet facere scribenda, interdum libido solet incescere, ut in Literarum studio inclarescant, & in hujusmodi mustaceo, ut dici solet, laureolam quærent, illos tamen, ut plurimum, diligentia frustrante, ut quod optarint non tam facile attingant, & immo

quod pejus est, bonæ valetudini non levem injuriam faciant. Dedecet sane Principem quemcumque, eoque magis, quo excelsior est, Literarum omnino rudem, & amusum esse, minus enim gratus, & carus est subjectis populis, qui Principem suum tanquam virtutum omnium exemplar ha-

bere gestiunt; sicuti multum illi confert literis in primævo juvento flore, operam navasse, ac præsertim humanioribus studiis, veluti latinæ linguæ, Rhetoricæ, Poeticæ, præterquam enim quod multum laudis, & decoris sibi adsciscet, id beneficii assequetur, ut si ex nativa temperie asperioris naturæ sit, hujusmodi studiis illam exuat:

Scilicet ingenuas didicisse fideliter artes,

Emollit mores, nec sinit esse feros.

Decet itaque eum, qui ad imperandum est natus, literis mediocriter esse imbutum, atque etiam de sublimioribus scientiis, uti Philosophia, Mathematicis disciplinis aliqua delibasse, ut si aliquando publicis disputationibus intersit, statum saltem quæstionis intelligat, non est tamen necesse, ut Logicas subtilitates calleat, & *curtum sermone rotato torqueat entymema*. In Philosophia tamen morali, magis quam in naturali illum instructum esse oportet, cujus facultatis egregia sunt monumēta, tum ex antiquis, tū neotericis Scriptoribus, ex quibus optima documenta tum ad sui, tum ad aliorum regimen exiguo labore haurire poterit. Qui literarum studio totos se dedere, ut nomen aliquod sibi comparent, satis norunt quanta temporis, virium, & sanitatis dispendio constet hæc laudatio. *O hominem literatum!* illi enim necesse fuit libris impalescere, & lucernariam vitam degere, sic de *Demosthene* ajunt: illum plus olei, quam vini absumpsisse.

Qui studet optatam cursu contingere metam,

Multa tulit fecitque puer, sudavit, & alfit.

ajebat *Horatius* in Poetica. Cum itaque non nisi multo labore, & vigiliis commendatio aliqua in Literis obtineri possit, & confectarie cum sanitatis ruina, Principes, qui non sibi tantum, sed aliis nati sunt, ad propriam valetudinem tuendam excubare debent, & scire ad sobrietatem. Innu-

mera fere sunt damna, quæ ex impensiori studio, ac rerum abstrusiorum pervestigatione sanis corporibus proveniunt, stomachus primo immoderati studii pœnas luit, distractis nempe a ciborum coctione innato calore, & spiritibus. *At imbecillis stomacho, quo in numero magna pars Urbanorum, omnesque pene cupidi Literarum sunt,* ajebat *Celsus* Libro 1. Stomachi itaque imbecillitas nimix attentionis ad studia, & lucubrationis vitiosum est productum, ex quo tanquam e scaturigine singulis partibus languor promanat, nam qualis chylus, talis sanguis, ac exinde depravatus corporis habitus. Scite propterea *Q. Serenus* stomachum totius corporis regem appellabat, cujus validus tenor omnia membra confirmandi vim habeat. Præ ceteris vero partibus, caput sedes Animæ, & arx Minervæ graves perferunt noxas; nam propter nervorum contentionem, & extasim quandam in altis contemplationibus, luce animali destituuntur partes corporis, unde torpor, & segnities, ac eandem ob causam tardiori lapsu fluit sanguis per suos ductus, & naturalis totius corporis œconomia pervertitur. Multa igitur ab intensiori animi exercitatione in Literarum studio corpori consequuntur incommoda, recte propterea ajebat *Plutarchus* in Libro de Pre. Salub. quod si corpus disceptet cum animo de damno dato non fore, ut hic noxæ eximeretur. Quipp cum animus contentionibus, & studiis intentus suis, abutitur corpore. *Plato* quoque in *Timæo* ajebat, animum studiis intentum corpus implere languoribus, ut postea necesse sit studia omnino deferere. Innumera pene sunt incōmoda, quæ affectatio nominis celebritatem adipiscendi in Literis valetudini infert, adeo ut perdifficile sit eodem tempore assequi magnam famam, & bonam valetudinem; cum enim necesse sit ad assiduam librorum lectionem incumbere, interdum scribere, idque fieri nequeat sine continuata ad plures horas sessione, vel statione, utroque modo corpus

pus graves noxas persequitur, in sessione enim propter compressionem, femorum, & crurum stupor consequitur. in statione musculi ob motum tonicum defatigantur, & in utroque situ sanguinis motus retardatur. Observatione dignum est, quod Religiosi quidam cœtus, qui Literarum studio potissimum sunt addicti, licet alioquin civilem vitam ducant, ac alimentis boni succi alantur, omnes fere sint macilenti, & melancholici, alii vero Religiosi Ordines ad pietatis studium, & cœlestium contemplationem intenti, vitæ austeritatem profitentes, licet nudipedes, ac iisdem vestibus tam hyeme, quam æstate obducti, ut plurimum obesi sunt, valentes, & bene colorati. Cum itaque Principes valetudinis suæ studiosi esse debeant, non solum in sui gratiam, sed & aliorum, quibus præsumunt, modice & pro oblectamento studiis aliquot horas diei impendant, & si illis vigilandum est, id agant, ut subiecti securius dormiant, uti *Epaminondas Dux Thebanorum*, qui ut scribit *Plutarchus*, quæsitus cur noctu Urbis mœnia perlustraret, respondit se sobrium esse, & vigilare, quo reliquis liceret temulentos esse, ac dormire. Sic *Homerus* 2. Iliadum *Iovem* finxit semper vigilantem, dum cæteri Dii altum dormirent.

Tum reliquos omnes, divosque hominesque tenebat

Pernox sonnus, at insomnis Saturnius unus

Pectore sollicitoolvebat.

Præterea observatum est, Principes, qui se totos sublimioribus scientiis comparandis devoverint, parum fortunatos fuisse, ac non solum valetudini, sed etiam famæ, & existimationi injuriam fecisse, ut etiam interdum scommatibus, & dictæriis traducerentur. *Alphòsum Castellæ Regem*, cujus tabulæ Astronomicæ adhuc exstant, multis infortuniis vexatum fuisse Historiæ referunt, & cum in Planetarum motibus observandis totus esset, & præcipue in Martis erroribus, errata sua in po-

pulorum regimine non satis observasse creditus est, quin eo impietatis etiam devenisse ajunt, ut *Momi Lucianici* adinstar opera divina carpere voluerit. *Julianum Augustum* vulgo *Apostatam* dictum, in eloquentiæ studio, & omnigena eruditione inclaruisse, uti opera illius testantur, satis perspectum habemus, sed in quas superstitiones se dederit, & qualis fuerit illius exitus loquuntur Historiæ. *Henricus Octavus Angliæ Rex*, cui *Ludovicus Vives* commentarios in librum *D. Augustini* de Civitate Dei dicavit, Literarum cultor fuit, & cum adversus *Lutherum* scripsisset, Catholicæ Fidei Defensoris titulum promeruit, ast in quos errores Regius ille Scriptor lapsus fuerit, sciunt omnes, ac ipsemet, si Scriptoribus adhibenda fides, dum animâ ageret, omnia se perdidisse confessus est. *Jacobus Stuardus* primum magnæ Britaniæ Regem, quod in evolvendis libris ad Liturgiam spectantibus, ac Theologiæ studio esset nimis occupatus, qua in re adeo emineret se credidit, ut *Cardinali Bellarmino* litem moverit, publicis scriptis editis, nec sine acrimonia, & conviciis, quibus tamen responsionem non minus doctam, quam humanitate, & reverentia regio Nomini plenam *Bellarminus* reposuit, veluti Purpuratum Principem decebat in Religiosissimo cœtu Patrum Societatis Jesu antea enutritum, Angli ipsi per contemptum Regem Theologum appellabant. *Antoninus Pius* Philosophi cognomentum est assecutus, sed nullum magnanimi Principis titulum promeruit, nulla militari expeditione suscepta, nimis facilis in puniendis criminibus, & toleranda *Faustinae* nota impudicitia. Principes igitur, qui impensius, quam par est, literis se dedant, non raro apud subiectos populos male audiunt, tanquam nati potius ad claustra, quam ad castra. *Romulum*, qui in illa temporum ruditate totum annum in decem menses non satis rite digesserat, hoc carmine laudavit *Ovidius*:

*Scilicet arma magis , quam sidera
Romule noras ,
Caraque finitimos vincere major
erat .*

Si tamen Principes polymathia delectet , & in quocumque scientiarum genere eruditionem pauculo labore , & cum laude , quodque magis refert sine valedudinis damno assequi , id illis erit perfacile , nimirum si Poetas , Oratores , Philosophos , Mathematicos , Theologos alant , & succisivis horis , atque etiam super cœnam , & prandium illos audiant variis de rebus differentes , ac ab illis ediscant , quæ multo studio , & lucubrationibus a mutis magistris , hoc est libris didicerint . Morem hujusmodi servavit *Franciscus I. Galliarum Rex* , magnus literatorum fautor , qui ut refert *Brucerinus* in sua Nuncupatoria ad librum de Re Cibaria , dum cœnaret , ac pranderet , assidentes habebat in quocumque genere præstantiores literatos , quod itidem facere consueverunt *Leo X. & Clemens VII.* Pontifices Maximi de Medicea Familia , cui ex Regia Mæcenatis stirpe prognatæ jure quodam pertraduendum peculiare fuit celebrioribus quosque in Re Literaria viros quocumque tempore fovere , atque alere . Idem quoque observatum est in Principum *Essensium* Nobilissima Familia , quæ semper pro more habuit Aulam habere doctissimis Viris plenam , quo factum , ut celeberrimos Scriptores , ac Poetas habuerit , quorum illorum facta posteritati commendarint , quales fuere *Arctostas* , ac *Tassus* .

Poterunt itaque facili negotio Principes , in Philosophicis , Mathematicis , in experimentalis scientiæ , & in quocumque disciplinarum genere abstrusiorum rerum notitiam sibi comparare , Viros eruditos colloquentes audiendo , vel mensis remotis , aut eo tempore , quo *Domitianus* , ut horas falleret , Muscas sagittis confodiebat ; sicque sine tortura intellectus , & bonæ valetudinis dispendio , aliena frui insania , ut *Plinius* de iis dicere solebat , qui no-

vas ædes construere volebant , sed ab aliis magnifice , & multa impensa constructas parvo sibi comparabant . Mirum est , quantum se torqueant , & fatigent Philosophi , Mathematici , & rerum naturalium Scrutatores , in problematum quorundam solutione , ut plures noctes insomnes ducant , ac per sæpe operam ludant . Voverat olim *Jovi Dionysius Siracusanus Coronam auream* , aurique optimi massam Artifici dederat pro Corona construenda , at ille surrepta auri portione , argentum substituit , sensit Artificis dolum *Dionysius* , at quia Corona satis elegans erat , ac putabat Jovem Optimū Maximū , illā , qualiscumque esset , benigne esse excepturum , passus non est eam infringi , & liquari , & aliam ex puro auro fabrefieri , attamen peroptans scire quanta portio esset argenti permixti , *Archimede* accersito , ab eo quaesivit , ut ingenio suo perscrutaretur quantum mixturæ pro retento auro in corona latitaret , quo audito ille attonitus , ac stupens abiit , se ipsum excrucians , quam ratione rem tam arduam posset pertingere , donec tandem cum in balneo esset , voti factus est compos , ex illo enim emergens ratiocinando ex uno in aliud progrediens , modum reperiit , quo mechanico artificio sciri posset , quantum argenti auro suffectum fuisset , ac reperta proportionem , quam habet aurum in pondere ad argentum , data paritate molis , magna cum sui laude *Dionysio* satisfecit . Hanc *Archimedis* inventionem versibus satis eleganter expressit *Quintus Rhemmius Fannius* . Tam parvo igitur constat Principibus eruditio , quam magno privatis hominibus , qui sibi eam compararunt .

Magnum præterea ornamentum facili negotio sibi accerserent Principes , si præter latinam linguam , aliarum etiam , quæ in Europa usui sunt , peritiam acquirere restuderent , quod facili negotio , atque etiam cum oblietamento obtinerent , si peritos homines in familiæ censu haberent , quibuscum horis quibusdam diei , animo cu-

ris vacuo, colloquerentur. *Mitbridates Rex Ponti, & Bitbyniæ* sua ætate magnæ admirationi fuit, nam, ut refert *A. Gel.* duarum & viginti gentium, quas sub ditione habebat, linguas percalluit, earumque omnium gentium viris nunquam per interpretem locutus est. In hanc rem factum oppido curiosum, & memoratu dignum lubet referre, quod legitur apud *Laurentium Capellonium* in libro *Sermonum Variorum* italico idiomate conscripto, libro 2. cap. 1. Cum *Bononiæ* esset *Carolus V. Imperator*, ut a *Clemente VII. Pontifice* Imperii Coronam susciperet, *Franciscus Sfortia Dux Mediolani*, qui perduellionis apud Imperatorem fuerat accusatus, quod cum Gallorū Rege secreto conspiraret, impetrato a Cæsare, faventibus Legatis Venetis, diplomate, seu salvo conducto, ut vocant, *Bononiā* venit, ut objecta crimina dilueret. Is ergo, ubi ad Cæsarem datus accessus, præstitis debitis obsequiis, diploma e sinu extractum illi obtulit, inquit, illo amplius sibi opus non

esse, dum huiusmodi præsidium quaesivisset, non quod Cæsaris æquitati, aut innocentiae suæ diffideret, sed ut a Cæsareis ministris sibi nimis infensis caveret; ubi autem fidei, & devotionis suæ erga Sacrum Romanum Imperium testimonia, & experimenta adferre cœpit, *Antonius de Leva*, natione Hispanus, qui tunc aderat, lingua Hispanica *Sfortiam* Italico sermone loquentem vehemēter interpellabat, ut *Sfortia* Orationis suæ filum prosequi non posset; quare hic cognito Hispani ministri artificio, lingua Germanica loqui cœpit, quantum non calleret alter, filere coactus est, non sine tamen indignatione, quam celare non poterat, sic *Sfortia* commodè apud Cæsarem a criminum suspicione fidem suam liberavit; Imperator autem commendata generosi Principis prudentia, & sagacitate, *Mediolanensis Ducatus* dominatum *Sfortiæ* restituit, & confirmavit, reclamante licet *Antonio de Leva*, qui afferebat, *Mediolanensem Ditionem* pluris faciendam, quam totam Hispaniam.

C A P U T XI.

Quale esse debeat in senili ætate Valetudinis regimen.

S Anum profecto consilium est, sanitatem, qua sola felices a miseris distinguuntur, quanta fieri potest diligentia, quocumque tempore custodire, aut in senili ætate potissimum id agere saluberrimum est: Juvenilis enim, ac virilis ætas, caulis quæ ab extrinseco proficiuntur, facile obliunt, aut non ita senes, qui ut veteres fagi ad quoscumque ventorum flatus facili negotio concidunt. Sicuti ergo quisque, ubi canitiem accedere cognoscat, recte sibi prospiciet, si valetudinis suæ meliorem quam antea curam habere incipiat, ita Princeps, cui ad senectutem vergenti, gravior semper curarum moles incumbit, alteram vivendi rationem instituat necesse est, ut feliciori sorte mortalitatem vitæ hujus exuat; senectus, cujus

propria est ingenii maturitas, si adjunctam habeat sanitatem, verus vitæ fructus dici meretur.

Primo itaque talis diæta erit instituenta, quæ lampadem vitalem sustentet, non obruat; cum ergo senectus pueritiæ sit opposita, diversa ratione est procedendum; in puerili enim ætate cum in dies calor, & robur vegetior, ac robustior fiat, oportet sensim alimentum augere, in senili vero, ubi languidior est vitalis ignis, & stomachi fermentum intractum, alimoniam innuere necesse est: id tamen intelligendum velim de primo senio, nam in postremo senes ætate confecti, ut ait *Galenus Com. Aphor. 13. 1. Sect. tale quid patiuntur, quale lucernis pene extinctis accidit, quæ continuā exigunt olei suffectionem, multam*

autem, & cumulatam nequeunt sustinere. Parciori itaque victu utatur, & simplici quoque, desuescat enim oportet Princeps a multiplici ciborum varietate, & conditura, quæ Principum mensis familiaris est, alimenta sint boni succi, promptæ coctionis, & quæ alvo facile secedant; laudantur carnes, quæ ut superius dictum, ad statum sunt minus graves, uti vervecis, pulorum, & aliorum volatiliū; cum varia sint temperamenta, & senectus multam habeat latitudinem, cibi mensura determinari nequit. Satis autemimenti fuisse sumptum dignosci poterit, si distensio & gravitas in stomacho non persentiatur, si faciles sint somni, si corpus bene alatur. Jejunium a senibus facile perferri scripsit *Hippocrates*. Hinc nonnulli monositiam, hoc est unicam comestionem laudant in primo senio, at satius est bis in die comedere, quam semel, plus quam par est stomachum onerare, citius enim senescere scripsit *Hippocrates*, eos, qui unicæ comestioni assueverint. Quoniam, ut plurimum in magnis culinis, ubi multitudo est coquorum ad mensas laute instruendas insudantium, non tam rite, uti opus esset, coqui, ac parari possunt epulæ, ut vitium aliquod in coctione ab igne, sive violento, sive nimis lento non referant, Principi seniori jam facto esset valde conducibile suum habere Coquum, cui nullum aliud munus incumberet, quam ut Domino suo summa patientia, & attentione fercula pararet, non solum, ut palato sapiant, sed ut prosint, habita per experientiam hujusmodi cognitione. Recte quidem in hanc rem *Martialis*:

Non satis est Ars sola Coquo, servire palato,

Namque Coquus Domini debet habere gulam.

Præter multa incommoda, quæ secum adfert Senectus, non exiguæ molestiæ est alvi adstrictio, senili ætati propria, & familiaris, eoque magis Principibus, cum senes fieri incipiant, propter vitam minus exercitam, quam soleant cæteri homines, cum multum

conferat ad alvum facilem egestionibus reddendam quotidianus, & conveniens corporis motus. Neque præter rationem est senes huic incommodo obnoxios esse, opposito prorsus modo quo pueri, & juvenes, quibus ut plurimum solutior est alvus; in senectute etenim partes omnes siccescunt, ut membranæ ipsæ obrigescant, & cartilagineæ fiant, ac contractilitatem, & distrahilitatem, quarum ope fiunt excretiones, amittant. Ut alvus itaque mollior reddatur, cibariis potius ad id aptis, quam medicamentis agendum, uti superius est dictum. In alimento *Medicina bonum*, ajebat *Hippocrates*, medicamenta etenim frequenter sumpta, præter malum habitum, quem inducunt, ventrem in dies adstrictiorem reddunt. Alvus itaque mollis servanda, ea cautione tamen, ne plus quam par est, solutior reddatur, ex his enim duobus extremis tolerabilior est alvi adstrictio, quam ejusdem solutio, præsertim in senili ætate. Refert *Martinus Lister* in suis commentariis supra *Saxælorii* Statuicam, senem se novisse sibi amicissimum 86. annos agentem, qui sanus, & satis liberaliter comedens, ex plurimis annis semel tantum in septimana, & interdum etiam ad quatuordecim dies deiciebat. Quoad potum, vinum dulce defæcatum, ex uvis maturis, & perfectioribus factum ad vitam sanam, & longævitatē erit accommodum. Sicut autem in pueris debet esse vinum tenue, ac dilutum, ita in senibus meracius, hyeme præsertim. Dediscat quoque oportet nivis usum, qua per æstatem Principum mensæ carere nequeunt, satis sit in summo æstu, si vinum bibat aqua modice perfrigeratum, hyeme autem si non ad ignem, saltem in loco tepido detentum; nulla enim ratio apparet, quomodo frigida potio illi conferre possit, cui frigent effatæ in corpore vires. Frigidum, ut ait Philosophus, non ingreditur opera naturæ, nisi per accidens, caloris excessum contemperando, sapere propterea didicerunt etiam juvenes, qui fumantes potiones Chocolate, Caffè, Thè

The forbillando assumunt, quæ in senili ætate eo magis convenient.

Quotidie corpora exercere non minus necessarium est, quam ipsum alimentum, & forsan Principibus in ætate senili magis convenit, quam juvenili, ad corporis perspiratum conservandum adeo necessarium; in juvenute siquidem, ubi calor viget, & mollior est textura, facilius est diffusio, in senectute vero, quæ comitem habet ficitatem, & cutem strigosam, difficilius. Nihil est autem, quod insensiles aporrhias magis promoveat, quam corporis motus, in quo videmus faciem rubescere, venas inflari, & cutem incallescere, sique motus sit fortior, sudorem erumpere; bonum itaque erit, si modice se exerceat, sub tecto potius, quam in loco aprico per hyemem, cavendo quantum fieri possit a flatibus æquilonaribus, qui cutis poros adstringunt. Ad obtinendum facilem perspiratum, præter exercitium corporis, non parum conferent molles frictiones cum oleo amygdalarum dulcium, ad laxandas cutis fibras aliquando nimis intentas, glandularum poros obstruentes. *Melle intus, oleo foris*, dictum satis vulgatum, quo pacto *Democritus* longævitatē affecurum se dixit, in senectute siquidem nihil magis timendum, quam ficitas, & cutis stipatio, quare molli, & blanda frictione conservatur necessaria illa transpiratio, qua diminuta præstent cathartici in pectus, & alias partes. In hunc finem quoque aptis vestibus munendum erit corpus ab aeris injuriis, & capitis præcipua cura habenda, si capillis sit denudatum.

Equidem hisce temporibus comæ adscititiæ usus adeo inolevit, ut pauci videantur senes, nec ullus fere sit Princeps ætate provectus, qui canitiem alienis capillis non obtegat, & frequenti barbæ rasura juventæ decorem non præ se ferat, quod sane laudandum; nam præterquam quod calorem fovēt hyeme potissimum, quod senibus infestum est, id etiam efficiunt, quod Principes hoc pacto sibi magnam animi hi-

laritatem conciliant, dum in speculo ætatis injurias non vident. Priscis temporibus, quibus capita non velabant, calvitiam homines inique ferebant, timentes ne cæteris forent irrisui. *Julio Casari* adeo probrosa erat calvities, ut illam incipientem occultare satageret, capillos a vertice revocando, nullum propterea honorem a Senatu libentius accepit, quam jus laureæ coronæ perpetuo gestandæ. Mirari subit quomodo omnes fere *Suetonii* Cæsares, hac deformitate laborarint, uti *Augustus*, *Tiberius*, *Caligula*, *Otho*, *Domitianus*, quem propter lævitiam *Neronem calvum* per contemptum appellabant, unde *Ausonius*:
... quem calvum dixit sua Roma *Neronem*.

A solo calvitiei nomine ita offendebarur iste, ut si apud illum quis alicui calvitiam pro joco, vel jurgio objectasset, pro capitali crimine haberetur. Apud *Judeos* quoque, ut ex *Sacra Historia* habemus, calvities in contumeliam trahebatur, quam ob causam *Eliseum Prophetam*, ut ex 4. Reg. Cap. 2. sublannantes pueri vociferabantur, *ascende calve, ascende calve*, quibus ille indignatus maledixit, & mala imprecatus est, unde paulo post quadraginta duo ex iis misere discerpti fuere. Adeo deformis quocumque loco, & tempore inter homines habita est calvities, ut nemo non illam obtegere satagat, recte propterea *Ovidius*:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,

Et sine fronde arbor, & sine crine caput.

Quoniam igitur fugaces anni senum capitibus tale præsidium, & decus surripiunt, quales sunt capilli, ars naturæ imitatrix senili ætati bene consuluit, comas adscititias tam elegantes construendo, quæ præter beneficium venerationem conciliant. Neque dubitari licet, quin ficta hujusmodi capillamenta, præter elegantiam multæ sint salubritatis, dum passim videre est Medicos ætate graves, & filicernio jam proximios, non ut olim nudo vertice, & proluxa

harba famā sibi aucupantes, sed imberbes, & capillatos in publicum procedere ad ægros invisēdos, & dissertationes ab Exedris habēdas. Nisi ergo aliqua particularis affectio adsit, veluti Cephalalgia, & oculorum lippitudo, cum interdum existant, qui nec pileolum sericeum perferre queant, nostrorum temporum consuetudo tales comas ex alienis capillis gestandi invaluit. *Carolus V. Imperator*, cum in Italiam venisset, Imperii Coronam a *Summo Pontifice Clemente VII.* Bononiæ suscepturus, ob gravem capitis dolorem nativam comam satis elegantem sibi abscindi iussit, quem Aulae primores ridenda assentatione imitati sunt, dum comis, quas magno studio aluerant, depositis, tonsi omnes Cæsari spectandos sese præbuere.

Aulae quoque morem somnum captandi, cum nox medium iter confecerit, & Solem salutandi, *minimas cum fecerit umbras* ejurare, Principi seniori jam facto salubre consilium erit; tempestive igitur cibum capiat, nec post cœnam quicquam, quod mentem distrahat, & implicet, sibi deferri patiatur, more *Augusti*, qui post cœnam nihil scribere, nec legere volebat, ut quantum liceret animo curis vacuo somno indulgeret, qui senibus maxime necessarius est, quam ulli ætati, ut omnes perficiantur coctiones, & corpori siccitati consulatur, dum somno, & quiete corpora pinguescunt; somnum autem capiat hyemali tempore præsertim in cubiculo ad meridiem posito, ut vitales Solis radios excipiat. Negotia itaque, quæ magis urgeant, diurno tempore expedire studeat, & minori, quæ licet molestia supplicantium necessitates,

ac preces audiat; non levī quippe incommodo, ac tædio solet esse Principibus quotidie se re unumquemque audire, & verborum lenitate dimittere, ita ut ab hoc munere non decedat, nisi defatigatus. Egregium sane est, & memoratu dignum, quod de *Theodorico Gothorum Rege* refert *Sidonius Apollinaris*: *Audit plurima, pauca loquitur.* *Augustus* quoque, ne se multo sermone fatigaret, pro more habebat nutus adhibere, cum a servis aliquid vellet, sic ad *Liviam* conjugem codicillos mittebat, *Suetonio* Auctore. Ad valetudinis quoque tutelam symbolum suum conferent varia oblectamenta, sed talia, quæ Principem ætate gravem magis deceant, qualia sunt adesse publicis Literatorum Academiis, Philosophicis disputationibus, scenicis operibus, hastiludiis, choreis etiam, interdum juvenes cum puellis decore saltantes adspectando. Nonnulli propterea in senectute commendant consuetudinem, & colloquia habere cum juvenibus, ut occulto quodam spirituum consortio seniorum mens recreetur. Observatum est, senes, qui juvenum frequenti consuetudine oblectati fuerint, ut plurimum longævos fuisse, ut ferunt de *Pythagora*, *Isocrate*, *Gorgia*, & Rhetorum classe, qui in scholis auditores habebant juvenculos discipulos, ad centesimum usque annum vitæ lineam produxere. Postremo id unum Principes monere lubet, ut si in senectute bona valetudine gaudere velint, juvenes vitam sobrie traducant; *intemperantia enim in juventute, senectuti bellum indicit.*

C A P U T XII.

De nimia obesitate, & corpulentia Principibus non minus insalubri, quam indecora.

SI verum est, quod dici consuevit, esse modum in rebus, & certos fines, quos ultra citraque rectum nequeat consistere, in studio sanitatis id verissimum esse

esse deprehenditur, ubi enim sanitas modum excefferit, si ita loqui licet, hoc est si ad evexiam, & summum bonitatis apicem devenerit, maxime periclitatur, & ex improvise graviore lapsu in præceps ruit, qualis observatio satis frequens erat præscis temporibus, cum gymnasticæ studium vigeat, ac præsertim in athleticis corporibus, in quorum gratiam tertium aphorismum conscripsit *Hippocrates*; nostra quoque ætate non raro contingit eos videre, qui ad summam corpulentiam devenerint, subita morte oppetere; commune scilicet eorum est fatum, quæ summam amplitudinem attigerint, ut magnitudine sua laborent, & viribus pereant suis, ut de Romano Imperio scriptum legimus, siquidem *magna ruunt, inflata crepant*. Huic infortunio obnoxiam esse nimiam corpulentiam satis constat, quam secundum duas tantum dimensiones, latitudinem scilicet, & profunditatem, cum quis debitam longitudinem acquisiverit fieri manifestum est. In corporibus perfecte sanis, in temperamento sanguineo, raro autem in temperamento melancholico, & bilioso observatur hoc vitium; est itaque nimia corpulentia, & obesitas boni alioquin, & laudabilis habitus vitiosum productum, ex parum cauto victus regimine. Facilius autem in temperamento sanguineo, quod medium a Medicis dicitur, & cæteris præstat, quam in reliquis, quæ ab hoc recedunt, nimia corpulentia contingit, quam in aliis temperamentis, ut in melancholico, & bilioso, in quibus adest venarum latitudo, in temperamento enim sanguineo, succus nutritius dulcis, & butyrosus, carnibus & membranis facile apponitur, quod in temperamento bilioso, & melancholico non evenit, sanguis enim copiosa bile abundans multas habet particulas acres amaras, quæ non tam facile in alimoniam cedunt, imo pinguedinem potius dissolvunt, & extenuant, quod pariter efficit temperamentum melancholicum atrabile, in quibus adest

venarum latitudo, quæ in corporibus gracilibus potissimum observatur. Locus est *Hippocratis* 3. in 6. Epid. ubi graciles, venosos, iracundos, & epiphlebos appellat, sic pariter *Galenus* in commento Aphorismi 44. sectionis 2. & in 6. 4. hanc venarum latitudinem cum gracilitate observat, venarum autem angustiam in crassis admodum corporibus.

Qui ergo temperamentum huiusmodi sortiti sunt, sive a primordiis, sive adscititium, ad nimiam corpulentiam magis sunt dispositi, quam reliqui homines; non negarim tamen mutatione victus, ætatis & loci, posse etiam a gracilitate ad corpulentiam transitum fieri, cum interdum comperti fuerint Juvenes valde graciles, qui in ætate inclinante remissis laboribus, otio, & pleniori victui indulgentes, obesi facti fuerint, quod passim in iis animalibus observatur, quæ licet gracilia & emaciata, saginantur, ut boves in stabulis continuo detenti, & aves altilis in aviariis. De nimia corpulentia, & obesitate & quomodo fiat, præter *Hippocratem*, *Avicennam*, *Galenum*, aliosque successive, Recentiores quoque satis fuisse egerunt, quos inter egregie & cumulate *Etmullerus* in suis dissertationibus exponit, quomodo interdum fiat nimia pinguedo, & nimia carnositas, ut hac in re non sit quod quis amplius desideret circa modum, & causam, tum circa remedia, quæ ad nimiam corpulentiam tollendam conducant.

Nimiam autem corpulentiam, & obesitatem magis obnoxii sunt Principes præ cæteris hominibus, tum ob ciborum boni succi quotidianum usum, tum ob illorum corpora minus exercitata, & vitam inter otium, & aulæ delicias traductam, ac præsertim si accedat temperamentum sanguineum cum pituitæ subdominio, ut vocant, stomacho satis firmo & valente, eoque si ad id vitium aliqua hæreditaria dispositio præexistat. In quibusdam etenim Principum Familiis observatur diathesis

ista, & proclivitas ad pinguescendum, per seminalia principia in posteros propagata. Cautum itaque oportet hac in re esse Principem, licet sanum & valentem, quamvis enim se robustum sentiat, gaudeatque, dum videt speciosiores, & coloratorem esse, suspecta habere debet sua bona, uti monebat *Celsus*; facile enim subrepat vasorum plenitudo, & obesitas, accrescentibus in dies carnibus, & membranis pingui, & gelatinosa materia, qua saturata est tota massa sanguinea. Cautum pariter oportet esse Archiatrum, nam cum quotidie Principem suum solitus sit invisere, persæpe non advertit augescentem corporis molem, donec sensibilibior facta non fuerit, cui postea propriis remediis tam facile succurri non possit. Ubi ergo gentilitia sit affectio, & indicia pinguescentiæ corporis se prodant, cujus manifesta argumenta ex Statica *Sanctorii* obtineri poterunt, propter pondus adauctum, Medicus Principem suum moneat de huiusmodi affectu sensim, & sine sensu subeunte, ac doceat, quæ incommoda, quæ pericula nimiam corpulentiam comitentur, & quam difficili negotio tollatur ubi advenerit, varia exempla Principum aliorumque hominum nobiliorum præsertim, cum perraro, & monstro par sit corpulentiam intueri in rusticana gente, in artificibus, nisi forsitan aliquando in iis, qui sedentariam artem exercent, quales sunt sutores, & alii huiusce generis.

Nimia quoque corpulentia pulchros alioquin homines deformes facit & ingratos, unde mulieres speciosæ, & elegantes, si ad nimiam pinguedinem deveniant, multum de sua speciositate deperdunt, & hominibus parum gratæ, ac præsertim si pinguedo carnositati prævaleat. In hanc rem eleganter ludit *Martialis* lib. 11.

*Habere amicam nolo, Flacce, subtilem,
Cujus lacertos anuli mei cingant,
Sed idem amicam nolo mille libra-
rum,*

Carnarius sum, pinguiarius non sum.

Quædam tamen gentes exstant, quibus volupe est mulieres habere præpingues, & mammosas, veluti refert *P. Alpinus* in libro de Medicina *Ægyptiorum*, in qua regione ars, & modus corpora balneo, frictione pinguefaciendi maxime colitur, idcirco inibi fœminæ pinguiissimæ ad Europæorum nauseam reperiuntur. Non levia quoque sunt pericula, quæ nimiam corpulentiam, & obesitatem non raro consequuntur, veluti subitanæ mortes; ex nimia enim humorum copia strangulatur calor innatus, & ob venarum angustiam, circularis sanguinis motus, in quo vita consistit, ex improvviso sistitur. Hinc est, quod obesi perraro longævitate gaudeant, satis vulgatum est illud *Hippocratis* 7. Aphor. *Qui crasso admodum sunt corpore, citius intereunt, quam graciles.* In Athletis, ubi ad summum bonitatis devenissent, credidere Antiqui subitas mortes contingere, eo quia cum in melius non possent proficere, necessum foret, ut in deterius deciderent; ast vera & germana ratio est, quia arteriæ non habent in quod sanguinem refundant, cum spatia omnia sint plena carne, & pinguedine, quæ radices, & extremitates quoque venarum comprimendo, elutriationem impediunt, accedente vero ex cibis novo succo nutritio, ventriculi cordis ita opplentur, ut nequeant constringi, unde *Lipothymia*, *Syncopes*, ac mors tandem subsequitur. Anhelosi præterea, ac suspiciosi esse solent nimis corpulenti, & ad quemcumque motum inepti ob spiritus animales non ita faciles, ad musculorum fibras inflandas, compressis & sepultis nervis in multa pinguedine, veterinosi similiter torpentes sunt, & ad actiones animales minus prompti, ad ratiocinium, prudentiam, & deliberationem minus apti, quæ si in Principe contingant, quantum de veneratione apud populos illi decedit? *Lux sicca, anima sapientissima*, aiebat *Heraclitus*, qualis autem est sanguis, tales sunt spiritus, qui dicuntur lux animæ, sanguis in huiusmodi corporibus multa pingue-

guedine saturatus est, unde spiritus, qui ex illo gignuntur, lucidi, ac ætherei esse non possunt. His addendum homines obesos infœcundos esse, ut plurimum, teste *Plutarcho* 2. Quæst. Con. ob molem enim corpoream minus apti sunt ad veneream palæstram, præterea in his genitura frigidior, & mollior est, in gracilibus, in quibus salium copia major est, major quoque deprehenditur salacitas, & fœcunditas. Mulieres, quæ nimis crassæ sunt, concipere non possunt, eo quia omentum os uteri illis comprimat, scripsit *Hippocrates* 5. Aph. sed frequens autopsia ostendit, omentum perraro intra umbilicum extendi, ita ut sterilitas ab alia causa ortum habeat, a nimia scilicet pinguedine, quæ uteri membranis adhæreat, ac impedimento sit, ne atra seminalis masculina ovarium subeat, ad illud fœcundandum. Sicuti in fœminis nimia crassities illas steriles facit, ita in hominibus nimis obesitas, nimia pinguedo illos infœcundos reddit. Principibus autem optabile esse debet, liberos habere, & successores, quibus tradant Imperii habenas, sicuti nihil est, quod subditos mœrore magis afficiat, quam Principis sui orbitatem videre, norunt enim quales turbæ interdum excitentur, ubi Principatus ad agnatos, eoque magis si ad externos transeat, multorum animis sub novo Principe ad spem melioris fortunæ erectis, cuius rei plena sunt historiarum monumenta.

Præterea obesitas Principem subditis suis invisum, & odiosum reddit, & cum in publicum procedit, ipsum tacite irrident, ac sugillant, a populis enim notantur non minus corporis, quam animi vitia, ut hanc ob causam variis cognominibus soleant appellari, sic in *Caligula*, & *Germanico* crurum gracilitatem, in *Julio Cesare*, & *Augusto* calvitium scommatibus illudebant, gaudent enim, & gestiunt populi, dum in generoso Principe elegantiam, & decoram speciem ad spectant,

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus,

ex adverso deformitas cum ignavia despicatur est. *Sanctium in Hispania Regem*, vulgo *Crassum* dictum, ob corporis crassitudinem, historiæ referunt cogitasse de abdicatione a Regno, cum sciret se ob huiusmodi corporis vitium populis suis invisum esse, ac propterea *Navarra Regem* adiisse, ut ab illius Medico curaretur, ac voti compotem factum, ad suos rediisse, & magna lætitia ac plausu receptum.

Difficilis curationis in omnibus est nimia obesitas, & corpulentia, in Principibus tamen longe difficilior, de hoc enim affectu asseri potest, quod de hydropse scripsit *Celsus*, quem dixit curari facilius in servis, quam in liberis, quibus noxia libertas est; si ergo in quibusdam curationem admittit corpulentia, non tam facile suscipiet in Principibus, quibus noxia summa potestas est, cum enim morbus hic famem, sitim, longam patientiam, & mille alia tædia desideret, non tam facile illis succurri potest. Ne igitur ad hanc calamitatem deveniat Princeps, præcavenda est perniciofa isthæc, quam indecora affectio, & Medicus sollicitus esse debet, ut venienti morbo occurrat. Remedia igitur, quæ ut plurimum ad curationem conducunt, eadem ad præservationem quoque erunt in usum revocanda. Conveniens itaque diæta, & rectus usus rerum non naturalium primas tenebunt. Primo igitur quantum consuetis cibis detrahendum, tantumdem exercitationi corporis erit adjiciendum, proportionem itaque majoris inæqualitatis debet habere exercitatio ad ciborum assumptionem, ut in hoc casu succrescenti pinguedini obviam eatur. Exercitia erunt eadem quæ superius fuerunt memorata, equitatio, inambulatio, venatus, ludus parvæ pilæ, & alia huiusmodi; frictions quoque, sed fortiores & sicciores ad extenuationem conferunt; frictions

contrarias vires habere scripsit *Hippocrates* in *Libr. de Chirurg. Off. Frictio multa minuit, moderata crassescit*, quæ de re eleganter *Celsus* Libro 2. hisce verbis, *Frictione, si vehemens sit, duratur corpus, si lenis, molliatur, si multa, minuitur, si modica, impletur*. Alimenta vero pauciora, ac non solum tenuia, sed etiam quæ extenuandi vim habeant; cavendum ergo a pinguibus oleosis, summatim a cibis euchymis, qui ad sanguinem in copia uberiori multiplicandum faciunt; convenient itaque alimenta acria salsa, quæ pinguedinem absumunt & liquant. Multos ad nimiam corpulentiam eversos, solius aceti usu sarcinam illam deposuisse, & macilentos factos fuisse, historiæ referunt, quale exemplum habemus in *Famiano Strada de Chiapino Vitellio*, sic videmus homines, qui acidis delectantur, aut in quibus abundat acidum, quales sunt hypochondriaci, & scorbutici, strigosos esse. Somno quoque detrahendum aliquid, & vigiliis addendum, propterea usui erit decoctum herbæ Thè, quæ vi exsiccandi, & vigilias inducendi pollere creditur, somno enim pinguescunt corpora, hyeme præsertim, vigiliis autem macrescunt, æstate potissimum. Purgationes quoque institui possunt vere & hyeme, & quantum fieri poterit alvus solutior servanda. Non alienum quoque erit aliquando vomitum

ciere ad pituitosos succos, quibus æqualliculus oneratur, evacuandos. *Hippocrates* in *Libr. de Salubri Diæta*, de curandis Obesis, hæc habet verba: *Quicumque homines crassi, ac pingues sunt, jejuni vomant a cursu aut ambulatione cita iuxta meridiem. Sit autem bernaia dimidia hyssopi, in aquæ congio contriti, atque hoc ebibat affuso aceto, & adjecto sale, quo jucundius evadat. Bibat autem primum sensim, ac lentius, postea amplius, & citius*; amara quippe, ac salsa, acria, apta sunt ad sanguinis dulcioris crasim invertendam, ac præsertim acida, quæ licet ex sui natura appetitum exaquant, succos tamen nutritios ineptos reddunt, ut carnibus, & membranis apponantur; sic experimur carnes pullorum, aliorumque animalium aceto maceratas exiguum nutrimentum suggerere. Unicam in die comestionem laudant nonnulli, illam tamen improbat *Hippocrates*, ait enim homines citius senescere. Vidi ego olim Nobilem Virum, qui ut nimiam pinguedinem castigaret, semel tantum in die, & perparce cibo utebatur, ast brevi tempore ad talem virium imbecillitatem cum difficili anhelitu devenit, ut paucos post annos obierit. Pro potu laudatur vinum oligophorum, a vinis autem generosis, & præsertim dulcibus cavendum, acidula vero, & diuretica erunt utiliora.

C A P U T XIII.

De præservatione a quibusdam morbis, quibus magis obnoxii sunt Principes.

Quemadmodum ætates, temperamenta, anni tempora, & regiones suos habent peculiare morbos, ita & vitæ conditio, quam quisque sortitus est, aut sibi delegit, suis obnoxia est morbis, uti videre est in iis, qui artes quasdam exercent, qua de re regi in meo *Traçtatu de Morbis Artificum*, Arthritis,

Calculosa passio, & Colica, tres sunt affectus, seu potius tortores, qui in ordine procerum, ac in Principibus præsertim tyrannidem suam exercent, quales affectus multam habent inter se cognationem, ut non raro in eadem persona mixtum imperium obtineant. Quidam Literatus calculosa passione laborans, apud *Beve-*

rovicium de Cal. Ren. & Vess. ad am- cum scribens podagra tentari solitum, il- lum cognatum vocabat, eo quod duabus fororibus, podagræ nimirum & arthriti- di ambo nupsissent, imo interdum fieri, ut uxor unius ad alterum sine adulterii su- spicione accederet. Ex eadem materia, succo scilicet putrescente, quem sugge- runt alimenta, e vasis sanguineis in arti- culos, & renum substantiam refuso, si- cuti etiam ab eadem causa efficiente, aci- do nimirum tartaream materiam coagu- lante, arthritidem, & lithiasim fieri, com- munis fere est Scriptorum consensus, ut hic locum habeat illud *Hippocratis* in Libro de Flatib. *Morborum omnium unus & idem est modus, locus vero ipse eorum differentiam facit.* Colica similiter, quæ ab acido, intestinorum membranas pun- gente, potius quam a flatu distendente fit, multam cum prædictis affectibus ha- bet affinitatem, immo persæpe observa- tum est, colicam transire in arthritidem, & arthritidem in colicam. Locus est egregius *Hippocratis* in Libro de Humo- ribus, hisce verbis: *Cui intestinum in de- xtra parte dolebat, & articulari morbo correptus est, quietior erat, postquam au- tem hic curatus fuit, magis dolebat,* quam sententiam pariter repetit 4. in 6. Epid.

Congeneres itaque esse hos memoratos affectus, sat manifestum est, ac Nobiles Viros, & Principes potissimum illis infe- rari, varias quidem ob causas, nimirum ob intemperantiam in victu, & vitam de- fidiosam, sed potissimum ob vina mera- ciora, quibus se proluunt; quare non im- merito Poetæ, Bacchum podagræ paren- tem, & Venerem matrem finxere. Pro- fecto cum in vitis generosioribus multum insit materiæ tartaræ, & acidi volatilis, hoc est totum illud, quod ad lithiasis, & arthritidis geneseos requiritur, mirum non est, si ex continuo, & immodico illorum usu, renibus ob vasorum angustiam, & articulis quoque multum materiæ lapidi-

ficæ affigatur, & concresecat, unde est, quod egregii vini potiores, calculo renum, & arthriticis doloribus, male mulctari soleant, sic de *Ennio* Poeta scripsit Q. Se- renus:

Ennius ipse Pater, dum pocula siccant iniqua,

Hoc vitio tales fertur meruisse do- lores.

Frequens observatio est, podagram, & nephritidem, labem hæreditariam esse, quæ ad longum tempus in familiis perse- verat, ac potissimum in Principibus, quibus commoda omnia, & iacitamenta suppetunt ad vitam minus sobrie agen- dam, illis propterea, quam cæteris ma- gis familiares sunt tales affectus, dum co- dem pene vitæ genere utuntur, quo pa- rentes ipsorum usi fuerint.

Quoniam autem hic agitur de parte præservatrice, non de curatrice, Archia- tri munus erit Principem suum monere, ut hospites huiusmodi tam infestos ab aula quantum possit arceat, ubi enim se- mel fuerint admissi, ac ad aliquod tem- pus nutriti, non tam facile postea erit illos dimittere, nec adeo tutum, poda- gram præsertim, cujus violenta expulsio, graviores morbos solet accersere. Jus quidem habeant Principes, ut a suis Me- dicis ab huiusmodi affectibus præserva- tionem exigant, nequaquam vero cura- tionem, sunt enim de illorum genere, qui, ut agebat *Hippocrates*, cum ægro commoriuntur, & quo magis veterascunt, eo magis desæviunt. Sic calculosus qui- dam apud laudatum *Beverovicium*, senex jam factus, de suo statu sic conquereba- tur: *Femine sterilescunt atate, me se- nectus fecundiorum reddit, aut enim pario, aut parturio, quod si parum favente Lucina mihi cæpero, actum de me puta.*

Ad obtinendam igitur prophylacticam, convenienti diætâ, & recto rerum non naturalium usu erit procedendum, talia itaque sint alimenta, quæ si corpus sit bene constitutum, alant quidem, sed

non impleant, nec extenuent, habita-
semper ratione ad ætatem, anni tempus
& consuetudinem quoque, nam si antea
plenior fuerit victus, & multiplex, ad
parciorem & simpliciorẽ victum paula-
tim erit transeundum. A crassioribus
cibis, & difficilis coctionis, de quibus
actum est superius, in primis cavendum,
ubi enim stomachus a munere suo aberr-
averit, iusta & conveniens partium cras-
siorum chyli secretio in intestinis fieri ne-
quit, unde sequitur, quod partes impu-
riores, quæ per alvum erant secernendæ
per lacteas in massam sanguineam irre-
pant, & renibus ac articulis materiam
morbificam suggerant. Quoniam au-
tem nihil est, quod Principum mensas
magis exhilaret, quam fructuum diversi
generis elegans apparatus, cavendum
præcipue ab acidis, & immaturis, & qui
ortum habuerint in collibus, & locis sa-
xosis, multum enim tartarei succi conti-
nent, ut in quibusdam ex iis, veluti in
pyris granula quædam saxosa in ipsa ma-
sticatione observentur. *Vachenius* in
lib. de morb. Princip. pod. esum pomo-
rum improbat, ob facilem eorum ad acidũ
conversionem, & putrescentiam. De po-
mis hæc habet verba *Hippocrates* 3. de
diæta n. 5. *Poma fortiora sunt, quam pro
humana natura, melius est igitur a po-
mis abstinere;* revera uti observat *Mar-
tianus* in hujus loci commento, poma ni-
si cum reliquis cibis bene commansa fue-
rint, & bene permixta, in stomacho ægre
coquantur, & qualia fuerint assumpta
egeruntur.

Quoad potum, a vinis meracioribus
abstinendum, ut quæ in sinu suo multum
tartari recondant, qualia sunt quæ e lo-
cis petrosis habentur, illa enim potius
convenient, quæ camporum planities sub-
ministrat, & sacco percolantur, uti supe-
rius diximus, erunt aptiora, ut quæ tar-
tari exiguum portionem habeant. A vi-
nis quoque tenuioribus cavendum, error
enim non levis persæpe ab illis, qui po-

dagra & nephritide tentantur, committi so-
let, nam cum timeant usum vini genero-
sioris, putant sibi licere vina tenuia,
quantum volunt bibere, quod in podagra
Joânes Crato dānabat lib. 2. conf. *Helmon-
tius* in volupe viv. *Ftmullerus* de Vege-
tab. & alii, qui vina tenuia improbat, quæ
acidum multiplicando, colicos dolores, ne-
phriticos & arthriticos apta sint produ-
cere; præstabit igitur modico vino uti ge-
neroso, sed aqua diluto, quam vinis te-
nuibus, & acidis, quæ cum diuretica sint,
hoc nomine suspecta esse debent, humo-
res enim ad eam partem, quam præser-
vare volumus, velle deducere, sanum
profecto consilium non est. Non minor
quoque cautio adhibenda circa usum
aquarum naturalium, non solum pro di-
luendo vino generosiori, sed etiam pro ci-
borum coctione, non raro enim in aquis
continetur materia lapidifica. Inter aquas
simplices pro communi usu laudatur aqua
nuceriana, quam Principes, & nobiles
viri ab ipso fonte curant ad se deferri, cui
nullatenus concedunt aquæ fontium Mu-
tinenſium, de quorum admiranda scaturi-
gine, & præstantia tractatum olim con-
scripsi.

Corporis porro exercitatio conveniens,
ad prædictos affectus præcavendos ma-
gnum erit remedium, cujus veritatis am-
plum testimonium præbent rusticanae gen-
tes, & urbani artifices, in quorum casis
semel tantũ dicitur habitasse podagra. Ce-
lebris est *Cælii Secundi Curionis* de Ara-
nea, & Podagra Apologus, quem fuse
describit *Gaspar a Reyes* in Cam. Elys.
Quæst. 88. Cum aranea peregre proficisce-
retur, illi comitem se junxit podagra, quæ
vespertino tempore adventante, cum pro-
gredi non posset, in tugurium pauperis
cujusdam divertit, aranea vero ulterius
progressa, amplam & magnificam domum
ingressa est; altera die cum rursus ambæ
convenissent, de suis hospitibus valde
conquestæ sunt, aranea quod ne filum
quidem ducere potuerit, & scopis a ser-
vis

vis fugata vix periculum evaserit, podagra vero, quod hospitem rudem & asperum reperiisset, pro cibo pulsem, pro potu vappam, & pro culcitra grabatulum durum, ut noctem prorsus infomnem traducere illi necesse fuerit, quare hospitium ad invicem imposterum commutare statuerunt, aranea ut in pauperum tabernis hospitaretur, podagra in palatiis, Regumque turribus. Tanta est vis exercitationis, ut etiam sine frugali victu, quem procul dubio servare non possunt, qui propter egestatem perpetuis laboribus sunt addicti, ut pravi humores, qui ad alendam podagram, & nephritidem apti essent per sudorem, & ambitum corporis excernantur. Moderatio quoque circa aliarum rerum non naturalium usum erit adhibenda, somno nimis indulgere mollibus in culcitris, renibus certe non adeo confert. Alvum mollem quantum licebit servare bonum erit, expedit enim solutiorem esse, quam nimis adstrictam, ne primæ coctionis excrementa ferantur in massam san-

guineam, & exinde ad renes, & vesicam; usurpare hinc liceat *Plantinam* illud, *Nolo ad vesicam quid eat, in ventrem volo.*

Purgationes etiam interdum instituere, & sanguinem mittere, non abs re fuerit, si humorum redundantia signa apparuerint, cum non tam facile sit intra sobrietatis limites eos continere, quibus omnia fortunæ bona suppetunt. *Quibus convenit venæ sectio, vel purgatio, hos vere purgare, vel venam secare oportet, aiebat Hippocrates 6. Aphor. 47.* in cujus Aphorismi expositione hæc habet verba *Calenius*. *Nos plurimos ita servamus sanos, qui longo ante tempore, singulis annis morbis capiebantur. Sed & podagram, & morbum articulare adhuc incipientem, & nondum poros circa articulos facientem, ex tali evacuatione, multis jam annis fieri prohibuimus.* Hisce igitur remediis, quæ fuere proposita, præventionem sperare licet a tam diris morbis, qui Principibus præsertim tam malas cruces figunt.

CAPUT XIV.

De Regimine Valetudinis Principum in Militari Expeditione, & Castris.

Quoniam Principibus non licet esse in terris adeo felices, ut pace perpetua ævum traducant, ac illis interdum non sit necesse, Aula relicta, militarem aliquam expeditionem capeßere, five ad hostes è finibus suis propulsandos, five ad ea, quæ sui juris sint armis vindicanda, magnum propterea Medicis, qui ut moris est, illos comitantur, onus incumbit, ut Principis sui valetudinem ab iis, quæ facili negotio possint illam labefactare, sartam tectam tueantur.

Duo præcipue sunt, quæ graves sanitati offensas possunt inferre, insolita vivendi ratio, & animi sollicitudo; neque enim fieri potest, ut quamvis magno apparatu procedant Principes, secum vehendo ea, quæ ad vitæ commoda videantur

magis necessaria, quin interdum quædam occurrant, quæ provideri & caveri non possint, ex quibus consuetus vitæ ordo, ac tenor non pervertatur. Bellorum autem eventus, cum ut plurimum in arbitrio fortunæ, seu ut rectius loquar, in Divina Potestate sint positi, licet omnia summa prudentia, & consilio fuerint disposita, nequit Princeps, quem rerum omnium concilium esse oportet, animum curatum molestia vacuum habere, nec somnum quamvis in mollibus stratis adeo quietum captare. Sic apud *Virgilium* magnanimus ille *Æneas*,

*... . tristi turbatus pectora bello
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.*

Aeris primo itaque ratio habenda est;

Tom. II.

Bb

ut

ut purior qui sit in castris deligatur, in quo Princeps degat procul a vallibus, & aquis stagnantibus, præcipue si de arce aliqua obsidenda agatur. Solent enim, qui de proxima obsidione suspicantur, si flumina habeant vicina, effractis aggeribus, campos circumjacentes inundare, ut hostes quantum possint arceant, contra quos aer impurus militet. Sic olim Neapolis a Gallici exercitus obsidione soluta est ex aquis stagnantibus per æstatem corruptis, exercitu magna ex parte absumpto, ac tandem *Lotrechio* ipso ductore extincto. Morbi castrenses pessimæ alioquin naturæ, qui ubi grassari incipiunt, magnos exercitus non solum decimare, sed interdum penitus delere visi sunt, tribus ut plurimum causis originem acceptam referunt, aeri nimirum vitio, aquis corruptis, & pravis cibis; hinc malignæ febres, & dysenterix, vulgo castrenses, cujus rei apud Scriptores funesta exstant exempla, quæ referre longum esset. Non minus ergo ab aeris inquinati, quam ab hostium infidiis securum esse necesse est locū, in quo Principis persona moratur, neque castris ubi gregarii milites degunt ita proximum, ut gravem illam mephitim ab iis exhalantem recipiat. Apud *Judæos* ex legis edicto mundities in castris maxime præcipiebatur; illis enim vetitum erat, ne intra castra alvi fœces redderent, sed extra ipsa facto foramine in terra in illo ventrem exonerarent, ac operirent; tenebatur propterea quilibet miles gestare ad latus paxillum acuminatum, quod apud *Turcas* in usu esse memini me legisse, in quorum castris mundities maxime colitur, in cujus gratiam cuique militi una cum victu necessario suppeditatur quoque saponis portio, ut corpora a sordibus, quam maxime repurgata habeant. Placet hic *Deuteronomii* verba 23. Capitulis apponere. *Habebis locum extra castra, ad quem egredieris ad requisita naturæ, & habebis paxillum cum armis tuis, & egesta operies, quo relevatus es.*

Non minor diligentia est adhibenda, ut aquarum bonarum copia e fontibus, seu puteis, & fluminibus laudatæ bonitatis præsto sit pro pane laborando, coquendis cibis, & frige factoriis potionibus per æstatem parandis, vinisque generosioribus diluendis, imo ubi castra transferre liceat, & longo itinere sit procedendum, consultum erit inter commeatus, & ea quæ ad victum sunt necessaria, aquam in vitreis vasis diligenter asservatam pro persona Principis deferre, tanti enim facienda est illius bona valetudo, quanti spes victoriæ, & fortunati eventus, Principe enim incolumi, & bene valente, mens omnibus una. Cæterum hac in re tanta semper esse non potest providentia, & consilium, ut cum suis copiis Ductores, siti, ac fame aliquando non premantur. *Cato Uticensis* in magna illa bellorum civilium tempestate *Pompeii* partes secutus, cum esset in *Lybia* cum suo exercitu, magna aquæ inopia laboravit, adeo ut milites in siticulosa illa regione, præ intoleranda siti perirent; forte autem a loci scrutatoribus reperto lacu, sed a turba serpentum, qui eo se conferebant ad sitim levandam, circum obfesso, exhorrebant milites illius aquæ potum, tanquam veneno infectæ, quod cum rescisset *Cato* eo accurrens, suos adhortari cepit, ut ex illius aquæ potu, tanquam innoxio sitim restinguerent, sic autem apud *Lucanum*, non solum tanquam Philosophus, sed tanquam nostrorum temporum peritus Medicus milites alloquebatur:

Neu dubita miles tutos baurire liquores;

Noxia serpentum est admisto sanguine pestis,

Morsu virus habent, & satum in dente minantur,

Pocula morte carent, dixit, du biumque venenum

Haussit

Memoratu quoque dignum est, quod *Bruto* post Dictatoris cadem contigit, hic enim,

enim, ut in 6. Quæst. Con. *Plutarchus*, *Dyrachio* Apolloniam media hyeme per altas nives contendens, bulimia, hoc est canina fame premi cœpit (cujus affectionis causa creditur a Medicis longum iter habere per nives) ut animo deficeret, & qui commeatus portabant longe adefsent, milites Ducis commiseratione ducti ad Civitatis muros accurrere panem ab hostibus postulantes, quem cum ipsi prompte & liberaliter indulgissent, *Brutum* refecerunt, qui postea Urbe illa potitus, magna humanitate erga cives in deditiōem acceptos est usus. Cum autem in castris non sint quærendæ magnæ deliciæ, ut in Aulis, sed tolerare oporteat æstus, frigus, ventorum injurias, & vigilias, multaque alia incommoda, subitas fugas etiam interdum, si cogat necessitas, idcirco Principem assuescere necesse est ad horum omnium tolerantiam, ut ad subitas mutationes minus patiatur sanitas; quotidiana itaque corporis exercitia convenient, uti equitare intempestivis horis etiam, deambulare castra invifendo & subdio potius, quam in tabernaculis diem traducere, sic enim paulatim confirmabitur corpus ad tolerandos labores, & aeris, atque ventorum injurias. Non desunt Regum & Imperatorum exempla, qui licet in Aulis molliter enutriti, diuturna assuetudine corpora sua durarint ad quoscumque militaris disciplinæ labores tolerandos, sine valetudinis injuria non secus, ac gregarii milites. *Henrici IV.* Galliarum Regis, qui sua virtute, & longa patientia, modo victor, modo victus, Regnum tandem sibi comparavit, fortitudinem & corporis robur Galli ipsi admirantes, Regem ferreum habere se prædicabant. Non abfimile exemplum nuper vidimus in Regia celsitudine Serenissimi *Ducis Sabaudia*, qui non minus corporis, quam animi viribus, gallici exercitus ferro & igne cuncta devastantis impetum ad plures annos sustinuit, ac tandem in Regiæ suæ obsidione, noctu diuque vigil huc & illuc discurrens ad eludendos hostium co-

natus, quietem nescivit, donec fugatis hostibus, Urbem suam obsidione solutam fortis & valens adspexerit. Quando igitur in castris tam exactum vitæ tenorem servare fere impossibile est, non debet tam arctis Medicorum legibus obligare se Princeps, sed uti monet *Celsus*, *variâ vitâ genus habere, quiescere interdum, frequentius exerceri, interdum in convivio esse, interdum abstinere, modo plus justo, modo non amplius assumere*; temperantia attamen nunquam ableganda, a nimia enim ciborum copia, & satietate cavendum, & a vini meracioris usu, siquidem cum per æstatē militares expeditiones fieri soleant, & principaliora opera, vina generosa largius epota, ad valetudinem potius infirmamandam, quam confirmandam erunt idoneæ; non male propterea *Plato* in libro de Legib. (quem locum citat *Gal.* lib. quod Anim. Mores seq. Corp. Temper.) vini usum vetabat in castris, & iis potissimum, qui in imperio essent constituti.

Cum autem corporis otio interdum, ut in longis obsidionibus, indulgere liceat, animi oblectamenta non erunt omittenda, ut quæ ad valetudinem servandam non parum conducant, omnia enim sive bona, sive mala corrivant ab animo in corpus, uti agebat *Plato* in *Timæo*; talia vero sint oblectamenta, quæ Principem sapientem magis deceant, veluti colloquia cum doctis & literatis viris, quos secum adduxerit, lectio librorum diversi generis, sed optimum erit legere historias tum veteres, tum novas, ex quibus multum voluptatis, & eruditionis capiet. Sacras quoque literas legere, uti libros Regum, erit perutile, lectio pariter librorum de Re Militari, de Morali Philosophia, optima suggerent documenta. *Augustus*, qui Principibus tum pace, tum bello egregium est exemplar, in castris apud Mutinam legere, scribere, ac declamare pro more habebat, referente *Svetonio*. Sic *Julius Cæsar* curis militaribus, rerum naturalium, & celestium præcipue contemplationem inter-

miscebat, sic apud Lucanum de seipso loquebatur:

*media inter praelia semper
Stellarum Caelique plagis, superisque
vacavi,*

Alea quoque interdum ludere cum suis inimicioribus, utilitati erit ad animum a curis gravioribus avertendum, sicque varios fortunæ lusus condiscere. Memoratu dignum est, quod de *Theodorico Gothorum Rege*

refert *Sidonius Apollinaris*, de illo enim Rege, quotiescumque cum primoribus Aulæ luderet, Scriptor hæc habet verba. *Cum ludendum est, regiam sequestrat tantisper gravitatem, in bonis jactibus tacet, in malis ridet, in neutris irascitur, in utrisque philosophatur.* Iis atque aliis oblectamentis animum allevet, & ad omnes casus se componat, sciatque generosi Principis esse agere, & pati fortia.



197

BERNARDINI RAMAZZINI,

Medicinæ Professoris Primarii , &c.

ANNOTATIONES
IN LIBRUM
LUDOVICI CORNELII
DE
VITÆ SOBRIÆ COMMODIS,
SERENISSIMO PRINCIPI
CLEMENTI - JOANNI - FEDERICO ESTENSI
DICATÆ.

SERENISSIME PRINCEPS,



Hos Scriptores recte fa-
pere , qui postquam
opus aliquod accurate ,
quantam licet ,
elaborarint , Patro-
num quarunt , cujus
tutela ingenii sui scæ-
tum commendent , per-

*suasum quidem semper habui , SERE-
NISSIME PRINCEPS , sed nescio
quomodo mihi obigit eos imitari , qui
ubi alicujus operis ideam mente concepe-
rint , palam faciunt quid sit illud , de quo
scribere , & cui inscriptum velint , qui-
bus postea non raro evenit , ut multa in-
tercurrant , quæ operis absolutionem lon-
gum in tempus remorentur , sicque minus
gratum reddatur diu expectatum opus .
Etenim cum tribus ab hinc annis Muti-
nam venissem , ut SERENISS. PRINCI-
PI FRATRI Tuo librum meum , De
Principum valetudine tuenda offerrem ,*

*idque TE præfente egerim , puduit me
non parum incogitantia mea , quod non
antea opus aliquod conscripsissem , TIBI
quoque offerendum , sit enim Vobis SE-
RENISSIMIS FRATRIBUS , sua cui-
que literario munere , eodem tempore lita-
re potuissem . Ut autem pudori meo velum
aliquod prætenderem , CELSITUDINI
TUÆ pollicitus sum facturum me quod
parum caute omiseram ; Patavinum itaque
reversus cogitare cæpi , quomodo fidem
quam oppigneraram liberare possem , sed
veteribus malis novis accedentibus , mihi
a quacunque literaria occupatione feriari
necesse fuit , & ad luctandum cum ea ,
quæ mihi incubuit , malorum cohorte ,
animam intendere . Exegi tandem relu-
ctante licet adversa valetudine , quod ab
initio fueram meditatus , Annotationes
nempe in librum Ludovici Cornelii , De
vitæ sobriæ commodis ; hoc igitur est
quod CELSITUDINI TUÆ sistro , & vo-*

veo, *PRINCEPS SERENISSIME*, argumentum selegi nobilibus viris valde salubre, sed Principibus, quibus omnia commoda ad vitam in deliciis traducendam suppetunt, pernecessarium. Non solum in obsequii argumentum, sed etiam ad utilitatem Tuam hosce labores meos *TIBI* inscribere mihi mens fuit, si legere non gravaberis. Nullus autem dubito, quin sicut *SERENISSIMUS PRINCEPS FRATER TVVS* librum, quem obtuli, perbenigne exceptit, eadem quoque benignitate donarium istud meum sis

excepturus, cuius rei certam spem facit *Comitas Tua*, quam praesens sum admiratus, & suspiciunt omnes, cum in publicum procedis a generosa tua indole magna & egregia facta expectantes, cum aetas iusta adoleverit, siue *TE* ad arma tractanda, siue ad sacram militiam destinarent sydera; ad cuncta enim munia, quae generosum Principem deceant, prius a natura factus, quam institutus videris. Vale diu ac plurimum spes altera *ATTESTINI GENERIS*.

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS TULÆ

*Humillimus, Observantiss., & Addictiss.
Servus, & Cultor*

BERNARDINUS RAMAZZINI.

LECTORI BENEVOLO S A L U T E M.



Uamvis mei moris non fuerit ex aliorum operibus ansam capere libros conscribendi, aut Scriptorum opera Commentariis illustrandi, cum omnia quæ hætenus edidi tanquam propria ex paupere meo penu hauserim, memor nempe illius quod Epistola 33. scripsit Seneca ad Lucilium suum, nimirum turpe esse *Seni*, aut *prospicienti Senectutem ex commentario sapere*, huiusmodi Scriptores semper Interpretes, nunquam Auctores vocitans, lubuit tamen experiri quale sit hoc scribendi genus: Opus itaque quod olim Ludovi-

cus Cornelius de Vitæ Sobriæ Commodis edidit, Commentariis, & Annotationibus adornandum mihi selegi. Librum hunc Auctor Nobiliss. Patavii edidit Anno 1558. Typis Gratosi Perchacini, quem postea Petrus-Maria Frambotti Patavinus Typographus suis typis recudit anno 1699. adjecta ejusdem Scriptoris Epistola ad Reverendissimum Barbarum Aquilejæ Patriarcham, & Adhortatione ad Vitam Sobriam. Ut autem publicæ utilitati, & comodo operam meam impenderem, omnia isthæc Italico sermone edita latina reddere constitui, ad id agendum suadente D. Sprecher Nobili Theutone, qui Patavii ad aliquot menses commoratus est, ac me certum fecit gratum id opus futurum universæ

Germānicæ Nationi, si latine loqueretur. Equidem inficiari non possum, quin huic humanissimæ Nationi multum debeam, penes quam scripta mea humaniter, nec sine laude accepta fuere, ac omnia fere recusa, ut liber meus de Morbis Artificum in Linguam etiam Germanicam translatus fuerit, sic etiam opus meum de Principum Valetudine Tuenda, in actis Lipsiensibus honorifice vidi laudatum, cui Lipsiæ recuso nobilissimus Vir D. Michael Etmullerus, copiosum indicem, & præfationem adjecit. Omnia itaque hætenus Italico idiomate edita latina feceram, pro re certa habens id a nemine fuisse tentatum, cum maximam diligentiam antea hac in re impendissem. Sed forte a doctissimo Viro rescivi opus istud de Vitæ Sobriæ Commodis a Reverendo Patre Lessiæ S. J. Theologo celeberrimo, in latinum sermonem translatum fuisse, quod in fine operis Theologiæ Moralis positum est, summa cum voluptate perlegi. Huic doctissimo Viro injurius credi posse, mihi visus fuisset, si illius versionem meam præferre voluissem, præterea aliam quoque ob causam opportune ad notitiam meam hoc devenisse pro non vulgari beneficio habui, nam si translationem meam adhibuissem, procul dubio Carptor aliquis semiplagiarium me vocitasset, fugillando ex hoc Reverendo Patre me potiores dicendi formulas excerptissem. Contentus itaque esse volui, ut solum hunc tractatum commentariis, seu annotationibus physicis, philologicis, prout tulit occasio adornarem, cui negotio tempus vacationum a publicis lectionibus hujus anni successivis horis impendi. Tu Lector benigne hisce meis laboribus ad publicam utilitatem, & Vitæ Sobriæ commendationem fruiere, & Vale.

LUDOVICI CORNELII

VENETI

TRACTATUS

DE

VITÆ SOBRIÆ COMMODIS.



Erratum est usum in hominibus successu temporis verti in naturam, ita ut illos quodammodo cogat ad ea usurpanda, quibus consueverunt, sive bona ea sint, sive mala. Pari modo in multis rebus videmus usum consuetum habere plus virium, quam rationem. Neque id negari potest: imo crebro cernimus, eum qui probus est, consuetudine improbi exprobo fieri improbum. Et sicut bona consuetudo facile convertitur in pravam, ita e contrario prava subinde reducitur ad bonam. Nam is qui ex probo, consuetudine pravi factus est pravus, is consuetudine viri probi rursus redit ad probitatem pristinam. Et hoc totum procedit ex vi usus, & consuetudinis, quæ revera est magna.

Quæ cum mecum ipse perpenderem, animadverti ex vi usus in nostram Italiam non

non ita pridem, imo ævo meo, tres malos mores inuestos. Primus est adulatio, & aulicæ ceremoniæ. Secundus, vivere iuxta sensum, & doctrinam Lutheranam: quæ ratio vivendi ab aliquibus immerito defenditur consuetudine. Tertius crapula. Hæc tria vitia, vel potius crudelia vitæ humanæ monstra, nostris temporibus sustulerunt e vitâ civili sinceritatem, ab animo religionem, & a corpore sanitatem. Quamobrem statui tractare de ultimo, & ostendere esse abusum; ut si fieri possit tollatur. Quod ad opinionem Lutheranam, & adulationem attinet, brevi præclarum aliquod ingenium laborem sumet, ea refutandi, sicque spero ante mortem me visurum hos tres abusus extinctos, & nostram Italiam antiquis, & sanctis moribus suis restitutam.

ANNOTATIONES.

Non immerito sane consuetudo altera natura passim audit, magna enim & admiranda est illius potestas, afficit quippe non solum corpus, sed etiam animam. Satis notum illud Hippocratis de cibis deterioribus, sed consuetis, qui minus ledant quam meliores; stomachi enim fermentum, cum magna ex parte fiat ex reliquiis assumptorum, promptius dissolvit consuetos cibos, uti videmus in Mulieribus, & Virginitibus præcipue, pica & malacia laborantibus, quibus interdum indulgendum est, ut calcem & carbones modice comedant, ne deliquis capiantur; sic consueti ad labores, licet ex natura sua irabecilliores, minus patiuntur, quam fortiores, consuescunt enim spiritus animales facile confluere ad musculos, & partes magis exercitas, uti videmus in citharadis. Ratione quoque consuetudinis homines boni fiunt mali, & mali boni. Nemo repente malus, aiebat Satyricus, sic etiam nemo repente bonus, facilius tamen boni fiunt mali, quam mali fiant boni, ex vitio corruptæ naturæ nostræ ad malum proclivis; exempla habemus in iis, qui religiosum

aliquem cætum fuerint ingressi, nam licet ad annum fere integrum, obedientia, vitæ sobrietati assueverint, si forte institutura illud profiteri nolint, & ad secularem vitam redeant, ubi semel vestem exuerint, quamprimum pristinos mores induunt. Neque solum homines afficit consuetudo, sed etiam bruta, & plantas ipsas; nostris enim temporibus modus inventus est, quo plantæ nobis obs. qui, & fractus præcoces edere cogantur, veluti in pyris, quæ antea in arbores proceras crescere solebant, pumiliones factæ quam citissime cultoribus poma reddant, imo porrigant; eleganter propterea Virgilius dixit se assiduitate culturæ, coegisse, ut quamvis avido parerent arva colono. Tantum pollet omnibus in rebus consuetudo. Galenus in comment. Aph. 50. primæ sectionis mentionem habet sui libri de consuetudinibus, sed hic liber est inter ea quæ desiderantur. Legendus Gaspar A Reyes qu. 93. Camp. Elys. qui rara exempla de vi consuetudinis refert. Recte igitur Nobilissimus Scriptor a vi consuetudinis opus suum exorsus est ad Vitam sobriam inchoandam & assequendam.

Ut ego veniam ad id, de quo statui tractare. Dico crapulam esse rem perniciosam, quia vitam sobriam exstinxit, & plurimum sibi subiecit. Et quamvis omnes norint crapulam procedere e vitio gulæ, & vitam sobriam a virtute temperatiæ, nihilominus crapula habetur res liberalis & honorabilis, vita sobria res sordida, & contemptu digna. Hoc totum procedit ex vi consuetudinis, quam sensus & appetitus sensualis introduxerunt, qui ita inescarunt, & inebriarunt homines, ut relicta bona via, se converterint ad sectandam pravam, quæ illos latenter conducit ad peregrinas, & lethiferas infirmitates, & præmaturam senectutem, cum priusquam quadragesimum ætatis annum attingant, pene sint decrepiti. Oppositum, vita sobria, priusquam esset hinc abacta, præstabat, conservando homines in prospera valetudine, etiam anno ætatis octuagesimo.

O miseram, & infelicem Italiam! non advertis crapulam quotannis tibi plures eripere personas, quam posset e medio tollere, vel tempus gravissimæ pestis, vel multi armorum conflictus? Quid dicam de tuis conviviiis vere inhonestis, quæ jam passim in usu, quæ adeo sunt grandia, & intolerabilia, ut mensæ satis capaces fieri nequeant, propter infinitam ciborum multitudinem, qui imponuntur; ita ut opus sit lances alias aliis in cumulum imponere? Quis posset vivere in tantis excessibus, & vitæ humanæ infestis venenis? Per amorem Dei ponatur in istis modus, quia certus sum Majestati Divinæ ea maxime displicere. Abigatur ista nova mors, illa nostris majoribus inaudita pestis, ne tanta damna animis corporibusque inferat. Sic ut publica auctoritate sunt provisiones annonæ salubris, ita & in usu moderatio præscribatur, quæ valetudini civium sit consentanea. Nec desunt crapulæ exterminandæ etiam privata remedia, quibus quilibet apud se uti poterit; nimirum si vivat secundum naturæ simplicitatem, quæ paucis est contenta, teneatque medium sanctæ temperantiæ ex rationis præscripto, & assuescat non comedere amplius, quam vitæ necessitas postulet, certo sibi persuadens, illud amplius infirmitatem esse, & mortem. Cogitet voluptatem palati momentaneam, sed noxam quam infert corpori, & molestiam diuturnam, eamque tandem ipsum corpus una cum anima perimere. Vidi ego multos ex meis amicis præstantissimi ingenii, & nobilis naturæ, florenti ætate abreptos ista peste intemperantiæ, qui si viverent, essent & Mundo ornamento, & multis mortalibus solatio. Itaque ut tantis damnis occurrere impossibilem, statui hoc brevi discursu patefacere, intemperantiæ esse abusum, qui facile possit tolli, vita sobria in ejus locum introducta. Quod eo libentius faciam, quod multi juvenes ingenio præstantes me ad hoc obstrinxerunt.

ANNOTATIONES.

Crapula vitium, quod semper damnabitur, & semper retinebitur, non abs re pesti similis, imo vere ipsa pestilentia tractentior ab operis auctore dicitur, utpote quæ latius vagetur, & magnam hominum partem ad interitum deducat. Quod vero magis dolendum non in vulgares homines, sed in Nobiles Viros dirigitur suam exercet voluptuosa hæc pestis; neque enim in rusticana gentis mapalia, neque artificum tabernas, sed in magnificas ades Regumque turres pedem immittit. Crapula populariter quidem magna intemperantia in victu, tam in esculentis, quam potulentis rebus audit, proprie tamen accipitur pro ebrietate ex vino, ut patet ex aphorismo 5. 5. sect. ubi Hippocrates scripsit, quod qui repente ebrii obmutescunt convulsi moriuntur nisi febre corripiantur, aut ubi ad horam deveniant, qua solvantur crapulæ, vocem recuperant, qua de re legendus Galenus in commento; hinc Medici medicamenta a crepala excogitarunt, qua ut ex Joanne Corrao in definitionibus Medicis, ea sunt quæ ebrietate fieri vetant, vel jam factam discutiant, & alia novæ amethysta appellantur; inter amethysta, quæ ebrietatem arceant, vel jam factam discutiant, laudatus Corraus recenset absinthii potum ante cibum, item mirtis flores, myrrhæ, & rutæ, tritorum ex aqua, post epulas vero brassicam, lactucam, sicuti etiam floris amethysti herbarum odor, corona e croco, vel ex ramulis ajugæ, & multa, quæ vapores excutiunt ac dissipant, hoc idem præstare gemmam amethystam, & temulentia adversari ajunt. Curiosum est quod refert Plutarchus Questionum Convivialium Lib. 1. c. 6. de Medico quodam, qui apud Drusum Tiberii Caesaris filium omnes lacepsbat poculis, ac ne tentaretur crapula, quinque vel sexas amygdalas amaras præsumebat,

bat, verum detectus, cum prohiberetur, & observaretur, ne tantulum quidem vino resisteret. Et mihi in Schrod. & Morellam de compos. medic. p. 313. pillulas aleophraginas commendat ad præservandum ab ebrietate ubi necesse est, ut bene potemus, ut ipse ait, quod forsitan præstabunt ob insignem amarorem, quem habent; non male autem doctissimus Scriptor post laudatas pillulas subdidit, ubi necesse est ut bene potemus, cum enim quis ad symposium invitatus acceperit, symposii legibus se adstringit, ac illi necesse est liberalius, quam ut solet potare, animum exhilarando; sobrietas enim in conviviiis semper suspecta esse consuevit; cum enim liberi Patris sacra celebrantibus mos sit quæ operta sunt recludere, & libere loqui, qui circumspecte petant, nec mero se proluunt, cæteris odio esse solent; hinc Adagium illud manavit, Odi memorem compotorem, & dictum illud, aut bibat, aut abeat. Sic eleganter Martialis, jocus est in quendam nomine Procillum, hic enim cum apud Poetam cænasset, & ambo ad bibendum se invitassent, Martialis eum vocavit postridie ad cænam, Procillus invitationis memor, Martialis domum die sequenti cænaturus adiit, at ille jocando, vulgari dicto Odi memorem compotorem Procillum incænatum dimisit.

Hæsterna tibi nocte dixeramus.

Quincunces puto post decem peractos:

Cœnare hodie Procille mecum.

Tu factam tibi rem statim putasti,

Et non sobria verba subnotasti.

Exemplo nimium periculoso

Μισὸν μνησθὲν οὐκ ἔστιν ἰσχυρὰν.

Nam vero medicamenta, quæ acrepala vocant, id præstent quod pollicentur, mihi compertum non est; id unum tamen scio, quod etiam si ab ebrietate præservandi suam illam discedendi vim habent, semper tamen noxia futura, ut quæ prohibeant, ne vinum copiam mala quæ intulit discedat, nam ut dici solet, vinum eas quas facit dispositiones, sanat.

Cum enim viderint parentes suos ætate florenti extinctos, & me in ætate 81. annorum adeo sanum, & valentem, incessit illis desiderium eodem perveniendi, meque rogarunt, ut modum, quem ea in re tenui, aperirem. Itaque ut illorum honesto desiderio faciam satis, & simul alios multos, qui hoc expendere volent, juvem, declarabo causas, quæ me compulerunt intemperantiam deferere, & vitam sobriam capessere, narrando modum, quem ea in re secutus sum, & quodnam bonus iste usus, in me sit operatus. Hinc clare cognoscetur, quam facile sit vitium intemperantiæ superare. Adjungam in fine, quantos fructus ex vita sobria capiamus.

ANNOTATIONES.

Recte quidem ac sapienter senectutem vitam meliorem partem appellat, cum in ea ætate homines corporis illecebris minus infesti, prudentiam cæterasque virtutes exercere valeant. Seneca epistola 59. ait dubitari posse, an senectus fœx vitæ sit, an liquidissimum, & purissimum quiddam, ego autem problema istud sic solvi posse crediderim, fœcem vitæ senectam in iis, qui Baccho, & Veneri indulserint aliisque deliciis; puram autem & sinceram esse quiddam, in iis qui in juventute, & virili ætate frugalissimi vixerint. Philosophus quidam centesimum annum agens dolebat, quod tunc temporis mori deberet, postquam didicisset quomodo esset vivendum. Corporis atque animi vires eodem tempore vigere non possunt; non enim efflorescit virtus animi, nisi vis corporis deflorescat, agebat Plato, ac Heracliti dictum erat, lux sicca, anima sapientissima. Senes etenim mole corporea minus pressi aptiores sunt ad sublimiora contemplanda, hinc manavit illud, facta juvenum, consilia senum. Sic Agamemnon dicere solebat, quod si decem homines Nestori similes habuisset, se brevi Troja potiturum fuisse. Non desunt exempla Scriptorum, qui in ultimo senio egre-

gia scripta ediderint, uti Sophocles, qui *edipum suum recitando Theatri plausum promeruit, & filiorum calumniam diluit; sic Cicero jam senex librum de senectute edidit. M. Varro quoque de re rustica scripsit 80. annum agens. Octavius Ferrarius olim in Patavino Lyceo eloquentiæ Professor jam septuagenarius opera varia conscripsit; atque elegantissimam orationem de bono senectutis habuit. Recte igitur nobilissimus Scriptor noster senectutem potiore fructum humanæ vitæ dixit; homo enim cupiditatibus solutus, atque expertus quantum sit in rebus inane, ceterorum inter tempestates, & procellas luctantium calamitates, tanquam in portu respicit. Talem vero senectam, quæ progressu ætatis cum vitæ sobrietate exactis successerit, verum & potiore vitæ humanæ fructum esse, rationes quoque Medicæ palam faciunt; etenim in hujusmodi ætate sanguinis & aliorum fluidorum in orbem motus placidus est & compositus, ubi in juventute turbulentus est, & inæqualis; bilis ferocia ab humore melancholico, qui in hac ætate prævalet compescitur, unde est quod melancholici dicantur ingeniosi: totius enim corporis temperamentum ad siccitatem vergit, sicque anima rationalis, ab humorum mole minus pressa, ad operationes suas obeundas promptior est.*

Dico ergo, infirmitates, quæ non solum initia in me dederant, sed etiam magnos progressus fecerant, causam mihi præbuisse relinquendæ intemperantiæ, cui multum eram addictus. Per hanc enim, & pravitatem mei temperamenti (cum stomachus mihi esset frigidissimus, & humidissimus) incidiram in varios morbos, nempe in dolorem stomachi, & sæpe lateris, initiaque podagræ, cum una febricula fere continua, & siti perpetua. Ex hac pessima dispositione non aliud mihi restabat expectandum, quam ut post multas vitæ molestias, ac dolores finem acciperem per mortem: cum tamen vita mea tantum per naturam adhuc abesset a termino, quantum per intemperan-

tiam, ei erat propinqua. Cum igitur hisce modis affectus essem, ab anno trigesimo quinto usque ad quadragesimum ætatis meæ, adhibitis, & tentatis omnibus remediis absque fructu, dixerunt Medici, unam adhuc meis malis superesse medicinam, si velim ea constanter uti, & patienter continuare, nempe vitam sobriam, & ordinatam, hanc habere maximam vim ad sanitatem recuperandam, & conservandam, sicut ei contraria maximam vim habet, ad eam labefactandam, & extinguendam; ut ego jam experientia didiceram. Illa enim homines prævæ complexionis, & ætate decrepitos conservat sanos, hæc etiam ætate florentes, & perfectissimæ complexionis prosternit, & longissimo tempore in morbis detinet. Quod etiam ipsa ratio convincit. Nam contrariæ causæ, contrarias habent operationes & effectus: vitia naturæ sæpe arte emendari, terrasque steriles & magnas mangonio agriculturæ reddi fertiles, & fructíferas. Addebant, nisi tali remedio tunc uterer, intra paucos menses me eo redactum iri, ut amplius juvari nequeam, & postea intra paucos alios moriturum. Auditis his rationibus, cum abhorrerem a morte adeo præmatura; & premerer assidue morborum doloribus, persuasus fui, ex temperantia, & intemperantia necessario supradictos contrarios effectus nasci debere, & spe bona vitandæ mortis, & emergendi e doloribus animatus, statui me dedere vitæ ordinatæ.

Itaque accepto ab illis modo, quem deberem tenere, intellexi me non posse comedere, aut bibere nisi e cibis, & vino, quæ vocantur infirmorum, idque in modica quantitate. Idem mihi antea mandarant, sed ego tunc temporis, cum modo meo vivere vellem, & tales cibos fastidirem, non acquiescebam; sed vescabar cibis palato gratis, & cum sentirem internos ardores, bibebam vina gustui amica, idque magna copia, nec tamen ea de re quidquam Medicis dicebam, ut passim moris est infir-

morum. Sed postquam statui sectari temperantiam, & rationis ductum, & viderem non esse rem difficilem, sed proprium, & debitum hominis officium, ita me addixi huic vivendi rationi, ut nunquam a recto tramite deflecterem. Quod cum facerem, paucos intra dies cœpi cognoscere, tali modo me plurimum juvari, cumque continuando, intra spatium temporis minus anno (& si videri queat alicui incredibile) fui ab omnibus meis infirmitatibus prorsus immunis, & liber.

ANNOTATIONES.

Ingenua sane confessione, ut solent magni Viri, nobilissimus Scriptor errores suos, & difficultatem exponit, in deliberatione transitus a vita tanta, & opipara ad frugalem, & sobriam, non secus ac olim D. Augustinus, in Libro suarum Confessionum animi anxietatem, quam passus est, ab erroribus mentis, quibus involutum se agnoscebat, ad veram Religionem transcendendo. Medicorum itaque consiliis, qui Cornelio suadebant nullam aliam spem a morte evadendi superesse, nisi totum sobrietati, ac continentiae se dederet, auscultans, paucorum dierum spatio expertus est, quanta vis esset in victus moderatione, ut unius anni decursu, se cum sanitate in gratiam rediisse cognoverit; ubi enim antea stomachi imbecillitate, renum passione, lenta febre, & podagra laboraret, integer, sanus factus est. Quid possit in arthriticis fluxionibus parcitas ciborum, & a vino abstinence multa apud Scriptores prostant exempla; unum sufficiat referre quod legitur apud Gasp. A. Retes in Campo Elysio lucundarum questionum quest. 87. & Drexellium in Gymnasio patientiae; exemplum est Francisci Pechii Viri illustris, qui 19. annorum spatio solo pane & aqua potu ab arthritide a qua male predebatur liberatus est. Miseranda quidem, sed curiosa, & scitu digna est huiusmodi historia, quae apud laudatos Auctores fuisse describitur,

Vir iste nobilis Italus quinquagenarius, dum iter ageret, a Marchione quodam, cui magno odio erat, per insidias captus est, & in carcerem sedum & putidum detrusus est, custodia & cura servo commissus, ea lege, ut singulis diebus, nil aliud captivo suppeditaret, quam frustulum panis, & aquae pauxillum, in hunc finem ut non moreretur, sed solum, ut se quotidie mori persentiret, hoc victu in eo carcere detentus est, usque ad 19. annos, quo tempore Arce illa a Gallis capta, reperi- tus est Vir ille in eo carcere inclusus, promissa barba ad pectus, laceris vestibus, ut larvæ potius, quam hominis speciem referret; eductus itaque tanquam a sepulchro & libertati est restitutus, sed sanus & a podagra omnino immunis, ad patriam rediit, ubi omnibus, qui illum nov- rant, magnæ admirationi fuit, dum illum spectarent gladio accinctum, ab arthritide integrum & sanum, cum antea vix baculo posset incedere. Tam grande beneficium a victus sobrietate, licet co- acta, retulit Franciscus Pechius. Rationibus ergo, & exemplis satis patet quanta commendatione digna sit vita sobria, quare mirari subest, quomodo Spero Speronius Auctori nostro Epistolam scripserit, in qua variis argumentis, ingeniosis ta- men, vitam hanc sobriam improbare con- tendit.

Sanus effectus cœpi considerare vim temperantiæ, & ita mecum reputare: si temperantia tantas habuit vires, ut tanta mea mala profligaret, & sanitatem adduceret; multo magis vim habebit, ut mihi sanitatem conservet, & pravam meam complexionem juvet, & debilem stomachum corroboret. Quapropter diligentissime cœpi investigare, qui cibi propolito meo congruerent, qui adverterentur, & statui experiri, si illi qui gustui placeant, mihi commodum, an noxam adferrent; & an proverbium illud, quod homines gulæ dediti, se tueri solent, Quod sapit, nutrit, & juvat, sit veritati consentaneum. Hoc cum facerem

rem deprehendi esse falsum: nam vina fortia, & frigidissima optime mihi sapiebant; similiter Melones, & alii fructus, lactuca cruda, pisces, caro porcina, tortulæ, legumina, cibi ex pasta farinæ, & similes; tamen ex his omnibus nocuum sentiebam. Itaque experientia fretus, ciborum illa genera, & vina fortia, & potionem frigidam reliqui, assumpto vino, quod stomacho meo esset commodum, eaque mensura, quæ facile posset concoqui, idem feci in cibis quod ad qualitatem, & quantitatem attinet; simul ita assuescens, ut nunquam appetitu cibi potiusve satur a mensa discederem, sed possem amplius comedere & bibere: secutus ea in re dictum commune, *se non satiare cibis, studium esse sanitatis.*

Hac ratione, submota intemperantia, me addixi vitæ sobriæ, & regulatæ, quæ primo in me operata est id quod dixi, nimirum, ut intervallo minore quam unius anni liberatus fuero omnibus malis, quæ tanto tempore me obsederant, & reddita erant quæ incurabilia; deinde ut imposteriorum non amplius quotannis in morbum inciderem, sicut antea solitus eram, cum sensibus, & appetitui obsecundarem. Ab eo itaque tempore liberatus fui, & sanissimus effectus; idque mihi in hanc horam continuavit, eo quod a suscepta sobriæ vitæ ratione nunquam discefferim, quæ suavi admirabili efficit, ut cibus & potus congrua mensura assumptus, vim suam corpori relinquat, & superflua sine difficultate exeant, nullo pravo humore in corpore generato.

Cum hac diætâ, ab aliis quibusdam nocuentis mihi cavi, nimirum a nimio calore, frigore, fatigue, vigiliis, & ab excessu in opere venereo; itemque ab habitatione noxii aeris, a ventis, & solis ardore. Etsi enim in mensura cibi & potus, ratio valetudinis potissimum consistat; tamen illa quoque, quæ jam commemorata, suam vim habent.

ANNOTATIONES.

Affertioni Scriptoris nostri, qua dictum illud satis vulgatum, quod sapit, nutrit, falsum esse pronunciat, non tam facile assentiri possum, siquidem etiam si aliquando id quod gustui pergratum est, stomacho noxium deprehendatur, & pro alimonia potius pravorum humores suggerat, id probabilius acceptum referri posse crediderim intemperantiæ, dum perdifficile est, ut in re suavi, & jucunda, temperantiæ modus servetur, neque solum in ciborum genere; sed multis aliis in rebus voluptuosis, ut in aphrodisiaco negotio, quod si rarum sit, corpus excitat, si frequens dissolvit, ut ait Celsus, non frustra equidem lingua, & palato tam exquisitum sensum natura indidit, ut mediante gustu non solum homines, sed bruta quoque dignoscerent quæ salutaria, quæ noxia. Plantarum virtutes proprias, gustu, & odore dignosci posse, passim tradidit Galenus in Libris de Simplic. Med. facultatibus. Curiosum est quod observatur in bobus, equis, aliisque animalibus, nam si illorum ori offeratur herba fascioulus, in quo aliqua sit planta ipsis ingrata, solo odoratu eam cognoscunt, atque adversantur. Sic passim videmus, quod si naribus graveolentia offerantur, seu quid amarum, aut acre gustetur, illico stomachus noxam sentit, & aversionem demonstrat, in versis fibris ad nauseam usque; hæc tamen intelligenda velim de corporibus sanis; in agris enim res jucunda & suaviores in fastidio sunt, & deteriora appetuntur, depravatis nempe fermentis partium, & ventriculi; modus itaque servandus in iis, quæ gustui blandiuntur; non ibi tamen inficias, quin quædam sint, quæ sensus gustum pelliciant, & parum vel nihil nutrant, ac interdum graviter lædant, qualia sunt fungi, venenum voluptuosum, ut illos vocat Plinius, quæ integras interdum familias, & tota convivio funestant, ut plurimum tamen in humanis corporibus: quæ palato sapiunt luben-

ter excipit stomachus, & ex iis benefici-
cium, atque solamen experitur, ut exem-
pli gratia per astatem acida, quæ avide
appetuntur, acidum ventriculi, ex bilis
prædominio depressum exaltant, per hye-
mem dulcia aromatica, vina meraca idem
sumentum multo acore saturatum con-
temperant, & ad dulcedinem quandam
deducunt.

Non solum autem iis qui sanitati, &
longævitati student, necesse esse a ciborum
quantitate, & qualitate temperantiam, sed
a multis alijs cavendum esse, veluti nimio
exercitio, ab insalubrium locorum habita-
tione, a ventis, & insolatio, a quibus cavere
homini libero non admodum difficile esse
scribit Auctor noster. Multum autem refert
in quo loco quis vitæ maiorem partem tra-
ducat; Bæotia olim male audiebat, Croton
vere bene, unde manavit Adagium Crotone
salubrior; ubi enim aer purus est, homines
longævi sunt, aer siquidē non solum in cu-
te, sed intus nostra viscera perlustrat, quare
Hippocrates in Libro de Flatibus aerem
auctorem, & dominum appellabat eorum
quæ in nostris corporibus accidunt. Exer-
citiū contrarias habet vires, modicum
implet, immodicum extenuat, quod idem
de fritione scripsit Celsus. Ventus nihil
aliud est, quam aerei oceani tempestas, un-
de fieri nequit, quin tota humoralis massa
susque deque agitetur; insolatio vero æsti-
vo tempore præsertim capiti, ac universo
corpori valde noxia est. Observatione di-
gnum quod scripsit Hippocrates, Æstate
lente ambulandum, præter quam ad So-
lem, in promptu autem est ratio, quia mo-
to ac diverberato aere, solares sagittæ mi-
nus feriunt.

Servavi me quoque quantum potui
immunem ab odio, & malencholia, aliisque
animi perturbationibus, quæ magnam in
corpora nostra vim obtinent, Non tamen
ita potui me ab omnibus istis servare libe-
rum, quin subinde in quædam inciderem,
sed ea res mihi ad hoc adminiculo fuit, ut
cognoscerem per experientiam, illa non

magnam vim habere, nec magna posse
damna inferre in corpora, quæ moderatio-
ne cibi, & potus bene sunt disposita, ita ut
vere possim dicere, eos, qui in duobus istis
quæ per os intrant, congruam mensuram
servaverint, ab alijs excessibus parum no-
cumentum passuros. Confirmat id Galenus
cum ait, omnes alios excessus v. g. solis
ardorem, frigora, ventos, labores, partim
ei nocuisse, eo quod in duobus illis, quæ
per os intrant, nimirum in cibo, & potu
debitam moderationem servaret, ac proin-
de ab illis incommotis nunquam ægro-
tasse, nisi per unum diem, Id ita se habere,
per experientiam cognovi, sicut testari pos-
sunt multi qui me noverunt. Sæpe enim
passus frigora, calores, & alia huiusmodi
corporis incommoda, sæpe animi non mo-
dicas vexationes: sed parum hæc mihi no-
cuerunt, cum tamen alijs, qui temperate
non vivebant, nocuerint plurimum. Cum
enim frater meus, & alii quidam de mea
familia viderent, notam mihi a viris po-
tentibus litem maximi momenti, & me-
tuerent ne causa caderem, correpti sunt
humore malencholico, qui in corporibus
vitæ inordinatæ solet abundare, qui mali-
ginitate contracta, ita increvit, ut eis mor-
tem præmaturam attulerit. Ego vero cui
res maxime cordi esse debebat, nihil passus
sum incommodi, eo quod talis humor, in
me non esset superfluous, quin imo ut mihi
iple animum adderem, conabar credere,
divina providentia hanc litem mihi excita-
tam, ut cognoscerem, quantam vim sobria
vita in corporibus animisque nostris ha-
beat, ac tandem me fore victorem, sicut
paulo post evenit. Nam in fine victoriam
retuli magno meo honore, & fructu rei fa-
miliaris. Unde percepi maximum gaudium,
quod tamen corpori nocumentum inferre
non potuit. Ex quibus perspicuum est, ne-
que melancholiam, neque alium animi ef-
fectum nocere posse corporibus vitæ tem-
peratæ.

ANNOTATIONES.

Quid possint in humanis corporibus animi pathemata, qualia sunt amor, odium, timor, ira, spes, improvisum gaudium, & alia huiusmodi, vel ex hoc intelligi potest, quod in vultu hominum se prodant, & proprios in promptu habent colores; qua de re legendus Chambræus in Libro de Passio- num characteribus. Exstant apud Scripto- res in hanc rem memoranda historiae eo- rum, qui ex nimio iræ impetu, timore, im- proviso gaudia, repentina morte obiere. Inter Philosophos veteres inventi sunt, qui apathiam sibi procurarent, veluti Stoici, atque animum ita firmare solebant, ut ni- hil quæ ex fortuitis casibus eveniunt, il- lorum pacem interturbare possent, unde Anacharsis, cum in mortario tunderetur, tunfori suo dixit, corpus nō animū tundis. Epicurei, qui voluptatum cupidissimi, in- dolentia studebant, quotiescumque dolore aliquo afficerentur, ut refert Cicero de Fi- nibus Bonorum, hoc unicum habebant so- lamen, dicendo dolor si magnus, brevis, si longus, levis. Non immerito damna- bat Seneca Democritum omnia irriden- tem, & Eraclitum, humanas misérias de- flentem: alienis malis torqueri æterna mi- seria est, aliorum mala ridere inhumanitas est, utraque igitur extrema evitanda, medio- critas autem laudanda, neque solū in aliis, sed in seipso quæque, ubi quis infortunio aliquo, vel animo, vel corpore afficitur, re- fte propterea idem Seneca de Consolatione ad Polybium protulit, nam & mala sua non sentire, non est hominis, & non ferre non est Viri. Moderamen igitur habendum in animi passionibus regendis, ne sanitati officiant, seu quam minime ledant; recte propterea scribit Auctor noster, iis qui sobriam vitam agant, non tam graves noxas inferre animi pathemata, uti in iis qui inter delicias & mensas opiparas vitam traducunt, uti in se ipso expertus est lauda- tus Scriptor noster, licet non lev. in vexa- tionem ob lites familie suæ intentatas

passus fuisset, eidem fato non succubuit, ac illius Frater, qui animi mærore com- fectus interiit, quale beneficium soli vitæ sobrietati acceptum refert.

Amplius dico etiam contusiones & Iap- sus, qui aliis periculum mortis adferre so- lent & gravissime afficere, non posse nisi modicum nocumentum & modicum dolo- rem talibus corporibus adferre. Hoc ita esse, experientia probavi, cum essem se- ptuagenarius. Cum enim rheda celeriter procederem, accidit eam everti, & sic ever- sam per aliquod spatium impetu equorum raptari. Hinc graviter mihi læsum caput & corpus universum, & insuper alterum brachium, & altera tibia suis juncturis di- vulla. Domum relatus, cum a Medicis viderer adeo male mulctatus, conclusertunt me intra triduum esse moriturum. Nihilo minus posse in omnem eventum ad- hiberi duo remedia; sectionem venæ, & me- dicamentum evacuans; ut humorum af- fluxus, & inflammatio, & febris (quæ cer- tissime mox putabatur secutura) impedia- tur. Ego contra, cum scirem vitam meam ordinatam tot annis continuatam, humo- res corporis mei ita temperasse, & dispen- sasse, ut non possent multum conturbari, aut confluxum gravem efficere, recusavi utrumque remedium & solum iussi ut ti- biam & brachium suis juncturis restitue- rent, & singulas partes congruis oleis un- gerent: sicque absque alio remedio conva- lui, nullo alio incommodo, nulla altera- tione affectus, quæ Medicis instar miraculi visa. Unde concludo, eos qui vitam tem- peratam colunt, parum mali ab aliis in- commodis lenturos.

ANNOTATIONES.

Egregium porro documentum ad Medi- cam Praxim suggerit casus, quem Scri- ptor noster sibi accidisse refert, dum enim curru veheretur, raptis in sagam equis, & curru revolutis, annum agens 70. gra- ves capitis percussiones, & luxation. in brachio, & uno crurum passus est, quam ob

causā phlebotomiam a Medicis imperatam sibi noluit administrari, ac perfecte convaleuit. Hac in re non leviter interdum a Medicis peccatur; nam in vulneribus, in casu ab alto, luxationibus, ossium fracturis, indiscriminatim venam secari jubent, ita ut piaculum videatur, si tale remedium omisum fuerit; siquidem si tempestive luxatum os fuerit repositum, & convenientes ligaturæ factæ fuerint, & Patiens sanus sit, ac ad temperantiæ leges degere solitus, a prudenti Medico omitti potest venæ sectio; Recte propterea sibi consuluit Nobilis Scriptor, rejecta sanguinis missione, qui jam satis norat in suo corpore non adesse nec plethoriam, neque cacochimiam, ob prægressam vitæ sobrietatem, quæ in hujusmodi casibus utramque paginam absolvit. Multum autem refert, num qui ab aliquo externo casu leditur, uti ex vulnere, casu ab alto, articulorum luxationibus & hujusmodi accidentibus sit perfecte sanus, sive pravis humoribus scateat, sit enim persæpe, ut ex parvo vulnere, quis moriatur, alius ex magno convalescat, quod non nisi referendum ad malum apparatus latentem in primo casu, & in secundo ad bonā humorum constitutionem. Aureus locus est Hippocratis in 5. Epidemiorum. Pulchra Nerei filia, a muliercula amica ludente, lata manu percussa est in sinciput, & tunc quidem vertigine capta est, & sine spiritu erat, & cum domum venisset, statim febris ardens corripiebat, & caput dolebat, & rubor circa faciem erat, nona mortua est; legendus Vallesius in commento. De iis, qui ex levi vulnere seu contusione moriuntur, Hippocrates hæc scripsit verba in Libro de Cap. Vulu. His mors non contingit secundum justitiam, etiam si contingat, hoc est, non ratione vulnris, sed provi apparatus pereunt, neque tanquam homicidæ culpandi sunt; qui tale vulnus inflixerint. Consulendus hac in re Paulus Zacchias in quæst. Medico-Legal. Sed & hoc quoque per experientiam

cognovi, ordinatæ vitæ regulam diu observatam, non sine gravissimo incommodo violari. Quatuor jam anni sunt (accidit enim cum septuaginta octo essem annorū) cum Medicorum consilio, & meorum importunitate assidua inductus sum, ut aliquid mensuræ consuetæ adjicerem. Varias rationes adferebant: senilem ætatem non posse tam modico cibo & potu sustentari; neque solum dandam operam, ut natura utcumque sustentetur, sed etiam robur & vigorem habeat, idque nisi per cibum, & potum fieri posse. Ego contra, naturam paucis esse contentam, me tot annis modica illa mensura sanum perseverasse: hanc consuetudinem mihi versam in naturam: rationi consonum esse, ut crescentibus annis & viribus sensim decreascentibus, cibi potusque mensura minuatur potius, quam augeatur; ut patiens sit proportionatum agentis: stomachi vim sensim fieri imbecilliolem. Hu pertineret duo proverbia apud Italos usitata. Alterum Qui multum vult comedere, omedat parum: nimirum quia parum comedendo protrahit vitam. Alterum, plus plus juvat cibus, qui superest comedenti, quam qui ab illo comestus. Ubi insinuatur nocumentum immoderati cibi assumpti majus esse, quam sit commodum ex moderato. Verum hæc omnia, illis assidue urgentibus, me tueri non potuerunt.

ANNOTATIONES.

Exactam victus rationem in statu morbofo religiose observandam, ego quidem existimo, ac præsertim in acutis, ut ex paucarum unciarum adjectione, vel detractione, ingentia mala suscipi possint; in statu quoque neutro, cum quis est inter morbum, & sanitatem, veluti in æquilibrio, facile est ut ex liberiori victu, sublato æquilibrio, decidat in morbum. In statu sanitatis, tam rigidas leges servandas, durum, & asperum videtur, nec ad Reipublicæ bonum satis conveniens; detur hoc

is, qui senium attigerint, jam emeritis, & rude donatis, postquam ad publicum bonū vitā meliorem exegerint, at juvenes & Viros præsertim nobiles, cōmoda sanitate gaudentes, tam artē vivendi legibus adstringere velle, æquum non est. Quomodo enim quis militiæ operam dare poterit, seu in legationibus longa itinera capeßere, quomodo in Patria variis fungi muneribus, quomodo Medicus quotidianæ agrorum visitationi addictus, quomodo Juris Peritus, qui professionem, cui se addixit, exsecratur, ad galli cantum, consultor ubi ostia, pulsat, tam ordinate, & ad libellam cibos captare poterunt, ut vires reficiant? recte igitur monuit Celsus, Qui sanus & suæ spontis est, nullis se debet obligare legibus: largiamur itaque e morbo evalescentibus, eoque magis is, qui ex acuto morbo decumbunt, hujusmodi cautionibus exhibendum cibum, ac tempestive in pondere, numero, & mensura, ut dici solet, non ita vero in sanis corporibus. Elegans historia existat in hanc rem notatu digna, 3. in primo Epid. Filia Philonis intempestive cœnavit, mortua est. Notatu dignum est, quod in curatione vulnerum observant chirurgi, qui cum accedunt ad vulneris curationem, ex largiori copia puris manantis ex vulnere, facile divinant, vulnerratum a præscripta victus ratione aberrasse.

Itaque ne viderer obstinator, & ut amicis gratificarer, cessi tandem, & permisi mensuram cibi augeri, sed duabus dumtaxat unciiis. Cum enim antea mensura cibi diurni totius, nimirum panis, vitelli ovi, carnis & ferculi, esset unciarum duodecim exacte pensata, auxi adjectis duabus unciiis ad quatuordecim; mensuram potus, quæ unciarum erat quatuordecim auxi ad sexdecim, duabus similiter unciiis adjectis. Hoc augmentum post decem dies, ita in me cœpit operari, ut ex læto & alacri factus sim melancholicus, & cholericus; adeo ut omnia mihi es-

sent molesta, nec scirem quid dicerem, aut facerem. Duodecimo die invasit me dolor lateris, qui 22. horas duravit, deinde supervenit febris gravissima, quæ 35. dies & totidem noctes continuavit: etsi post quintum decimum diem semper minor evaserit. Accedebat, quod interea temporis, non possem capere somnum, vel ad unius horæ quadrantem, unde omnes judicabant me moriturum. Nihilominus (Dei gratia) me curavi sola regula illa vivendi, etsi jam essem annorum 78. & hyems esset, auraque frigidissima, & corpus extrema macie confectum. Mihi que certum est, nihil aliud post Deum me a morte liberasse, quam exactam illam vitæ regulam tot annis a me continuatam, quo tempore universo nihil mali senti, nisi subinde aliquam indispositionem unius aut alterius diei. Tot enim annorum temperantia, consumptis pravis humoribus, non permiserat alios malignos subnasci, neque probos corrumpi, aut malignam qualitatem contrahere, sicut in senum corporibus, qui absque hujusmodi regula vivunt, evenire solet. Nulla in humoribus corporis mei senilis malignitas, quæ mortales occidere solet. Nova autem illa ex nova inordinatione, de qua dixi, introducta, vim non habuit (etsi malum esset gravissimum) ad me occidendum.

Ex his clare perspicui potest, quanta sit vis recti ordinis, & inordinationis, temperantiæ inquam & intemperantiæ: quarum illa tot annos me sanum præstitit, hæc etsi exiguus fuerit excessus, paucis diebus ita prostravit. Si mundus ordine constat, si vita nostra corporalis pendet ab harmonia & proportionem humorum, ac elementorum, mirum non est, si ordine certa regula debeat conservari, & inordinatione lædi, ac destrui. Ordo disciplinas reddit faciliores, exercitum efficit victorem; regna, civitates, & familias in pace retinet, & confirmat. Unde concludo, vitam ordinatam esse certissimam ra-

tionem, & fundamentum vitæ sanæ, & longævæ, ac veram, & solam medicinam morborum plurimorum. Neque id quispian negare potest, qui rem attentius inspexerit. Hinc Medicus cum infirmum vilitat hanc ei primam medicinam præscribit, ut certa mensura cibum potumque sumat, eandem commendat jam curato, si sanitatem retinere desiderat. Neque dubitandum est, quin a morbis imposterum liber foret, si talem vitæ rationem teneret: quia omnes illas morborum causas resecaret & ita nec Medicis, nec medicamentis ei opus foret.

ANNOTATIONES.

Recte quidem ratiocinatur laudatissimus Scriptor, quod sicuti ordine, & justo victus regimine relicto, sanitas pessum it, ita eodem restituto, salus pristina recuperetur, ut per eandem viam sit retrocedendum, unde quis aberrarat. Temperamentum nostri corporis nil aliud esse, quam humorum, licet variae naturæ, consonantiam & moderationem, satis liquet, imo animam hominis nil aliud esse, quam harmoniā veluti quandā, opinio fuit Galeni. Sanitatem concordiam esse animæ cum corpore scripsit Plato, ita ut inter hæc duo adsit proportio quædam, nam si animus nimis excellens sit & vivax in corpore tenui, illud concutiat, & languoribus impleat, si vero corporis vires animum superant, illum obruant, ac turpem reddant. De admiranda, & harmonica proportionem partium humani corporis, ut etiam in iis partibus, quæ pudenda dicuntur, atque ideo velantur, non minus sit decoris, quam utilitatis, multa scitu digna habentur apud Lactantium Firmianum, Cassiodorum. Quidnam autem erat illud, quod tantopere admirabantur Sculptores in statua illa Polycleti, quæ Canon, & Regula vocata est, quam partium humani corporis harmonia quædam, & commensuratio? Longe vero

maiorum esse pulchritudinem partium internarum, scripsit Divus Augustinus de Civitate Dei Libro 22. Si numeri, quibus coaptatio, quæ harmonia græce dicitur, noti esse possent, in interioribus quoque visceribus, quæ nullum ostentant decus, ita delectaret pulchritudo rationis, ut omni formæ apparenti, quæ oculis placet, ipsius mentis, quæ oculis utitur, præferretur arbitrio; pulchritudinis autem tum externarum, tum internarum partium conservatrix unica est, nunquam satis laudanda sobrietas.

Imo si animum ad ea quæ oportet, attendere velit, se ipse Medicum efficiet, & quidem perfectissimum. Nam revera homo non potest esse aliis perfectus Medicus, sed tantum sibi soli. Cujus rei hæc est ratio: Qui vis enim diversis experientiis potest cognoscere naturæ suæ conditionem, suasque occultas proprietates: qualis cibus, & potus, & quæ mensura naturæ congruat. Hæc tamen non ita possunt cognosci in aliis: quia opus longa experientiā, & observatione exactissima, quam circa alios non facile habere possumus; præsertim cum major sit diversitas temperamentorum, quam vultuum. Quis credat, vinum vetus nocere meo stomacho, & novum juvare? me pipere minus incallescere, quam cinnamomo? Quis Medicorum has duas occultas proprietates mihi indicare potuisset, si ego longa experientia vix tandem, eas deprehendere potui? Itaque alter alteri non potest esse perfectus Medicus. Unde cum homo non habeat meliorem se ipso Medicum, nec melius medicamentum, quam sobriam vitam, perspicuum est hanc omnino amplectendam.

ANNOTATIONES.

Nullum adhuc repertum fuisse Medicum perfectum, nec sperari esse, quod posthac reperiri possit, licet asserere. Hippocrates ipse in Ep. ad Demo. ingenue scripsit, se licet senem Medicinæ finem

finem non attigisse. Galenus in 3. Methodi huius rei causam attigit, quæ alia non est, quam quod impossibile sit posse Medicum, cuiusque hominis naturam, & proprietates habere perspicillari; ego enim si cuiusque privati naturam explorare ad unguem scirem, utique qualem fuisse Æsculapium mente concipio, talem me esse putarem. Quotus enim quisque est, qui licet peritus, & præsertim ex iis, quos Poliatros vocant, continuæ Praxi addictos, qui possit ægri cuiusque, interdum etiam antea non visi, naturam, & proprietates habere cognitas? Recte propterea Celsus in Præ. agebat utiliore esse Medicum familiarem quam extraneum. Ex hac naturarum diversitate non male infert Operis Auctor, neminem perfectiorem esse Medicum aliorum, quam sui ipsius, ut qui longa experientia, & usu rerum cognoverit quid sibi prosit, quid noceat. Sic Tiberius Nero Tacito referente 6. Annalium eludere solebat Medicorum artes, & eos, qui post 30. annum non internoscebant corpori suo utilia. Memorat porro particularem quædam in seipso idiosyncrasiam, nempe quod vinum vetus exacto anno sibi valde noxium esset, & recens perutile. Vixit itaque ratio rite instituta, tum in statu ægro, tum sano utramque paginam absolvet, Curatrici, & Præservatrici Medicinæ vices subeundo neque alio remedio, quam exactissima vivendi norma usum fuisse crediderim Asclepiadem Prusensem ad corporis firmitudinem adeo integram usque ad extremum senium servandam, sponsione facti cum fortuna, ne Medicus crederetur, si unquam invalidus ullo modo fuisset ipse, ut ait Plinius Libro 7. Cap. 37. qui, ut idem Plinius Libro 36. totam veterem Medicinam turbavit, reiecit Medicamentis, nova instituta curandi ratione per cibi abstinentiam, alias vini, fricationes corporis, ambulationes, gestationes, & alia huiusmodi. Haud aliter Antiochus medicus, uti apud Galen. 5. De San. Tu. sobrietatis amantiſſimus longævitatem obtinuit, cum autem esset decrepitus, ad lampadem vitalem sustentandam, quæ continuam exigebat pabuli suffectionem, ter in die cibum capiebat, hora tertia, vel quarta panem sumebat cum melle attico cocto, hora sexta, vel septima lotus, mediocriter prandebat, primum iis sumptis, quæ alvum dejiciunt, quæ posthæc maxime piscibus, vel quos saxatiles vocant, vel qui in alto mari degunt, rursus in cœna a piscium esu sustinuit, sed boni succi aliquid, ac quod non facile putresceret capiebat. Cur autem contra veterum morem, liberalius pranderet, quam caneret Medicus ille, non apparet ratio, nisi forte ea sit, quam adfert le. Lan-

gius Epist. Med. Libro primo Epist. 15. in qua postquam variis argumentis ostendit nostris etiam temporibus largiorem esse debere canam, quam prandium, historiam hanc Antiochi Medici memorans, ait senectutem, & præsertim decrepitam tanquam morbosum statum considerandam, ideoque contrario modo tractandam, quam in statu firmæ valetudinis.

Non tamen negaverim quin Medici sint necessarii, & magni pendendi, ad cognoscendos, & curandos morbos in quos sæpe incurrunt, qui vitam ordinatam non sectantur. Si enim amicus, qui te visitat in morbo & solum verbis solatur, & compatitur, rem tibi gratam præstat, quanto tibi carior debet esse Medicus qui instar amici te invisit, ut juvet, remedia adhibet, & salutem tibi promittit? Verum ut quis sanum se conservet, sentio deberi amplecti loco Medici vitam regulatam, quæ ut experientia constat, est medicina naturalis & nobis propria, quia etiam maligni temperamenti corpora conservat sana, & efficit, ut ad longum ævum etiam centum annorum & amplius vitam proferant, & tandem absque doloribus, & humorum perturbatione vitam finiant, ac per puram humoris radicalis consumptionem, instar lampadis extinguantur. Multi putarunt id posse fieri auro potabili, & lapide philosophico (quem elixir vocant) a multis quæsito, a paucis invento, sed frustra sunt, si vita temperata absit.

ANNOTATIONES.

Seneca in Epistola 78. ad Lucillum suum gravem destillationem, qua laborabat, ad summam maciem deductus, memorans, magno solamini amicos sibi fuisse refert. Multum mihi contulerunt ad bonam valetudinem amici; quorum adhortationibus, ac variis sermonibus allevabar; quidquid enim animum erexit, etiam corpori prodest. Ad sanitatem vero obtinendam, valde conferet si Medicus decumbentis sit amicus, & familiaris, nam ex eodem Seneca 4. Contr. Nihil magis ægris prodest, quam curari ab eo, a quo volunt confidentia enim ægrorum plures sanat,

quam remedia. *Hac forte tamen non fruuntur, nisi qui sui sunt juris, qui pro lubitu possunt sibi Medicum deligere. Hinc apud Religiosos cetus, & præsertim apud moniales, quæ uni, vel alteri Medico sunt addictæ, persæpe audiuntur querimonia, quod sibi non liceat, pro genio Medicum habere curantem. Profecto nihil agro est periculosius, quam si Medicus illi sit parum gratus, interdum etiam odiosus. Cum ergo tam variæ sint hominum temperaturæ, ac effectus, Medici sagacis, ac industrii erit, si ad genium, & mores agrotantis se componat, ut ægri affectum lucretur. Medicorum non pauci hoc pacto versutia magis, quam peritia, non modicam auctoritatem, & fortunam sibi conciliant. Doctissimus Gaspar a Reges in suis quaestionibus, hanc habet satis curiosam, & elegantem: Quare Medici indocti, et rudes empirici, et pseudomedici, non raro vulgo magis placeant, quam docti, et sapientes.*

Verum homines sensuales, & intemperantes (quales plerique sunt, volentes suos appetitus satiare, & gulæ indulgere) etsi videant ab intemperantia se male subinde tractari, nihilominus vitam sobriam refugiunt; quia inquit, *melius est obsequi appetitui, & decem annos minus vivere, quam naturam suam assidue frangere*, sed non considerant, quanti momenti sint homini decem anni vitæ, & sanæ vitæ in ætate matura, qua maxime perficitur & viget prudentia, & sapientia, & omne virtutum genus, quæ nisi in illa ætate perfectæ esse nequeunt. Et ut de cæteris taceam, nonne omnes pene eruditissimi libri quos habemus, a suis Auctoribus ætate matura, & illo decennio, quod illi præ gulæ suæ voluptate nihili æstimaunt, conscripti sunt?

Præterea dicunt isti sensuum servi, vitam ordinatam rem esse adeo difficilem, ut servari nequeat. Ad hoc respondeo, Galenum illam servasse, & loco optimæ medicinæ habuisse: Platonem quoque & Isocratem, & Ciceronem, aliosque plurimos veterum, & nostra ætate Paulum Tertium, & Cardinalem Bembum, qui idcirco tamdiu vixerunt, & e nostris Ducibus Landum, & Donatum, aliosque plu-

rimos inferioris conditionis, non solum in urbe, sed etiam in vicis, ac pagis. Itaque cum multi olim illam tenuerint, & modo adhuc teneant, non est res, quæ non a quolibet præstari queat: præsertim cum hic non sit opus multis, aut exquisitis rebus, sed tantum ut quis incipiat, & sensim adsuescat.

Nec obstat quod Plato dicat, eos qui in Republica versantur, non posse vitam ordinatam tenere, quia sæpe opus est calores & frigora, & ventos, & imbres, & nives ac varios labores perpeti, quæ non conveniunt vitæ ordinatæ. Respondeo enim huiusmodi incommoda, non esse magni momenti (ut supra ostensum est) si vitam sobriam agas in cibo & potu, quod facile est iis, qui in Republica versantur, & maxime conveniens, tum ut a morbis, qui functiones publicas impediunt, se præstent immunes, tum ut mente in omnibus, quæ occurrunt, negotiis magis vigeant.

ANNOTATIONES.

Nemo fere est, quodcumque vitæ genus elegerit, qui senectam animo non præsumat, eamque facilem, vegetam, operosam, qualem Hesiodum habuisse ferunt, non exoptet, ut per pauci sunt, qui viam, qua ad huiusmodi senectam sic eundum, velint capessere; idcirco in qualibet civitate, non paucis spectantur senes, sed quales describit Juvenalis Satyra 10.3 at per pauci sunt, qui forti & valida senecta ad publicum bonum apta perfruantur: Plato propterea senes a Republicæ administratione remotendos volebat, quia ut plurimum morbosus sint. Qui merent in castris ob varium vitæ genus, aliquando lautum sapius tamen inter famis ac sitis tolerantiam tractatum, per raro facilem senectam assequuntur, sic pariter qui in agris exercentur, & qui in urbibus, mechanicis artibus, & laboribus sunt addicti. Forsan soli, qui Palladis studiis se devoverint sortem hanc assequi possunt, si illius vitæ regimen servare velint, ut tale senium possideant, in quo ad publicam utilitatem opera edant, doctiora, ingeniosiora ex quibus vitam posthumam adipiscantur. Hippocrates jam senex opus conscripsit apothecariorum, seu potius oraculorum, Galeni, quoque opera senilia,

milis, clariora sunt, Vallesius Filippi II. Hispaniarum Regis Archiater, in extremo senio librum composuit de Sacra Philosophia, Sanctorius noster aureum opusculum de Medicina statica longævus conscripsit, Harveus Angliæ Democritus, ad senectam vergens, divinum illud opusculum de motu sanguinis concinnavit, atque edidit, & annum habens septuagesimum tertium libellum de generatione animalium conscripsit. In aliis quoque facultatibus idem evenisse erudito cuique satis constat. Secus autem evenit iis, qui cæco quodam impetu rapti opera juvenilia edere voluerint, perraro enim fit, ut eos in maturiori ætate paniteat, ac tristes animi morsus sentiant, ubi interdum suos juveniles ausus revivunt, aut illorum subit recordatio, sic olim de suis Carminibus Ovidius:

Cum relego scripsisse pudet, quia plurima cerno,

Me quoque qui scripsi iudice, digna lini.

Vitæ igitur sobriæ suo tempore ac loco susceptæ fructus iucundissimus est senectæ, sed præcipue illa, quæ viridis, & cruda appellatur, quam sortem non expectent literati homines mensarum frugalium oseres, qui enim inter musarum sacra, ac simul inter Bacchi, & Venæris delicias iuventutem, & virilitatem traduxerit, postea vetus vietus, senex veterosus, colore mustellino, uti Comicus in Eunuchis, in præmortuo corpore, mortem potius, quam vitam producat.

Objiciunt aliqui, qui vitam agit regulatam, comedendo semper infirmorum cibos, & exigua quantitate, quid faciet in morbis? qualem diætam capeisset, cum eam anticipavit sanus?

Respondet primo: natura quæ hominem nititur conservare, quantum potest nos docet quomodo in morbis debeamus, nos gubernare, nam subito tollit appetitum, ut non comedat nisi parum, ipsa enim parvo est contenta. Unde infirmus sive antea vitam regulatam tenuerit, sive non, cum infirmus est, non debet vesci nisi cibis morbo congruentibus, idque multo minore mensura, quam cum esset sanus. Si enim priorem mensuram servare vellet, naturam, quæ jam morbo gravata est ac debilitata, opprimeret.

Secundo respondeo & melius eum qui vitam sobriam sectatur, non posse in mor-

bum incidere, imo raro, & exiguo tempore se sentiet indispositum, quia ratio illa vivendi sustulit mali causam. Causa sublata, tollitur quoque effectus, nempe morbus.

ANNOTATIONES.

Nostis quoque temporibus non desunt qui frugalem, ac temperatam vitam degant, & facilem longævitatē obtineant, cujus veritatis testes sunt, quidam Religiosi cæti, in quibus homines eodem sacco obducti nudipedes incedunt, & super stramenta angustis in cellis, vel furente Sirio somnum captant, ex iis non paucos visere est, septuagenarios, octogenarios, fortes, & robustos, qui non nisi jejuniis frequentibus ac parcitati victus, licet non semper laudabilis, felicem senectutem acceptam referunt. Perdocte autem operis Auctor difficultatibus occurrit, quas in scenam adducunt, qui sobriam vitam cane pejus, & angue odio habent, corrumpit enim illorum ratio dum a sunt, iis, qui tam artis temperantiæ legibus se addixerint, ubi ægrotant, ob viriorem languorem medicamenta administrari non posse, ideoque magis periclitari, nam ut recte ait Scriptor noster, vel non tam saepe ægrotant, vel non tam gravibus morbis plectuntur, in illorum enim corporibus, neque plethorica, neque cachectica diathesis existit, ut morbi in iis non reperiant, in quo malitiam suam exercent, addam ego illorum fortunæ adscribendum, quod ob fractas vires usurpari remedia non possint: Hippocrates in primo aphorismorum, scripsit, senes febribus non adeo acutis corripi ut juvenes, cum frigidum sit illorum corpus, neque inflammationibus adeo obnoxium. Rarius itaque, & minus graviter a morbis afficiuntur, qui sobrietatis leges servant, quam qui autonomiæ student, quibus nempe extra naturæ lineam longe abducta est humorum temperies; quod si aliquando a causis externis, uti ab aere, cujus usus est indispensabilis, in quibusdam constitutionibus Epidemicis, & ipsi læduntur, non adeo graviter tamen afficiuntur, ut qui laete, & opipare vivunt, in quorum corporibus morbi epidemici reperiunt, unde feritatem suam exercent, quod idem quoque in pestilentia evenit, quod pinguires victimas sibi maciari exoptat.

Senes pestilentiam minime sentire scripsit Pannius Lib. 7. H. N. Cap. 6. quod non aliam ob causam fieri putarim, quam quod corpora senum sicca sint, nec externis impressionibus tam obvia,

ali juvenilia corpora, quæ laxiora sunt; rationem aliam affert Julius Cæsar Zaratius de Medica Martialis interpretatione, palat enim pestilentiam morbum calidissimum esse, ideoque senum corpora minus afficere. Exstat apud Martialem Libro tertio Epigramma facetissimum in mulierem quandam nomine Vetustinam, quæ licet vetula, & rugosa catullebat, gestiebatque ut nuberet, dum itaque in illam variis scommatibus jocatur, hosce habet versus:

Cum bruma Mensem sit tibi per Augustum,

Regelare nec te pestilentia possit,
Audes ducentas nupturire post mortes.

Variis rationibus contendit Interpres, quas hic referre non vacat, ostendere pestilentiam morbum esse calidissimum, ideoque ex mente Martialis ipsam pestilentiam ineptam esse, ut faminam illam ob senilem ætatem perfrigidam, posset callescere; ingeniose quidem Interpres, sed cui non tam facilem assensum largiri quis possit, pestem morbum calidum esse, cum sæpissime paucam febrem habeat adjunctam, ut Medicis etiam imponat, sed pestem senes minus corripere, seu minus afficere, eo quod senilia corpora squallida sint, & sicca. Id ipsum quoque in pestilentis quæ animalia interdum corripunt observare est. Vidimus annis elapsis in gravi epidemia, quæ Bovino generi bellum ad internecionem, usque indixit, in tota continenti Serenis finis Veneti Dominii, (quod morbi genus hoc anno quoque magno populorum damno, per totam fere Italiam acriter serpsit, ac pessimum in Agro Romano) vidimus inquam Boves pinguiore, & magis torosos a morbo pestifero promptius corripit, quam Boves vetulos, & strigosos, uti in Dissertatione, quam in patavino Lyceo habui, & publici juris feci, inter cætera phenomena adnotavi.

Quare cum vita ordinata adeo sit utilis, adeo virtuosa, pulchra & sancta; digna est quam omnes amplectantur, præsertim cum facilis sit & hominis naturæ maxime consentanea. Nemo qui istam seletatur, adstringitur, ut tam parum comedat, aut bibat quam ego, nemo vetatur vesci fructibus, pisce, & aliis, quibus ego non vescor. Ego parum comedo, quia tantillum satis est parvo & debili meo stomacho. Abstineo fructibus, pisce, & similibus cibis, quia mihi nocent: qui vero talibus iuvantur, possunt, imo debent illis uti; tantum abest, ut sint vetandi.

Cuilibet tamē cavendū, ne majorē quantitatem etiam commodissimū cibi, vel potus assumat, quam ventriculus ipsius facile possit concoquere. Unde qui nullo cibi, vel potus genere offenditur, ei sola quantitatis regula, non qualitatis est servanda, quæ res factu est facillima.

Nemo hic mihi obiciat, multos reperiri, qui etsi inordinatissime vivant, sanī tamen ad ultimos vitæ terminos perveniunt; quia cum hæc res sit incerta, periculosa, & rarissime accidat, non debet ejus fiducia nos inducere, ad vitam inordinatam. Non est prudentis, tantis se exponere morborum, & mortis periculis, ac incommodis, spe eventus felicitis, qui rarissimis obtingit. Magis securus est vitæ, senex pravæ complexionis, tenens vitæ regulam, quam juvenis robustissimus absque regula vivens; qui tamen probi est temperamenti, potest cum recto vitæ ordine longius producere vitam, quam qui est pravi. Et potest interdum fieri, ut homo sit tam boni, & firmi temperamenti, ut etiam absque tanta regula possit vivere sanus annos plurimos, & mori in extrema senectute per puram resolutionem, sicut Venetiis accidit Procuratori Thomæ Contareno, & Paduæ viro Nobili Antonio Capo di vacca. Sed talem vix unum invenias inter centum millia. Unde quod ad alios attinet, si quis ex illis diu sanus vivere exoptat, & absque dolore, & molestia mori per resolutionem: Hoc enim modo, non aliter, potest frui fructibus talis vitæ, qui sane sunt plurimi, & singuli eorum maximi æstimandi.

ANNOTATIONES.

Si quis me consuleret, quo ciborum genere, qua quantitate, quoque tempore uti debeat, ut sanitatem quantum fieri possit sartam tactam conservet, ego suaderem, ut potius stomachum suum consuleret, a quo nimirum saniora consilia pos-

set referre. Sic Quintilianus, ut dig-
nosceret, num Oratio, concinna, & ac-
commodata futura esset audientibus, di-
cere solebat, aures meas consulo. Re-
gula itaque Polyleti erit stomachus, ut
qui sobriæ vitæ se dederit, secum pen-
sit, quid ferre recusset, quid valeat sto-
machus, ac præsertim in id incumben-
dum ne nimio onere gravetur, licet quod
assumitur optimæ sit notæ, satis vulga-
tum est illud, quod omnis repletio sit
mala, panis autem sit pessima. Non mi-
nus quoque contra sobrietatis leges pec-
catur ab iis, qui famis tolerantia putant
sanitati, & vitæ longævæ velificari; fer-
mentum enim stomachicum, plicis ven-
triculi insitum, chylo ad vias sæas ab-
legato, sabbatum nullum agnoscit, sed
cont nua agere vult, & in ipsas ventri-
culi tunicas, rabiem suam exercet, at-
que ex toto corpor. humores allicit, in
quos agat. Sic Hippocrates Ventricu-
lum mari assimilabat, quod dat omnibus;
& accipit ab omnibus, præterea fames
bilem exacuit, & hominem morosum
reddit, unde Plautinum illud in prover-
bium cessit; fames, & mora bilem in
nosum conciuunt. Hanc ob causam uni-
cam cælestionem in die naturali dam-
nabat Hippocrates, cum ex huiusmodi
abstinentia corpus excitetur, & alimen-
ta postea non satis commansa avidius de-
vorentur, atque ulterius alvus sistatur;
in corpore igitur sano vitanda est fa-
mes, & fermento cibum exposcenti au-
scultandum.

Primo, quia efficit ut humores in cor-
pore sint puri, & benigni, quo fit ut non
permittat fumos e ventriculo ad caput
efferr. Unde ulterius sequitur, ut tali
homini cerebrum sit purum instar spe-
culi, & mente ubique vigeat. Itaque
facile ex infimis istis, & terrenis ad divi-
narum rerum sublimes adscendit consi-
derationes, cum summâ animi voluptate,
& consolatione; eaque cognoscit, quæ
alias nunquam potuisset cogitare, nimi-

rum quanta sit Dei potentia, sapientia, &
bonitas. Hinc descendit ad naturam
corporalem, eamque cognoscit esse opus
di vinum. Videt, & manu tangit ea quæ
in alia ætate, & cerebro minus purgato
non potuisset unquam videre, vel tange-
re. Tunc videt turpitudinem vitii, in
quod cadit is, qui affectus humanos ne-
quit domare. Tunc cognoscit triplicem
illam cupiditatem, quæ nos ab ineunte
ætate comitatur, carnalis voluptatis, ho-
noris, & divitiarum, quæ in senibus vi-
tæ intemperatæ crescere solet. Hanc is,
qui non sensum, & appetitum, sed ratio-
nis ductum longo usu consuevit sectari,
facile temperat, & cohibet; ita ut ab ea
non magnopere infestetur. Deinde cum
se videt ad terminum tendere, & resolu-
tioni propinquum, non concipit inde ani-
mo mœrorem, quia cum sciat Dei bene-
ficio, relicto vitio sectatum virtutem,
sperat per Christi Redemptoris nostræ
merita, mori in ejus gratia, & æterna fini
beatitudine. Accedit quod videat se jam
ad id ætatis pervenisse, ad quod paucissi-
mi pertingunt, & mortem propinqua-
re non cum impetu, & ex improvise
cum acerbis doloribus, sed leni, & beni-
gno passu, solius humidi radicalis, quod
instar olei lucernæ sensim minuitur con-
sumptione; quo fit, ut ipse suaviter sine
dolore, ab hac vita terrena, & mortali, ad
cœlestem, & æternam transeat.

O Sanctam & vere felicem vitam ordi-
natam, meritoque ab omnibus colendam:
O infelicem, & detestandam vitam inordi-
natam, quæ tantis malis genus replet hu-
manum! Pulchra vox & amabilis, Vita
ordinata, sobrietas, temperantia: sicut e
contrario sceditatem sonat, Vita inordi-
nata, crapula, intemperantia. Et tale di-
scrimen inter hæc cernitur, quale inter
vocem, Angelus, & Diabolus.

Hactenus explicui causas, per quas
me ab intemperantia vindicavi, & vitæ
sobriæ addixi, & modum quem in ea re-
tenui, & quid inde mihi acciderit: & com-
mo-

moda quæ illa suis affectibus præstat.

ANNOTATIONES.

Summatim temperantia in victu sanitatis, & longævitatis basis est, & munimentum, ex qua postea tot beneficia obtinentur, quæ vitæ sobriæ Auctor hoc in loco refert, qualia sunt prudentia, sapientia, atque etiam eubanasia, ubi enim quis vitæ lineam intra moderationis cancellos rectam, & irretortam produxerit in extremo senio, cum necesse sit satis concedere, nullam violentiam patietur & anima placide e suo ergastulo, in quo conclusa erat, ad superos evolat. si valere vita est, non vivere. Profecto eorum, qui temperantiæ legis rite observant, & procul a Medicis, & Pharmacopæis degunt, vita vere appellanda est, non ita vero, qui ob intemperantiam in sympsis, commensationibus, sive lectulo affixi, sive continuæ sessioni addicti vitam precariam duxerint.

Præter dicta incommoda, unica commestio in die naturali, & crebra jejunia, id quoque habent, ut oris graueolentiam inferant. Quam ob causam ora hominum, qui nihil ederint, sed jejunarint graueolent, quasvit Aristoteles Sectione decima tertia, Problemate septimo, cujus rei rationes quilibet videre potest apud eundem Aristotelem, Aphrodisæum, Septalium, & alios. Satis lepidum Martialis Epigramma exstat in Bassam mulierem, cui graviter fœtebat anima, referens enim varias graueolentiæ differentias, eam memorat, qua olent jejunia Sabatariorum, aitque malle se Bassam omnes illos odores olere, quàm eam quæ olebat. Cur autem Poeta Judæos suggillet mentione facta de illorum jejuniis id effecisse crediderim, eo quia nulla natio ex Religiosis institute severiora servet jejunia, dum a qualibet re esculenta, & potuientia, ultra viginti quatuor horas omnino abstinent, unde magis ipsis, quam aliis

graveolet spiritus, & præsertim per ætatem, quando solemnia jejunia instituunt, & canicularibus diebus servant, arent enim illorum lingua & ventriculus præ fervore bilis, & aliorum succorum, unde halitus, quos ab ore exspirant, non possunt, quin male oleant, & eo magis in picrocolis, quam ob causam Ballonius Conf. Libro secundo, Conf. 16. iis, qui abundant amara bile, jejunia vitanda esse jubebat; tempore autem Martialis multi Hebræi Romæ degabant, & illorum instituta erant nota. Longam itaque inediā, & protracta jejunia, graueolentiam oris adferre, satis perspectam erat, unde etiam Ovidius Libro tertio de Arte amandi,

Cui gravius oris odor, nunquam jejunia loquar.

Sed quidam sensibus dediti, & parum rationi obsequentes obliciunt, non esse optandam longam vitam, eo quod post sexagesimum quintum ætatis annum, non possit dici Vita viva, sed vita mortua. Verum hi errant graviter, ut nunc ostendam ex me ipso, narrando mea oblectamenta, & voluptates, quas in hac mea ætate 83. annorum capio, quæ tales sunt, ut passim me homines felicem judicent.

ANNOTATIONES.

Condonandam quidem esset iis, qui post 65. annum, satius esse ajunt e viventium statione eximi, quam vitam producere ad miseriam inter varia morborum genera, iis inquam condonandum esset, si juventutem ac virilitatem, ab iis affectibus, qui luxui, & intemperantiæ deditos comitantur, immunem evaduxissent; & quam male plebentur, qui genio suo indulgent, & quam raro sexagesimum annum attingant nemo non novit, potior, ergo condi-

ditio eorum erit, qui temperantiae, & sobrietatis legibus se dederint in ipso juvenae flore, ut omnes aetatis annos irretito cursu percurrant. Septuaginta anni dies hominis, in potentatibus autem octoginta, sic legimus in Psalmo, a quo dicto non multum abladit, quod de annis climactericis apud Philosophos scriptum habemus, quos annos scalares appellant, inter quos sunt septenarii, & novennarii, unde 63. annus, utpote productum septem, & novem, magnae dignitatis & contemplationis est; natura enim pro genio numerum septimum sibi elegit, unde sicuti morbi die 7. 14. & 20. in acutis crises suas moliuntur, in chronicis die 40. & 80., ita in cursu vitae per septenarios procedit, idcirco annus septuagesimus, ut plurimum mortalis est vitae finis, & inter climactericos recensendus, octogesimus vero primus, qui productum est numeri novenarii, si in se ipsum multiplicetur, & ipse climactericus est, sic Platonem ajunt 81. anno completo obiisse. Scio equidem non deesse, qui vim numeris non inesse dicant, cum in rerum natura non sint nisi individua, numeri autem sint mentis nostrae simplex opus, non esse tamen neglegendam numerorum rationem, prudens consilium est, quando ipsemet Deus omnia in pondere, numero, & mensura disposuit, & senarium esse voluit, quo Mundum conderet, & septimo ob opere conquieverit. De numero sexto, qui inter numeros perfectos habetur, egregie scripsit Divus Augustinus lib. 11. de Civ. Dei, cum numerus senarius compleatur suis partibus, hoc est sexta sui parte, ex tertia, & dimidia, quae sunt unum, duo, & tria, quae in summam ducta faciunt sex, sunt enim partes quotae. Numerum itaque senarium, hoc est sex dierum, Divinam Sapientiam elegisse ait Vir iste Doctissimus, ut machinam hanc, quam Mundum appellamus conderet, est autem numerus senarius radix, & origo ceterorum numerorum, qui perfecti dicuntur extra centenarium. Summus itaque rerum

Conditor, Mundum tanquam rem perfectam, numero perfecto conditum esse voluit, ipse perfectissimus.

Prospera utor continue valetudine, & ita sum agilis, ut ex plano facile equum concendam, & altos gradus, & colles sublimis pedibus subeam. Deinde semper sum alacris, jucundus, & bene contentus, liber ab animi turbellis, & omni molesta cogitatione, quorum loco gaudium, & pax in corde meo suam fixere stationem. Non me tædet vitae, quam ego magna mea voluptate transigo. Sæpe offertur occasio colloquendi cum Viris præstantibus, qui ingenio, moribus, literis, aliisque virtutibus excellunt. Cum talium deest copia, trado me lectioni alicujus libri eruditi, & postea scriptioni, id in omnibus inquirens, quo possim juvare alios, quantum vires meae permittunt. Hæc omnia facio pro meo commodo, & congruis temporibus, & in propriis ædibus, quæ præterquam quod sint in pulcherrima hujus eruditæ Civitatis (Paduæ inquam) regione, sunt valde pulchræ, & commodæ, quales paucæ hac ætate; secundum rationem architecturæ ita a me fabricatæ, ut non minus adversus æstum, quam frigus serviant. Fruor simul meis hortis, iisque diversis, aquarum currentium rivis, ad latus derivatis, in quibus magna sane oblectatio. Fruor aliquot mensibus per annum oblectatione collis in montibus istis Euganeis, ubi & fontes habeo, & hortos, & domum commodissimam.

ANNOTATIONES.

Satis fuse refert Scriptor noster, quibus oblectamentis senectutem suam traduceret, legendo nempe, scribendo, venando, edificando, modo in Urbe, hoc est Patavii, modo ruri apud colles Euganeos, ubi villam amœnissimam construxerat, sic senex ille Terentianus in Eunuchæ actu 5. Ex meo propinquo rure hoc capio commodi, neque agri, neque Urbis odium me unquam percipit, ubi facias cœpit fie-

ri, commuto locum. *Non poterat sane Vir ille sapientissimus campos, & colles amœniores, quales sunt Euganei, ac Urbem clariorem, Musarum, virtutumque omnium domicilium sibi diligere, ubi cum Viris omnigenæ doctrinæ peritissimis colloqueretur, & genium suum pasceret. Satis elegans ac lectu digna est Seneca epistola 83. in qua Lucilia suo narrat, quid ageret jam senex, & quali tenore vita uteretur, nempe, inter varia studia, & honesta, tum corporis, tum animi, sed cum summa semper victus sobrietate; Panis siccus, aiebat ille, & sine mensa prandium, post quod non sunt lavandæ manus. Exstat in hanc rem elegans Martialis Epigramma.*

Rure morans, quid agam, respondeo
pauca rogatus.

Luce Deos oro, famulos post, arvâ
reviso,

Partibus atque meis justos indico la-
bores,

Inde lego, Phœbumque cio, Musam-
que laceſſo,

Hinc oleo corpus frico, mollique pa-
læstra

Stringo libens animo gaudens, ac fœ-
nore liber

Pondero, potō, cano, ludo, lavo, cœ-
no, quiesco

Dum parvus lychnus, modicum con-
sumit olivi,

Hæc dat nocturnis mox lucubrata
camœnis.

Fruor alia villa mea in plano sita, quæ est pulcherrima, quia plurimæ viæ sunt ita dispositæ, ut in mediam quamdam aream bene amplam concurrant: in hujus areæ medio Ecclesia satis honorata, pro loci conditione. Interluitur hæc area fluvio Brenta, utrinque magnis campis adjacentibus, qui fertiles, & bene culti, multisque habitaculis ornati. Antea non sic erat, quia locus erat paludosus, & male salus, bestiis quam hominibus aptior: Sed ego aquas deduxi, terram siccavi, & aerem bo-

num effeci, unde homines eo concurrerunt, & ædibus ædificatis habitare cœperunt, felici successu. Hoc modo locus ad eum statum, multiplicatis plurimum incolis, perductus est, quem hodie videmus, ut possim vere dicere, me Deo dedisse templum & Altare, & animas quæ ipsum adorent, cujus rei recordatio maximum mihi adfert gaudium. Excurro etiam quotannis ad aliquam e civitatibus vicinis, ut amicorum fruar adſpectu & colloquio, & præterea Artificum præstantium in architectura, pictoria, sculptoria, musica, & agricultura, qualium hoc ævo magna copia. Inspicio eorum opera, confero ea cum antiquis, & semper disco aliquid, quod gratum noſſe. Lustro palatia, hortos & antiquitates, loca publica, templa, & munitiones, nec quidquam omitto, unde possim discere, & voluptatem capere. Oblector quoque plurimum cum proficiscor, in itu & reditu considerando pulchritudinem locorum, & eorum situm, quorum alii in plano, alii in colle, vicini fluminibus vel fontibus, multis structuris & hortis exornati. Neque hæc oblectatio mihi sensuum obtusione redditur minor, quia omnes mihi sensus perfecte vigent, præsertim gustus; ita ut simplex cibus quovis loco magis mihi sapiat, quam olim, cum sensibus & vitæ inordinatæ deditus, omnes deliciæ. Lectorum mutatio non mihi molesta, quovis loco bene, & quiete somnum capio, fœmnia pulchra, & jucunda. Sed in primis oblectat, quod videam felicem exitum sortiri conatum illum, huic Reipublicæ utilissimum, quo tanta locorum incultorum spatia reducuntur ad culturam, meo suggestu, & consilio inchoatum. Fui ego unus ex deputatis ad illius operis directionem, & mansi in locis illis palustribus, duos menses continuos in fervore æstatis, nec tamen inde sensi aliquid noxæ aut incommodi, tanta vitæ sobriæ, quæ semper & ubique me comitatur, est vis & efficacitas.

ANNOTATIONES.

Plaudit hic sibi Scriptor noster, beneficia reserens, quæ in extrema senectâ, quam alii vita faciem appellant, contulerit in rem propriam, & publicam, ait enim agricolationis studio, ea damna reparasse, quæ sua ipsius domus ob lites, & alia infortunia passa fuerat, ac præcipue multa loca inculta, & palustria ad bonam frugem deduxisse, illa exsiccando, & cultoribus implendo, templis quoque inibi constructis. Paludosa loca, quæ hyeme aquas habent, æstate vero tetram mephitim exhalant prorsus exsiccare, aquas alio avertendo, opus sane dignum est, & apud Romanos quoque fieri solitum, ut memorat Livius de Pontina Palude a Marco Lepido exsiccata, nam præter aeris salubritatem, annonam quoque & frugum abundantiam infert; at nihil est, quod sit penitus utile, quod sua quoque non habeat incommoda; etenim si hujusmodi resiccatio fiat per deductionem aquarum in aliquod proximum flumen, non raro magna sequantur eluviones, sublatis nempe aquarum hujusmodi receptaculis, ac veluti diverticulis; flumina etenim, cum tantum aquarum pondus sustinere nequeant, fractis aggeribus, ingentia terrarum spatia inundant. Olim Rhenus noster Italicus, qui in Padum ferebatur, disruptis aggeribus, per Bononiensem, Ferrariensem agrum, & Ravennatum quoque ad mare sibi viam fecit, qualem & jam nunc tenet, cum postea instarent Bononienses, & Ravennates, ut Rheno antiquus alveus in Padum restitueretur, Hercules secundus Dux Ferrariæ ad id operis assentiri noluit, ne majori aquarum pondere Padum oneraret, contentus fluviorum rigem minori fastu in mare procurrere, alienus a veterum Romanorum ambitione, qui, cum in Senatu ageretur de avertendis variis fluminibus, quæ in Tyberim aquas deferrebant, decrevere, nolle se Tyberim, præcisus undique

ramis, minori gloria fluere.

Præterea certo speramus videre inchoatam, & finitam aliam molitionem non minoris momenti, qua conservetur nostrum Æstuarium maximum, & admirabile munimen charæ Patriæ, cujus conservationis ratio & modus a me (absit vere jactantia) est excogitatus, & sæpius huic Reipublicæ suggestus tum viva voce, tum scriptorum meorum lucubrationibus,

ANNOTATIONES.

Merito sane Æstuaria isthac, quæ Adriæ Reginam coronant, illius munimenta laudatus Scriptor appellat, licet fluida, solidiora tamen, quam altæ mœnia Romæ: hac enim Urbs sola nunquam truces hostium vultus excidium minitantes adspexit, uti olim Roma, ac postremo Vienna. Quod si aliquando Fortuna Venetæ osorâ, illam convellere pertentarent, non nisi a longe, & irritò conatu id agere aggressi sunt. Quoad conjecturas, quas nonnulli ratiocinando afferunt, nihil moror, idem scilicet Venetis eventurum, quod olim Ravennæ, nimirum fore, ut longo seculorum defluxu continenti jungantur, sed forsân id fiet cum omnia.

Exitio dabit una dies, multosque per annos

Sustentata ruet moles, & machina Mundi.

Quidnam autem egerit, quidve agendum proposuerit pro sustentanda Æstuarii profunditate, pro commercio, & commoda navigatione ad vicina loca, Scriptor non memorat, facile tamen putarim nihil aliud fuisse, quam aversionem aquarum, & fluviorum ab iis fluminibus, quæ navigationi inserviunt, ne scilicet ob nimiam arenæ copiam obstruantur portus, seu derivationem per canales arte factos ab iisdem fluminibus, sic in hanc finem in Medoaco flumine Anno 1611. ex decreto Magistratus, qui præsidet aquis cæpta est fieri constructio ampli canalis in locis dicto la Mi-

ra, procul Patavio duodecim millia passuum, & protenditur ad viginti quinque millia passuum circiter. Talem autem revulsionem, sive derivationem aquarum, habitam pro securo remedio ad præservandos portus, ne obstruantur, non solum non approbat, sed perniciosam ostendit D. Benedictus Castellus Brixienfis, Urbani VIII. P. M. Mathematicus in Opere suo doctissimo de Aquarum fluentium mensura, validissimis enim rationum momentis demonstrat, flumina cum minore velocitate, & impetu feruntur, prope ostia cum in mare influant, majorem arenosæ mæteris copiam deponere, ac satius esse immittere aquas in hujusmodi flumina, ut majori impetu in mare procurrant, sic enim sibi canalem in maris arena construere, & obicem illum percurrere, quem mare suo fluxu, arenam ad littus promovendo solet efficere. Præter hæc magna flumina id ipsum testantur, quæ post longos terrarum tractus emensos magno aquarum agmine in campos marinos irrumpunt, talis est Eridanus, quo ut Virgilius in 4. Georgicorum:

Non alius per pingua culta

In mare purpureum violentior influit
amnis.

ac eleganter Torquatus Tassus:

Che con più corna Adria respinge,
e pare

Che guerra porti, e non tributo al mare.

Hæ sunt oblectationes & solatia meæ senectutis, qualis plane senectus multum præferenda est alterius juventuti & senio; eo quod per vitam sobriam, Dei gratia, ab animi perturbationibus, & morbis corporis sanata, non sentiat ea incommoda, quibus infiniti juvenes, & totidem languidi senes misere conflantur. Sed & ex hoc, quo modo corpore & animo sim dispositus, cognosci queat, quod hæc ætate nempe annorum 83. composuerim lepidissimam Comædiam, plenam honestis jocis, & verborum salibus, quod

genus poematis solet esse partus juventutis, cui ob varietatem & jucunditatem maxime congruit sicut tragœdia senectutis, cui ratione gravitatis & tristium eventuum quos proponit est accommodata; nunc si Græcus Poeta laudetur, quod anno 73. ætatis tragœdiam conscripsit, & idcirco sanæ mentis & prudens judicatus, cur ego minus videar felix aut sani judicii, cum 10. annis illo senior confecerim Comædiam?

ANNOTATIONES.

Ad commendandam sobriam vitam redit Auctor noster, eo nomine, quod ab animi passionibus hominem præservet, quod equidem rationi congruum est, ubi enim quis sobrietati vitæ asueverit, habeat necesse est humores ita ad invicem temperatos, bilem præsertim, & melancholicam ut non tam facile in perturbationes, & tumultus inter se cieri possint. Quam graves noxæ ex animi pathematibus humanis corporibus obveniant, jam superius dictum. In hanc rem legendus D. Guntherus Christophorus Schelamerus in Academia Kiloniensi Professor Primarius, in laudatissimo Opere De humani Animi Affectibus. Postmodum vero transit Scriptor noster ad referenda oblectamenta, quibus senectutem suam traduceret.

Ne qua vero desit meæ senectuti oblectatio, intueor assidue speciem quamdam immortalitatis in successione meorum posterorum. Cum enim domum redeo, invenio undecim nepotes, omnes unius patris, & matris filios, omnes sanissimos, omnes, quantum conjicere licet, literis pariter ac bonis moribus aptissimos, & valde deditos. Recreor illorum cantu, & bonis moribus, & ipse canto sæpenumero, quia clariora mihi nunc, magisque sonora vox, quam unquam antea.

Ex quibus perspicuum est, vitam, quam ego vivo, in hac ætate non esse vitam mortuam, tristem, morosam, sed vividam, læ-

tam, jucundam. Neque si mihi optio detur, velim mutare ætatē, & corporis mei statum cum juvenili eorum qui sectantur suos appetitus, etsi optimi sint temperamenti, & naturæ robustissimæ: quia tales quotidie sunt expositi mille morbis, & mortibus, sicut quotidiana experientia docet, & ipse in me sum expertus, cum juvenis essem. Scio quam illa ætas sit inconsiderata, & propter caloris abundantiam animosa, & sibi ubique prædens, spe bona in omni re, tum propter defectum experientiae, tum quia se putant ad omnia satis firmos, & validos. Unde audacter se periculis quibusvis exponunt, & abacta ratione, traditoque rationis imperio in manibus concupiscentiae, quæruunt ubique satisfacere suis desideriis, nec advertunt miseri, se hac ratione multos morbos, ac sæpe mortem præmaturam sibi accersere, quorum malorum alterum est toleratu acerbum, alterum intolerabile & tremendum. Mors enim apparet intolerabilis omnibus sensuum, & carnis mancipiis, & potissimum juvenibus, quibus summum malum videtur, mori ante tempus. Eadem tremenda illis, qui peccata sua, quibus vita ista mortalis est plena, & vindictam divinæ justitiæ in poenarum æternitate considerant.

Ego vero contra ab utroque hoc malo sum immunis, a morborum metu, quia certus sum, non facile me posse in morbum incidere, morborum causis per sanctam medicinam sobrietatis excisis, a mortis anxio metu, quia tot annorum usu didici locum dare rationi. Unde non solum mihi turpe videtur, timere id quod vitari nequit, sed etiam spero, cum ad illud punctum venero, non modicam, gratia Jesu Christi, sentire consolationem.

Præterea finis iste adhuc procul abest. Scio enim me (fortuitis eventibus se positus) non moriturum, nisi per puram resolutionem, eo, quod per vitæ meæ regulam omnes alios aditus mortis occluserim. Pulchra & desiderabilis mors, quam natura

nobis affert via resolutionis. Cum enim natura vinculum vitæ nostræ effecerit, facilius invenit modum illius solvendi, & dat majores inducias, ut lenissime solvat. Talis mors non obvenit nisi post longissima ætatum spatia, & vi summæ debilitatis, quia sensim longo temporis tractu, eo rediguntur homines, ut non possint amplius ambulare, nec etiam, nisi difficulter, ratiocinari, fiuntque cæci, surdi, curvi, a quibus malis, per gratiam Dei, video me adhuc procul abesse, & credo animam meam, quæ in hujus mei corporis statione nihil invenit, nisi pacem & concordiam, tum inter humores, tum inter sensum, & rationem, non facile ab ea recessuram, & multis annis opus fore, ut ab ea expellatur. Unde videor mihi certo posse concludere, me multos adhuc annos victurum prospera valetudine, fruendo hujus mundi adspectu, & pulchritudine, & sperando idem me facturum per gratiam Dei in altero, idque totum adminiculo virtutis, & sanctæ sobrietatis, cui me addixi, amicum me constituens rationi, & inimicum sensui, & appetitus, quod omnino cuilibet, facile est factu, qui vult vivere, prout decet hominem.

Supereft ergo, cum vita sobria res sit adeo felix, & nomen delectabile, possessio adeo facilis, conservatio ita certa & firma, ut omnes, qui ingenio præditi, ex animo moneam, hortor, deprecor, ut hunc opulentissimum vitæ thesaurum, obviis ulnis amplectantur. Qui thesaurus sicut omnes alias opes hujus mundi superat (adfert enim nobis vitam longam & sanam) ita dignissimus est, quem omnes ament, inquirant, & possideant semper.

Hic thesaurus, est sancta illa sobrietas, grata Deo, amica naturæ, filia rationis, soror virtutis, socia vitæ temperatæ, modesta, nobilis, elegans, paucis contenta, ordinata, & suis functionibus distincta.

ANNOTATIONES.

Quid hoc rei est unquam, quod Avi
 reberementius suos Nepotes diligant, ac
 foveant, quam parentes ipsi, eoque ma-
 gis, quo etate sunt proveciores, quibus-
 cum lubenter saltant, ludant, plorant,
 & erga eosdem sunt indulgentiores, si-
 quid committant castigatione dignum.
 An quia, ut dici solet, senes repuera-
 scant, an potius quod ii, qui Nepotes
 habent, curis soluti, & rei familiaris ad-
 ministratiōe relicta, domi plurimum
 manere cogantur, illos adspiciendo, atque
 amplexando, in spem successiōis, & dura-
 turæ familiæ. Magnum sane oblectamen-
 tum se percepisse ait Nobilissimus Scri-
 ptor, ex undecim Nepotibus, iisdem pa-
 rentibus prognatos, quos ex fratre habe-
 bat, ipse cælebs, quibuscum ludebat sal-
 tabat, aliosque pueriles gestus agebat, di-
 cere solitus, pueros usque ad quintum an-
 num esse veluti mimulos. Curiosum est,
 quod apud Ptolomæum Commentariorum
 Libro 8. legitur de Masinissa Rege, qui
 pro simis, & catulis, in Aula sua educa-
 bat complures pueros, quos postea triennio
 exacto ad parentes suos remittebat, alios-
 que denuo capiebat. Non exigua mebercle
 voluptatis, & sola tibi illi esse debent, cœ-
 tum illorum puerorum, ejusdem fere
 etatis, inter se ludentium, clamantium pu-
 gnantium interdum contemplari iis horis,
 quibus alii Principes Mimos, & Morio-
 nes, & alia propudia accersunt, ut horas
 ac tedium fallant. Socratem Philosophum
 adeo celebrem, cum pueris ludere non eru-
 buisse, refert Seneca de Tranquill. Ani-
 non solum autem ad simplex animi leva-
 men, id egisse ajunt, sed eodem tempore
 philosophabatur, mente concipiens ac di-
 vinans, quale futurum esset hujus vel il-
 lius pueri ingenium, & mores. Idem quo-
 que egisse summa voluptate persusum se
 scribit Ludovicus Cornelius, dum unde-
 cim suis Nepotibus, mensam coronatam
 adspiceret, ex illorum vultibus, dictis, re-

sponsis conjectans, quis ex iis ad arma
 tractanda, quis ad Rempubicam admini-
 strandam, quis ad Insulas, & sacra mi-
 litiam natus.

Ex ipsa tanquam radice nascitur vita
 sanitatis, alacritas, industria, rerum ho-
 nestarum studia, & omnes actiones dignæ
 animo bene morato, & composito; ei fa-
 vent leges divinæ, & humanæ, prout ab
 illa, tanquam nebula a Sole, fugiunt re-
 pletio, saturitas, crapula, humores su-
 pervacanei, vapores noxi, intemperies,
 febres, dolores, mœrores, & mortis pe-
 ricula. Sua pulchritudine allicit animos
 generosos, securitate sua promittit omni-
 bus amicam, & longam vitæ conserva-
 tionem, sua facilitate invitat quemlibet
 cum exigua molestia ad obtinendas ejus
 victorias. Denique promittit se fore be-
 nignam custodem vitæ tam divitis, quam
 pauperis, tam maris, quem sceminæ, tam
 senis, quam juvenis. Divitem docet mo-
 destiam, pauperem parsimoniam, virum
 continentiam, sceminam pudicitiam, se-
 nem qua ratione mortem a se defendat,
 juvenem ut firmiorem spem vitæ habeat.
 Sobrietas sensus reddit purgatos, corpus
 agile, intellectum vivacem, motus expe-
 ditos, actiones promptas, & faciles. Per
 illam anima veluti terreno pondere exo-
 nerata, experitur magna ex parte suam
 libertatem, spiritus suaviter discurrunt
 per arterias, sanguis blande per venas dis-
 funditur, & calor temperatus, ac blan-
 dus, facit temperatos, & blandos effe-
 ctus. Denique nostræ potentie pulcher-
 rimo ordine servant gratissimam harmo-
 niam.

ANNOTATIONES.

Varia hic enumerat bona, quæ vitæ
 sobrietas pariat, & mala, quæ arceat.
 Unum hic observa, quod Medicorum do-
 ctrina non congruit: ait enim in iis cor-
 poribus qui in victu sobrietatem servant,
 spiritum suaviter discurrere per Arte-
 rias,

rias, & sanguinem blande per venas diffundi, Erasistrati opinioni hærens, qui putabat spiritus vitales contineri in arteriis, sanguinem autem in venis, quem acriter redarguit Galenus in eo Tractatu, cui titulus, *Quod sanguis in Arteriis natura contineatur*, non solum enim in Arteriis continetur sanguis, sed perpetuo, ac rapido motu per illas fertur, solusque est qui partes nutrit, qui vero a nutritione refectus est, per venas redux ad cor revertitur, si circulationis lex vera est, uti verissima, & ipsis sensibus obvia, sed vetustati prorsus ignota, quam Mundo patefecit Harvejus Angliæ Democritus, qui hujusce arcani in omnibus animalibus prima rudimenta hausit Patavii ab Aquapendente, & Paulo Sarpa.

O sanctissima, & innocentissima sobrietas, unicum naturæ refrigerium, benigna mater humanæ vitæ, vera tam animi, quam corporis Medicina! quantum te mortales laudare, quanto affectu, & promptitudine amplecti deberent, quia præbes illis modum, quo maximum hujus vitæ bonum, vitam inquam, & sanitatem tueantur! Utinam ipsis tua bona perspecta forent, præsertim iis, qui vitæ sanctæ, & spirituali dediti, in Monasteriis contemplationi & orationi vacant. Quanto & ipsi, & eorum actiones summo Deo gratiores forent, si totos se ad te colendum conferrent. Quantum hunc Mandum, & Ecclesiam Christi exornarent. Nam in terris æstimarentur ut vere Patres Sancti, sicut olim habiti fuere antiqui Heremitiæ, Religiosi, & Episcopi, qui præter vitam spiritualem, etiam hanc sobriam servabant. Sicut hi vivendo hoc modo ultra 100. annos sæpenumero ætatem extenderunt, & multa miracula patrarunt, ita & illi facerent, eandem duce fecuti. Essent præterea sani, contenti, alacres, ubi modo magna ex parte sunt morbidum, melancholici, inquieti, sua sorte non contenti. Et quia aliqui dicunt, ista illis a Deo imitti, ut exer-

ceat illorum patientia, & ipsi pro peccatis poenitentiam agant, ego puto illos decipi, quia non possum credere, Deo placere ut homo opus & imago ipsius, quem tantopere amat, vivat infirmus, melancholicos, male contentus, quin potius illi placet, ut vivat sanus, alacris, bene contentus. Sic enim vivebant Sancti Patres, & ita melius serviebant Divinæ Majestati, orationibus, & sanctis operibus vacando. O quam pulcher esset hic Mundus, si tales essent Religiosi hujus temporis, quia nunc sunt plures Religiones, & plura Monasteria, quam olim erant, in quibus si regula sobriæ vitæ servaretur, magnus esset venerandorum senum, doctrinæ, & sanctitatis eminentium numerus, quos Orbis suspiceret. Neque idcirco deessent vitæ, ordini, & regulæ vivendi, quam Religio vel Monasterium statuit, sed potius hanc redderent perfectiorem. Nam in omni Religione concessum vesci pane, & bibere vinum, & interdum vesci ovis, & in quibusdam permixta etiam caro; præterea variorum sorbitiones, acetaria, fructus, & ovorum tortulæ; qui cibi sæpe illis nocent, & aliquibus vitam adimunt, sed quia ab ordine concessi, illis utuntur, cogitantes forsitan se peccaturos, si aliquid ex illis relinquerent. Verum non peccarent, imo magnum bonum præstarent, si ubi trigessimam ætatis annum excessere, illos relinquerent, & inciperent vivere pane, & vino, cum panatella ex pane, & ovis cum pane. Hæc est vera ratio conservandi hominem a pravis succis & humoribus, malæque complexionis, estque multo laxior, quam illa Sanctorum Patrum antiquorum in desertis, qui solum fructibus silvestribus, & herbarum radicibus vesciebantur, & aquam hibeant, & nihilominus diutissime sani, alacres, & bene contenti vivebant.

Idem evenire Religiosis hujus ætatis, quibus etiam hac ratione facilius esset adscensus in coelum, quod omni fidei Chri-

stiano semper patet, postquam Dominus noster, sparsa pro nostra redemptione suo pretioso Sanguine, illud semel nobis aperuit.

Possem hic plura alia in commendationem vitæ sobriæ in medium adferre, sed quia non est mihi propositum conscribere panegyricum, finem facio, ut & ipse sim sobrius in hac causa, reliquis in aliam occasionem dilatis.

ANNOTATIONES.

Absolvit tandem Tractatum suum Auctor noster, elogium vitæ sobriæ conscribens, ac beneficia refrens, quæ ex illa rite servata, hominibus proveniunt, inter quæ potissimum longævitatem refert, exemplo Eremitarum, qui solis herbis, plantarum fructibus, & simplici aquæ potu ad inte-

gra fere secula vitam sanam producebant, quod idem ait nostris quoque temporibus eventurum Religiosis Viris, qui intra claustra vitæ spirituali se addixerint, si sobriam vitam rite servarent, qua neglecta morbidæ, ut plurimum, fiunt, melancholice, inquieti, & sua sorte non contenti, neque excusandos ait, dum dicunt Deum sic velle illorum patientiam exercere, sed recte dicit Auctor, Deum velle homines esse sanos, ut illi serviant in lætitia, ideo non custoditæ sobrietatis pœnas luerent. At Religiosos Viros, qui vitæ spirituali se devoverint, secularibus vitæ commodis ob opes, quibus affluunt, liberaliter uti, novum non est; observavit id olim & doluit D. Hieronymus, adspiciens nonnullos ditiores Monachos, quam fuerant seculares, uti videre est apud eundem in Epistola ad Nepotianum de vitæ Clericorum, & Sacerdotium.



LUDOVICI CORNELII ²¹⁵

AD REVERENDISSIMUM D.

D. BARBARUM,

AQUILEJÆ PATRIARCHAM ELECTUM

EPISTOLA

Reverendissime Domine.

HUmano intellectui divini aliquid inesse, multa quidem palam faciunt, sed præ cæteris modus, quo homines per Epistolas didicere amicis absentibus, sensa sua communicare, ut inter se quodammodo videantur colloqui, ad ingentem quoque locorum distantiam, uti modo tecum facio. Hac igitur Epistola de rebus jucundis, & magnæ utilitatis verba faciam, quamvis hac de re alias coram sermo habitus fuerit, non in hac tamen ætate, qua nonagesimum primum annum ago, quando nihil mihi detrahunt anni, imo quo magis procedunt, prosperitatem augment, quod multis summæ admirationi est, non ita mihi, qui causam novi, & demonstrare teneor, post 80. annum, posse hominem in terris summa felicitate perfrui, qualis obtineri nequit, nisi nunquam satis laudata vitæ sobrietate Deo quoque gratissima, ut quæ sensum comprimat, & rationem eleve. Modo, ut exordiar, scito me convenisse hisce diebus multos in hoc Patavino Lyceo Professores, tum Medicos, tum Philosophos, quibus longævitas mea erat perspecta, & satis notum, quomodo tam perfecta valetudine, & animi lætitia, memoria, intellectu, voce gauderem, & qua ratione in singulos dies octo horas impenderem, ut manu mea Tractatus ad publicum bonum conscriberem, multis horis deambulando, canendo, sicque diem traducendo. O Reverendissime Domine, si me preces meas ad Deum canentem, & Davidis exemplo chelym pulsantem audires, magnam sane perciperes voluptatem. Mirabantur sane paulo ante laudati Professores, quomodo de tot rebus diversi generis, & quæ multam exigèrent attentionem, hac ætate possem scribere. Potes itaque mente concipere, quanta animi voluptate perfundar. Unanimiter itaque pronunciarunt, me jam senem in dies juvenescere, dum cæteri homines, qui annum attigerint 80. ad omnes fere operationes sint inepti, & omni morborum genere male plectantur, ac si quis forte nullam patiatur corporis ægritudinem, memoria & intellectu, ut plurimum careat. Non omni tamen ex parte felix esse potest vita quam duco, quin aliquid incidat, quod illam perturbet. Quinquaginta ab hinc annis affectione quadam laborare cœpi, quam non nisi ad occultam proprietatem referre possum, qualis affectio est, ut quotannis ineunte Luglio, per totum Augusti men-

sem abstemius fiam, ut nullum vini genus sine gravi noxa potare valeam, huiusmodi enim tempore, vinum mihi prorsus hostile est, ac præsertim stomacho, quo alimento destitutus, quando ex aquis licet rite paratis alimonia nulla suppetit, magnam visum prostrationem patior. Cum itaque sine vini potu nullum cibi genus mihi sapiat, circa medium Augusti mensem summa macie conficior, & ad luctandum cum morte pene deducor, cui malo ut occurrerem, curabam ut ex tuis præcocibus maturescen-
tibus, vinum recens mihi compararem, quo mirifice trium dierum spatio recreari me sentio, mirantibus non parum Medicis, quomodo vinum recens non defæcatum, loco remedii esse posset, & proclamantibus non posse ultra unum, aut alterum annum vitam protendi, cum tamen ab huiusmodi prædictione jam anni 10. effluxerint: idcirco cum se delusos viderent, & me in singulos annos in melius proficere, magna eloquentia, sed parum firmis rationibus, tam singulare munus, mihi vel a natura, vel ab occultis siderum influxibus concessum asseriebant. Magnam equidem esse vim eloquentiæ ultro fateor, sed persuaderi non poteram, ut crederem aliunde id proficisci, quam a suscepta, & observata victus ratione. Alia quoque voluptate perfundi me cognovi, mecum animadvertens longævitatē cum experientia vi pollere, ut indoctum hominem doctum faciat, cum experientia verum & stabile Scientiarum omnium sit fundamentum, certus quippe tale Medicorum assertum, esse omnino falsum. Vide quæso Reverendissime Domine, quam facile hominum ratiocinia cadant, ubi falsis fundamentis fuerint superstructa. Demonstrare siquidem mihi perdifficile esset, non esse hoc peculiare donum, mihi a natura concessum, cum a cæteris nullatenus differam, & iisdem humoribus sim conflatus, imo cuique felicitatem hanc appetenti, non magnus est labor illam assequi, si velit, homini enim præter sensum, rationem ac in-

tellektum, Deus Optimus Maximus impertitus est, quorum ope se ad extremos usque vitæ fines sartum tactum servare possit, & quia quisque cum juvenis, est sensui, & voluptati totum se tradere pro more habet, sciat propterea, ubi 40. annum attigerit, se juventutis favore, & stomachi nativo robore medium iter exegisse, postmodum autem descensum, & declinationem ad senectam sibi superesse, quare necessariam esse in victu mutationem, tum in qualitate, tum in quantitate, ac meliorem ordinem servandum; fieri siquidem nequit, ut qui appetitui, & voluptati indulgere velit, errata non committat, quæ mala ut caverem, sobriæ vitæ me totum mancipavi. Fateri tamen licet, huiusmodi transitu a voluptuosa vita ad sobriam, me non parum laborasse, quare, ad difficultatem tollendam, continentiam quæ Divinum Dei donum est, suppliciter ab ipso Deo oravi, sicque paulatim ad frugalis vitæ castra me contuli, quæ postea mihi non admodum molesta fuit, quamvis non adeo validum temperamentum a natura sortitus essem. Quicumque igitur huic vivendi generi se velit adicere, si firmo corporis habitu sit præditus, meo exemplo non tam arctis legibus se debet obstringere, sed liberalius ad vires sustentandas nutrire se poterit. Medici itaque qui sermones hosces meos, & rationes audierant me a veritate non aberrare ingenuè confessi sunt, junior tamen ex his Medicis, protestatus est rationem evincere, proposita mea vera esse, sed sibi rem fore difficillimam, cui ego reposui, mihi quoque rem perdifficilem fuisse, sed ubi honesti ratio sic exigit, opera, quæ Deo pergrata sunt, licet ardua esse suscipienda, novit enim ille hominem, ubi 80. annum attigerit, a sensuum tyrannide liberum esse; constituit enim Deus humanæ naturæ longos vitæ fines, ac voluit eum, qui ad naturales vitæ terminos devenit, sine labore, & anxietate, ab hac vita ad aliam immortalem per solam resolutionem

lutionem migrare, ut mihi spes est Sanguine Sacratissimo Salvatoris nostri, quem ipse fudit, ut animas ab huiusmodi pœnis eximeret. Diētis meis annuit Mēdicus ille juvenis, dixitque sobriæ vitæ se devovere velle & experiri aliquando, in senectute, hanc animi quietem, & solatium. Desiderium quo flagrabam Vir Reverendissime tecum colloquendi, me prolixiorē fecit. Ajunt nonnulli, me oleum, & operam perdidisse, homines ad vitam sobriam amplexandam adhortando ac hosce meos tractatus Platonice Reipublicæ, cujus existentia non nisi idealis fuit, speciem referre, & si rationibus meis fidem non habent, credant saltem Experientiæ, quæ palam facit, me vitam multos annos hoc pacto servasse, antequam tractatum istum conscriberem, neque illum publici juris fecissem, nisi a quolibet servari posse fuisset expertus, jamque a non paucis accepi, quosdam, Tractatu hoc meo perlecto, huiusmodi vivendi generi, nec sine fructu se addixisse; quod igitur de Platonis Republica obtrudunt, in hoc Tractatu de Vita sobria locum minime habet, sed huiusmodi hominibus, qui sensibus, & voluptatibus potius, quam rationibus auscultant, iusta punitio est, si gravissimos morbos, atque interdum etiam intempestivam mortem sibi accersant.



ANNOTATIONES.

Duo admiratione digna, quæ vix fidem mereantur, observasse ait, Nobilis Scriptor, nisi in se ipso fuisset expertus, unum quod ab usu cinnamomi, quam piperis si magis incalescere persentiret, alterum quod quotannis Julii, & Augusti mensibus a cujusvisque vini genere, tali aversione corripere, ut abstemius omnino fieret, & hanc ob causam succedente ano-
rexia, in summum languorem, & vitæ discrimen deduceretur, iis autem mensibus exactis, a vino recenti prodigii ad

instar, cum sanitate in gratiam rediret. Cinnamomum vi pollere calorem acriorem excitandi, quam piper, non admodum miror: piper enim est substantia nimis dura, & compacta, ut a stomachi fermento non tam facile dissolvi possit, si enim integrum assumatur, tale redditur, neque ex illo olei quidquam obtinetur, cinnamomum vero multum habet oleositas, quæ natura amica subit venas, & lampadis vitales pabulum est. Vulgaris autem observatio est, piperis modice contusi, & fracti, quam in pulverem tenuissimum reducti securiorem esse usum. Mirari autem magis licet, quomodo vinum vetus depuratum ac defacatum prædictis mensibus, Cornelii nostri stomacho adeo hostile esset, recens vero Septembris mense paratum adeo amicum, ut remedii loco esset, quando omnes, qui sapiunt, nisi cogat necessitas, a vinis recentibus, quantum possunt, abstinent; qui veteri utuntur vino sapientes puto, aiebat Plautus in Cassina; locus æstat in hanc rem apud D. Lucam cap. 5. ubi de vino veteri hæc dixit Servator noster; Nemo bibens vinum vetus, statim vult novum, dicit enim vetus melius esse. Experiamur itaque an quidquam in medium proferre liceat, quod probabilitatis specimen aliquod habeat. Hujus itaque a universarii affectus gravis, ac insolentis, causam potissimam in habitum siccum, & squallidum, quem a vita sobriæ usu Vir Nobilis contraxerat, referri posse existimo. Cum enim a primordiis valde imbecilem corporis constitutionem fuisset sortitus, & transitu a lautiori vivendi genere, ad vitæ sobriæ castra, omnino exsuccus, & junceus factus est, qualis siccitas postea per æstatem, sole dies referente sicca ita augescebat, ut major esse non posset; in huiusmodi autem statu ac tempore, vinum ex sua natura, ob partes spirituosas, quas habet, calorem vitalem, & fermentum stomachum depascere potius aptum est, quam fovere, & pascere; sic enim Celsi monito æstate dilutius, hyeme

me meracius bibendum, hinc latrante Sy-
rio omnes qui sapiunt a vini usu sibi tem-
perant, ac ad tabernas confluent, ubi pti-
sane, & aquæ ex acido limonum, auranti-
orum, cerasorum, fragorum satis elegan-
tes parantur, ubi liberaliter, & forsitan
etiam nimis se proluunt. Quod autem
vinum recens in hoc Nobilissimo Viro,
præ cæteris exhausto præsidii loco esset, ac
tam cito stomachi robur instauraret,
in acidum volatile, quod in avis matu-
ritatem nondum assecutis præpollet, refe-
rendam existimo. Scire autem oportet vi-
na soli Patavini, quibus Nobilis Patiens
utebatur, id peculiare habere, quod ex
sua natura multum acidi volatilis obti-
neant, ac in tinis citissime summo fervore
ebulliant, & paucos post dies facta despu-
matione, & partium præcipitatione clare-
scant, unde non solum plebs rusticana, sed
urbana vinis novis Augusti, & Septēbris

mensibus paratis, sine noxa utitur; id in
hisce vinis recentibus observavi, quod ubi
in doliis ad quindecim fere dies ebullie-
rint, ab ebullitione, & murmure omnino
cessent; atque foramine concluso, sua
quicti ibi relinquantur, quod in cate-
ris regionibus non evenit, ubi vina
per totam fere hyemem in doliis perstrepe-
re percipiuntur, antequam perfectam de-
spurationem assequantur. Instaurato ita-
que a grata vini novi aciditate ventricu-
li fermento, quod a vino veteri in habitu
corporis cæteroqui squalido & magis
æstuosis anni mensibus fuerat exustum,
mirum esse non debet, si corpus postea re-
nutriri inciperet, ut fit in iis, qui post-
quam longis lævitatibus intestinorum
laborarint, ructu acido supervenien-
te, qui prius non aderat, licet macie confe-
cti, sua sanitati, & pristino nitore red-
duntur.



T. II




Fig. 3



E



C



Fig. 4

B

INDEX

RERUM & MATERIARUM,

Quæ in omnibus Operibus BERNARDINI RAMAZZINI

Continentur.

A

Abscessus aliquando morbus, modo non
tom. I. pag. 147.
Abstemius quotannis fiebat Auctor mense Ju-
lio, & Augusto magno vitæ periculo
t. 2. p. 227. & seq.
Academia Mutinensis plures nutrit Vitos
eruditos, t. 1. pag. 6.
Academiarum in plerisque regionibus insti-
tutio t. 1. pag. 2.
Academiarum utilitates, & usus t. 1. pag. 2.
Academia sunt firmissima Civitatum colu-
mina t. 1. pag. 5.
Aetum corpulentiam imminuit t. 2. p. 190.
portionem aliquam spiritus ardentis con-
tinet t. 2. pag. 62.
Acidum latens in sulphure obscuratur a pin-
guetudine. t. 2. p. 61. & seq.
vini an ebrietatis causa *ibid.*
volatile morborum castrensiū causa
t. 2. pag. 106.
volatile in uvis maturitatem nondum af-
fecutis prævalet t. 2. p. 226.
Aegyptus Nili donum t. 1. p. 207.
Aer nem levior sit imminente pluvia, gra-
vior vero serenitate restituta inquiritur
t. 1. p. 272. & 282.
Aer Australis, & Borealis cujus indolis t. 1.
p. 163.
calorem sanguinis acuit t. 2. p. 154.
fermentationis auctor est *ibid.*
sedinarum quomodo emendatur t. 2. p.
9.
Morborum Epidemicorum, ut plurimum
causa t. 1. p. 119.
Qualis ad bonam respirationem *ibid.*
Crassus & partibus volatilibus, quæ a sole
emanant, destitutus, bilem languidam
efficit, & succum pancreaticum acio-
rem reddit t. 1. p. 120.
Qualis circumfusus, tales humores, &
spiritus t. 2. p. 8.

Aer Quis eligendus sit in Castris t. 2. p. 194.
ejus natura & effectus t. 2. p. 8.
tenuis sanitati non semper confert,
t. 2. p. 54.
vitæ, & morborum auctor t. 2. p. 46.
salubris multum confert longævitati, &
sanitati t. 2. p. 206.
in his puteis hyeme dum construuntur
est quietus, ut lumina persent accen-
sa, sub verno tempore ob fumosam
exhalationem exstinguuntur, t. 1. p.
218.
Aeris malleatores oculorum morbis nun-
quam obnoxii t. 2. p. 126.
Aestate cur lente ambulandum, præter
quam ad solem, ratio redditur t. 2. pag.
206.
Æstuarium Venetum fortissimum a suis
hostibus munimentum t. 2. p. 218.
Ætas puerilis minus apta ad Chinæ Chi-
næ usum ob errata in victu t. 1. p.
172.
Agricola morbis pectoris, ut plurimum
obnoxii t. 2. pag. 58.
Agricolis agrotantibus magis confert
purgatio quam venæ sectio. t. 2. p.
101.
Agricultorum pueri sub Æquinoctium my-
driasi laborant, ac sponte sani fiunt
t. 2. p. 99.
Agrorum stercoreatio ab Hesiodo damnata
t. 2. p. 100.
Algida febres eæ sunt, quæ ab initio usque
ad sui finem perpetuo comitantur
frigore, suum tamen typum servantes
t. 1. p. 279.
Alkalia cum alkalicis interdum efferve-
scunt t. 2. p. 62.
Allia, & corpora agricultorum theriacen ap-
pellat Galenus t. 2. p. 102.
Alternatio operationum, naturæ gratissi-
ma t. 2. p. 82.
Alvus adstricta clysteribus emollientibus
Ff 2 non

I N D E X

non est referenda, t. 2. p. 176.
Alvi adstrictio ut corrigenda, *ibid.* in senibus ut præcavanda? t. 2. p. 184.
 laxitas ut corrigenda? t. 2. p. 176.
 obstructio castia non est reseranda, *ibid.*
Anilum habet vim corrosivam: contra quam creditur t. 2. p. 71.
 parantes tussicoli, asthmatici t. 2. p. 70.
Anatomia per mortes animalium plurima detexit inventa t. 1. p. 12.
Animalia in fodinis degentia, lucifuga dicta t. 2. p. 8.
Animæ, & corporis fida societas valetudinis fundamentum t. 2. pag. 112.
Animam a lectione, & vocis exercitio moveri quid intellexerit Hippocrates t. 2. pag. 97.
Animi affectus in Principibus morborum sunt auctores t. 2. p. 178. & 179.
 affectus sunt moderandi *ibid.*
Animi affectuum vis in corpus *ibid.*
 Ad *Anims* affectus propensio dicta ut corrigenda? *ibid.*
Animi pathemata morborum causa præcipua t. 2. pag. 207.
 pathemata sobriam vitam servantibus non adeo noxia quam iis qui intemperantes vivunt t. 2. pag. 207.
Anni climæ ærici per septenarios & novennarios procedunt t. 2. p. 217.
 unius spatium a variis malis veteribus sola victus sobrietate sanatus est Augustus t. 2. pag. 205.
Antiochi Medici jam senis qualis esset vivendi ratio t. 2. pag. 211.
Antiperistasis veritas ex his fontibus, demisso thermometro ostenditur t. 1. p. 217.
Antrum prope pagum Vulturnensium, unde aura frigidissima per æstatem exspirat t. 1. p. 217.
Apes quando steriles & infirmæ t. 1. p. 118.
Apoplexia, Catarrhi, Cachexiæ, Hydropes acidi prædominium significant t. 1. p. 133.
Apoplexia multiplex tom. 1. p. 143.
 aliquando deperditur loquela, non vox *ibid.*
 quid conferat ad prognosim & curationem t. 1. p. 144.
 quando exigit V. S. t. 1. p. 179.
Aponia in maligna febre alia convulsiva, alia exsolutoria t. 1. p. 144.

Aqua quomodo per strata arenosa occulte effluat t. 1. pag. 210.
 descendens per loca arenosa, si detur hiatus, resilit t. 1. pag. 211.
 istorum fontium a maris cum appenninis montibus commercio deducitur t. 1. pag. 210.
 horum fontium quomodo a mari deducta, a suo hydrophylacio descendens resiliat, per figuram secundam explicatur t. 1. pag. 211.
Aqua destillata plantarum sudores dicuntur t. 2. pag. 12.
Aqua marinæ quomodo suggerere possint humorem his fontibus, variæ referuntur opiniones t. 1. pag. 213.
Aqua horum fontium non possunt habere hydrophylacium in jugis Appennini t. 1. p. 214.
 istorum puteorum mobiles sunt, & post perforationem cursum prosequuntur t. 1. pag. 220.
 istæ cur in altum adscendant *ibid.*
 fluens per fistulam licet sint parva foramina, nihil aquæ ab illis effluit, si vero obex apponatur, per foramina effluit, per figuram secundam demonstratur t. 1. pag. 221.
Aqua puteales ex nimia illuvione cænosæ, & semiputridæ t. 1. pag. 121.
Aquas pluviales pro potu communi cæteris prætulit Hippocrates t. 1. pag. 229.
Aquas subterraneas unde fontes, isti emanant non esse stagnantes, sed currentes, multis rationibus ostenditur t. 1. pag. 192.
Aqua non convenit in febritus ab acido exortis, t. 1. pag. 129.
Aqua quæ mercurio naturaliter inest confert ad ejus adscensum vel descensum in barometro t. 1. pag. 280.
Aqua nivis plus habet nitri quam aqua fontis, idque experimento probatur t. 1. pag. 281. & 282.
Aqua Nili pro potu optima, utpote longo cursu exercita t. 1. pag. 230.
 simplex, quæ cæteris præfertur, aeri sereno debet esse simillima *ibid.*
 Virginis Romæ aeri sereno persimilis *ibid.*
 Levis ea est quæ nullum affert in hypochondriis gravitatem t. 1. pag. 231.
Aqua fontium Mutinensium æstate valde frigida, hyeme tepentes t. 1. pag. 232.

RERUM, & MATERIARUM.

& corruptione diu immunes, aluminosa
 qualitatis participes *ibid.*
 Mutinenses nunquam putrescunt t. 1.
 p. 222.
 in quibus cito coquuntur legumina,
 male præferuntur cæteris aquis *ibid.*
 Aqua Nili teste Alpino longævus homi-
 nes facit *tom.* 1. p. 23..
 erumpens in prima perforatione mul-
 tam eructat glaream & sabulum,
 postea clarescit t. 1. p. 187.
 Aqua horum fontium in situ urbis deve-
 xiori assurgunt supra planum t. 1.
 p. 188.
 horum fontium in eadem sunt altitu-
 dine *ibid.*
 Aqua lateralis pressio manifesta est in
 iis, qui in aqua usque collum se im-
 mergunt t. 1. p. 195.
 Aquarum aversio a fluminibus, ne arenæ
 nimiam copiam in mare deferrent, &
 portus obstruerent a nonnullis impro-
 batur t. 2. p. 219.
 Aquarum emersionem non posse fieri a
 terræ pressione ostenditur t. 1. pag.
 143.
 Arabes artem Medicam obfuscarunt t. 1.
 p. 10.
 Arborum trunci interdum in horum pu-
 teorum fundo reperiuntur t. 1. p. 189.
 Anchiatri Principum t. 2. p. 49.
 requisita *ibid.* & seq.
 Arenam usque ad centrum terræ protendi
 credidit Helmontius t. 1. p. 211.
 Arenæ proprietates est aquam sorbere t. 1.
 p. 210.
 Argilla oleum absorbet a vestribus t. 1.
 p. 22. & 23.
 Armenta solo odoratu herbas bonas &
 malas dignoscunt t. 2. p. 205.
 Ars plastica Mutinæ olim præclara t.
 1. p. 219.
 Arthritidis prophylaxis t. 2. p. 191. & 192.
 causa *ibid.*
 Arthritis & calculus sunt affectus cognati
 t. 2. p. 191.
 Ars texendi olim nobilis, nunc plebeja
 t. 2. p. 124.
 Arthritis, & Nephritis binæ sorores, &
 vitæ sedentariæ filiae t. 2. p. 111.
 Ars texendi antiquitus duplex t. 2. p. 124.
 typographica seculi 14. inventum,
 num utilior, an damnosior fuerit
 t. 2. p. 119.
 Turcicum Imperium illam non admit-

tit t. 2. p. 120.
 Artium omnium, & sapientiæ quoque
 magistra paupertas t. 2. p. 109.
 Artifices in censu Romanorum olim de-
 scripti in Præf. t. 2. p. 2.
 Artificum Collegia a Numa Pompilio
 Romæ instituta in Præf. *ibid.*
 Artifices Statarii quibus morbis obnoxii
 t. 2. p. 80.
 sedentarii quibus morbis tentari so-
 leant t. 2. p. 81.
 ægrotantes in parte, quæ magis exer-
 cetur, decubitus pati solent t. 2.
 p. 82.
 Asclepiades totam medendi rationem tur-
 bavit sola victus ratione instituta t.
 2. p. 211.
 Asthma obesorum unde? t. 2. p. 189.
 montanum quid sit: ejus remedia t.
 2. p. 7.
 Athletis usus venereorum interdiceba-
 tur t. 2. p. 94.
 iisdem aliquando permittebatur ad hi-
 laritatem conciliandam *ibid.*
 Atmosphæræ pressio diversa quid in cor-
 pore humano efficiat? t. 1. p. 155.
 Atramenti species observata ex solutio-
 ne v trioli, & solutione Chinæ Chi-
 næ t. 1. p. 181.
 Avium carnes quæ salubriores t. 2. p. 163.
 Avus cur nepotes suos ament, magis
 quam parentes ipsi t. 2. p. 222.
 Auctor Operis undecim nepotes. habebat
 ex iisdem parentibus natos, quorum
 consuetudine certis horis maxime de-
 lectebatur t. 2. p. 220.
 Auctoris opinio de usu Chinæ Chinæ va-
 ria secundum diversas suas ætates t.
 1. p. 171.
 Auctoris opinio de hydrophylacio in vi-
 sceribus Appennini, quod cum mari
 communicet, & aquam his fontibus
 suggerat t. 1. p. 210.
 Auctor in horum puteorum fundo pluries
 descendit ante perforationem, ut aquæ
 fluentis murmur perciperet t. 1. p. 188.
 Aura e puteis ubi triticum reponitur
 perniciosa t. 2. p. 72.

B

B Alnea antiquitus Artificum solamen
 pro munditie, & lassitudine tollen-
 da t. 2. p. 35.
 remedium præservatorium ab herniis
 t. 2.

t. 2. p. 46.

Bjuli vasorum sanguinis in pectore ruptioni obnoxii, iidem asthmatici, ac herniosi fiunt *t. 2. p. 91.*

quare super humerum pondus gestantes curvi incedant *t. 2. p. 92.*

Barometrice Ephemerides *t. 1. p. 262. & seq.*

Barometrorum phaenomena explicata *t. 2. p. 155.*

Bella, & se litiones Principe existente valetudinario ortae *t. 2. p. 148.*

Bombicis sordes pessimae, aerem inquinantes *t. 2. p. 76.*

Boves quando facile luxentur *t. 1. p. 118.*

Bononiensis Schola laudatur *t. 1. p. 180.*

Borelli de adscensu, & de censu mercurii in barometro sententia *t. 1. p. 265.*

Botanica excolitur *t. 1. p. 15.*

Buruetii opinio de statu mundi ante diluviano *t. 1. p. 203.*

C

C *Advera* in Templis tumulandi consuetudo aer in parum salubrem reddit *t. 2. p. 45. 46.*

Cacochymia ab esu leguminum *t. 1. p. 145.*

Calcis decoctum in diabete *t. 2. p. 26.*

Calculi in bobus, equis frequenter reperiuntur *t. 2. p. 74.*

à causa externa per os suscepta produci *ibid.*

causa *t. 2. p. 185.*

Calculus renum ex vini abusu *t. 2. p. 166.*

& arthritidis sunt affectus cognati *t. 2. p. 190. 191.*

prophylaxis *ibid.*

Calor blandus hyeme in horum puteorum fundo persentitur, ac dimissio thermometro liquor attollitur *t. 1. p. 217.*

Caloris virtus *t. 1. p. 150. & 151.*

Calx oleo perfusa non effervescit *t. 2. p. 26.*

Calvities est probrosa *t. 2. p. 185.*

Camera optica, quomodo fiat visio, egregie ostendit *t. 2. p. 95.*

Canalis dictus, *il Taglio*, factus ad averte dam aquam à Medoaco, ne arenam nimiam in mare inferret, & portum obstrueret *t. 2. p. 219. 220.*

Canabis & lini maceratio aerem pestilentem eddit *t. 2. p. 100.*

Cadaverum hominum epidemia contagiosa existit eorum dissectio & inspectio *t. 1. pag. 88.*

Calor non confert ad adscensum vel des-

censum mercurii in barometro *t. 1. p. 217. & 218.*

Candelarum sebacearum nidor capiti & stomacho valde noxius *t. 2. p. 41.*

Canicularibus diebus aquae paratae ex acidis valde utiles *t. 2. p. 226.*

Canis, & aliorum astorum ortus varius *t. 1. p. 123.*

Cantharides toto corpore sunt armatae, & totae sunt ulcerativae *t. 2. p. 28.*

Cantores, & *Phonasci* quibus morbis obnoxii *t. 2. p. 96.*

Caput capillitio munire consuetudo salutaris *t. 2. p. 115.*

Carbonum vis pestifera *t. 2. p. 123.*

Cardiaca acida quo tempore utilia *t. 1. p. 150.*

Caries ex frugibus Pulmonibus valde noxia *t. 2. p. 71.*

Carmen seculare quid *t. 1. p. 9.*

Carminatores cannabis, lini, & sericearum placentarum asthmatici *t. 2. p. 75. 76.*

Carnes animalium domesticorum salubriores sunt quam ferinae *t. 2. p. 163.*

leves ad stateram Hippocrati quid? *ibid.* durae sunt flagellandae *ibid.*

Carnium esus oris scortore patrat *t. 2. p. 162.*

Caro ex porculo lactente in sputo sanguinis salubris observata *t. 2. p. 90.*

Casei nequitia à Lotichio descripta *t. 2. p. 41.*

Cassia in alvi obstructione non convenit *t. 2. p. 176.*

Castrense proverbium qui Patriam quatit, mortem invenit *t. 2. p. 107.*

Castrensis febribus Chinae Chinae usus noxius *t. 1. p. 179.*

In Castris constituto Principi quid tenendum? *t. 2. p. 194.*

mundities sit *ibid.*

Castorum mundities apud Israelitas ex praecepto observata *t. 2. p. 105.*

Casus Comitum Torricini exponitur *t. 1. p. 181.*

Cataractae generatio *t. 1. p. 137.*

causa non est caput *ibid.*

Cataractae materia, locus &c. *ibid.*

quo ad senes observatio *t. 1. p. 141.*

Causae morborum Epidemicorum *t. 1. p. 119.*

Cerevisarii dum parant cerevisiam temulentii fiunt *t. 2. p. 65.*

Cervia Civitas salis promocondus *t. 2. pag. 78.*

RERUM & MATERIARUM

- Cervia* civitas pene deserta, Summorum Pontificum privilegio, omnium exulium tutum est asylum t. 2. p. 79.
- Chymicorum* morbi t. 2. p. 15.
- China China* vim febrifugam licet potius admirari quam intelligere t. 1. p. 171. nihil e sua natura a corpore educit *ibid.*
- China China* abusum esse, illam exhibere quacumque ætate, regione, sexu, tempore, temperamento t. 1. p. 172. virtus opio assimilatur t. 1. p. 182.
- China China* in constitutione sicca, feliciorem habet usum, quam in humida t. 1. p. 169.
- China China* decoctum ad usum clysterium adhibitum t. 1. p. 181. energia in stomacho præcipue, in aliis partibus, aut parva, aut nulla *ibid.*
- Christiani* ad metalla olim damnati t. 2. p. 6.
- Chyli* verus cursus a Pecqueto detectus t. 1. p. 15.
- Cibi* attritio in stomacho apud Galenum quid? t. 2. p. 159. debiliores Hippocrati quid? t. 2. p. 162.
- Ciborum* varietas nocet t. 1. p. 19.
- Ciborum* varietas vitanda t. 2. p. 158. copia vitanda *ibi.*
- Cicadarum* natura, nutritio. t. 1. p. 125. si fileant malum *ibid.* quodam anno aphonæ, non sic Ranae t. 1. p. 114.
- Cinnamonum* cur Auctorem Operis magis calefaceret, quam piper t. 2. p. 227.
- Circulus* aquarum in Geocosmo describitur t. 1. p. 216.
- Cita* vel tarda aquarum corruptio, num sit bonitatis argumentum quæritur inter Medicos t. 1. p. 222.
- Civitates* quæ in Via Æmilia sunt, non longe a montium radicibus erant posite t. 1. p. 209.
- Civitatum* in plano hoc est fatum, ut temporis progressu maneant semi-sepulta t. 1. p. 216.
- Civitatum* illarum, quæ in montibus sunt, ut fundamentis denudentur t. 1. p. 216.
- Cloacarum* odor quare oculos præcipue lædat t. 2. p. 30.
- Cloacæ* Romanæ Urbis inter magnifica Edificia recensentur t. 2. p. 32.
- Cloacarum* expurgatio antiquitus inter pœnalìa opera *ibid.*
- Clyster* nutriens per 66. dies sustentavit Monialem œsophagi paralyfi affectam t. 1. p. 145.
- Clysteres* acres multo sale referti improbantur t. 2. p. 104. emollientes in alvo adstricta non conducunt t. 2. p. 176.
- Cacitas* ex cloacarum purgatione t. 2. p. 30.
- Cali* nomine ex Hippocrate aer intelligendus t. 2. p. 106.
- Cena* num liberalior prandio esse debeat t. 2. p. 211.
- Cogitatio* est animæ deambulatio t. 2. p. 113.
- Colicæ* causa t. 2. p. 150. 151. prophylaxis *ibid.*
- Colica* à ventris compressione sedata t. 2. p. 102.
- Colicæ* remedium ex emplastro chamæpitii *ibid.*
- Colirium* ex ære ophthalmiæ a fumis metallicis facta remedium t. 2. p. 9.
- Comædia* opus juvenum, Tragedia senum t. 2. p. 229.
- Comarum* adscititiarum usus t. 2. p. 185. 186.
- Comestioni* in die improbatum t. 2. p. 215.
- Commodus* Imperator quomodo a Galeno curatus t. 1. p. 18 & seq.
- Confidentia* ægrorum in Medicum quem elegerint plures sanat quam remedia t. 2. p. 211. & seq.
- Conjectoris* boni munus t. 1. p. 210.
- Constitutio* pluviosa & humida anni 1689. t. 1. p. 114. sicca duobus annis in Cispadana & Transpadana Regione observata t. 1. p. 212.
- Consuetudinis* potestas t. 2. p. 200.
- Constitutio* Uratislaviensis in qua multi à China China potione obiere t. 1. p. 178.
- Contagiosa* epidemia quæ in agro Patavino, & tota fere Veneta ditione in boves irrepsit t. 1. p. 85. & seq.
- Contagiosa* epidemiæ quæ in boves irrepsit signa t. 1. p. 86. & seq.
- Contagiosa* epidemia qua boves suere effecti est febris pestilens *ibid.*
- Convivium* Augusti t. 2. p. 160.
- Coriarii* & fidicinarii omnes fere cachectici t. 2. p. 30.
- Coriarii* ad hydropem facile propendent *ibid.*
- Cornarius* Patritius Venetus quomodo diu vixerit t. 1. p. 19.
- Corpulentia* incommoda t. 2. p. 187.
- Corpulentia* ut præcavenda? t. 2. p. 189.

I N D E X

ut arte inducatur? t. 2. p. 188.
 Principum difficilis curatu t. 2. p. 189.
Corpulentia Principū unde? t. 2. p. 187. 188.
 ejus causa *ibid.*
 ni nia probrosa t. 2. p. 189.
 hæreditaria t. 2. p. 187. 188.
 in quale tēperamentū cadat? t. 2. p. 187.
Cortex Peruvianus divinum remedium t.
 1. p. 16. & 30.
Cortex Peruvianus vim habet fixativam
 t. 1. p. 180.
 quando nocuit, & quando profuit t. 1.
 p. 169.
 malum in quibusdam febribus t. 1.
 p. 129.
 non est remedium universale t. 1. p.
 160.
 in frigidis, & humidis constitutioni-
 bus parum salutaris *ibid.*
 in calidis, & siccis e contra salubris
ibid.
Corticis Peruviani usus tertianis malignis
 convenit, uti remedium empiricum
 & cætera alexipharmaca t. 1. p. 176.
Corticis usus tutior viris & mulieribus
 exercitis, quam Nobilibus t. 1. p. 173.
Corticis nucum virtus, præsertim in in-
 flammatione t. 1. p. 125.
Crapula peste ipsa perniciosior, dum tot
 homines, e vita surripit t. 2. p. 201.
Crapula pro vitæ elegantia habetur, so-
 brietas verò pro re sordida t. 2. p. 200.
Creta figularis olim credita terminus
 fodiendi puteos, sed male t. 1. p. 212.
 Mutinensis pro opere figulino a Plinio
 laudata t. 1. p. 219.
Crocus Martis non est aperitivus, sed ad-
 stringens, nisi acidum superfluum re-
 pererit in ventriculo a quo solvatur
 t. 1. p. 131.
Crura crassa sunt equitatione t. 2. p. 159.
Cucurbitulae scarificatae an conveniant
 in febre maligna t. 1. p. 159.
Cursus majorem exigit inspirationem,
 quam expirationem t. 2. p. 87.
*Cursor*es ut plurimum anhelosi, & hæ-
 moptoici *ibid.*
*Cursor*es supra 40. annum, ut plurimum
 ad cursum impotentes sunt *ibid.*
Cursus longi reversi, circulares, inde-
 finiti quam potestatem habeant t. 2.
 p. 89.
Cursus circularis quare tantam defati-
 gationem afferat *ibid.*

D

D *Eambulationis* necessitas t. 2. p. 170.
Deglutitio propter Oesophagi pa-
 ralytim periculosa t. 1. p. 144.
Democritus & *Heraclitus* utrique repre-
 hensione digni t. 2. p. 207.
Descriptio fontium Petrolei in agro
 Mutinensi t. 1. p. 214.
Descriptio circulationis aquarum in ter-
 reno corpore t. 1. p. 216.
Destillationes ac fluxiones in pectus ab in-
 temperantia studiorum t. 2. p. 113.
Destillatores vini ex solo odore temulenti
 fiunt t. 2. p. 60.
Damunculi fodinarum incolæ t. 2. p. 8.
Deus mundum numero perfecto condidit
 t. 2. p. 217.
Dietæ regulæ in Artificibus a Platone
 deridentur t. 2. p. 102.
Diluvii universalis veritas in his puteis
 quaesita sed male t. 1. p. 219.
Disciplina liberales morum asperitatem
 emolliunt t. 1. p. 2.
Divinum Hippocratis in morbis non so-
 lum, sed etiam in remediis reperitur
 t. 1. p. 171.
Divinum Hippocratis quid sit t. 2. p. 106.
Dolia pro vino recondendo, in Germania
 sulphurari solent t. 2. p. 22.
Dysenteria aliquando minus malum diar-
 rhœa t. 1. p. 118.
Dysenteria castrenses, & illarum causæ
 t. 2. p. 705.
 remedium ab opiatīs t. 1. p. 160.
Dyspnœa metallurgis familiaris t. 2. p. 5.
Dysuria & urinae ciuentæ cantoribus fa-
 miliares t. 2. p. 58.

E

E *Brietas ænopœis* ex solo vini odore
 familiaris t. 2. p. 60.
 num a parte vini acida an sulphurea
 alkalica t. 2. p. 61.
Ebrietatis remedia ex alkaliorum fami-
 lia *ibid.*
Ebrietas levis quæ commoda valetudini
 præstet t. 2. p. 64.
Ebrietatem remedia præcaventia t. 2. p.
 66.
Eclipsis infirmis valde noxia t. 1. p. 156.
 casus insignis *ibid.*
 magna alteratio est in aere *ibid.*

R E R V M, & M A T E R I A R U M.

Epicureorum solamen in doloribus t. 2. p. 207.
Epidemia bovinae curatio, & remedia t. 1. p. 91. 92. & seq.
Epidemia bovina num humanis corporibus labem aliquam affricare valeat, disquiritur t. 1. p. 89. & seq.
Epidemia contagiosa quæ in boves anno 1711. irrepsit causa occasionalis t. 1. p. 87.
Epidemia omnes causam habent communem *ibid.*
Epidemica constitutio Fullonum t. 2. p. 34.
Epidemici morbi causæ communes, sunt præsertim aer infectus ex inferioribus, live ex superioribus, communia alimenta mali succi, & aquæ corruptæ t. 1. p. 119.
Epidemici morbi a Principe arcendi t. 2. p. 157.
Epidemici morbi non tam facile corripunt qui vitam sobriam servant, quam qui intemperanter vivunt t. 2. p. 213.
Epilepsia tentari solitus, & a quaterna sanatus, fugata quaterna per febrifugum, rursus fit epilepticus t. 1. p. 178.
Equifones mariscis infestari solent t. 2. p. 89.
Equitantes libidinosi *ibid.*
Equitatio quæ commoda afferat, & quibus morbis salutaris t. 2. p. 90.
Equitatio Principibus necessaria t. 2. p. 168.
Equitationis utilitas *ibid.* damna t. 2. p. 169.
Equi in circulari cursu quare adeo defatigantur t. 2. p. 89.
Equorum simus in aulis non est servandus t. 2. p. 155.
Experimenta multa facta permiscendo chinam cum variis succis t. 1. p. 181.
Eridanus magno impetu in mare procurrit quia multis aquis abundat t. 2. p. 220.
Exercitatio vocis animum movet, & totum corpus facit incallescere t. 2. p. 97.
Exercitationes Gymnicæ quanti fierent apud Antiquos t. 2. p. 86.
Exercitium membra amplificat t. 2. p. 67. 68.
Exercitium, & usus frictionum contrarias habet vires juxta varium illarum usum t. 2. p. 206.

F

Fabri ærarii fere omnes surdastri & gibbi t. 2. p. 126.

Fabri ærarii quibus morbis obnoxii *ibid.*
Fabri ferrarii ut plurimum lippitudini obnoxii t. 2. p. 28. & 29.
Fabri ex Platone expeditam a Medico exigunt curationem t. 2. p. 28. 29.
Fabri lignarii qui ad tornum se exercent oculorum morbis obnoxii t. 2. p. 127.
Fabri lignarii qui arbores in tabulas secant quibus affectibus premantur *ibid.*
Fallopium opinio de stratorum in montibus generatione t. 1. p. 219.
Febres castrenses malignæ t. 2. p. 104. & 105.
Febres malignæ ex halitibus cannabis macerata t. 2. p. 99. 100.
Febrim lentam augere an liceat, ad eam curandam t. 1. p. 29.
Febricitantibus num indusia & lintea mutanda t. 2. p. 35.
Febres quæ septimo die sudore erumpente judicabantur t. 1. p. 151.
Febris morborum est Princeps & Comes t. 1. p. 27.
Febris natura nondum plane innotescit *ibid.*
Febris natura secundum Hippocratem t. 1. p. 28.
Febris natura secundum Galenistas *ibid.*
Februm vera theoria & praxis adhuc desiderantur t. 1. p. 26. & seq.
Febris tertiana, etiam duplex, famelica t. 1. p. 116.
Febres tertianæ ex fermento salinoacido in legitimis magis volatile & activo, minus autem volatile, & subjecto acido irretitum in nothis t. 1. p. 120.
Febres familiaræ *ibid.*
Febres contumaces, & ad recidivam pronæ t. 1. p. 117.
Februm intermittentium causæ internæ ubi stabulentur t. 1. p. 121.
 an conveniat in ipsis V. S. t. 1. p. 127.
 quænam sit febris gastrica, quænam venosa *ibid.*
Febris petechialis natura t. 1. p. 161.
Febris petechialis t. 1. p. 156.
 mutationes lunares observandæ in tali febre *ibid.*
Febris peticularis Auctorum opiniones t. 1. p. 161.
 talis febris signa t. 1. p. 157.
 die quarta vel septima erumpebant peticulæ *ibid.*
 quibus primis diebus erumpebant mors sequeba-

G g 2

I N D E X

sequēbatur ibid.
alvi fluxus funestus t.1.p.158.
singultus feralis ibid.
Febris peticularis: qui vermes per os emis-
serunt mortui sunt ibid.
Febris stupiditas, læsio memoriæ, surdi-
tas ibid.
agricolæ sine ullo remedio, ut pluri-
imum vim morbi eludebant ibid.
remedia qualia t.1.p.159.
purgatio levis conferabat t.1.p.160.
Febris peticularis natura unde proveniat t.1.
p.165.
opinio Auctoris ad fluorem sanguinis
inclinans qua ratione, & experientia
probetur ibid.
juvenes & fortes invadebat, non senes
valetudinarios ibid.
in corporibus denatis dissectis obser-
vabantur maculæ adscendere ad cen-
tem istar fumi lampadis nuper
extinctæ t.1.p.167.
Febris lenticularis natura t.1.p.161.
Febris maligna modo in coagulatione
sanguinis, modo in dissolutione
consistit t.1.p.164.
in hac febre alvum ducere, & venam
secare periculosum t.1.p.166.
Febribus essentialiter continuis, & inflam-
matoriis noxius est Chinæ Chinæ
usus t.1.p.177.
Febris Apoplexiæ superveniens V. S. pro-
hibet t.1.p.197.
Febres parvæ adaugendæ ibid.
Febris intermittens post Chinæ Chinæ
usum nunquam ad perfectam apyre-
xiam pervenit t.1.p.177.
Febris excitatio necessario post corticem
Peruvianum assumptum, si vigeant
dolores Abdominis t.1.p.164.
fit excitatio per salem Armoniacum
ibid.
magis luxuriabatur ubi patulæ erant
viæ, & humiliora tecta ætate transa-
cta t.1.p.150.
Feces alvine cur concerventur & aliquan-
diu retineantur t.2.p.157.
Ferariensis ager Padî donum t.1.p.207.
Ficus Pharaonis, & spiritus salis Armo-
niaci laudatur ad Chinæ Chinæ dam-
na auferenda t.1.p.179.
Figuli ut plurimum vertiginosi, & paraly-
tici t.2.p.18.
Figuli ischiadi obnoxii ibid.
Figuli qui ad rotam pro conficiendis vasis

sedentes exercentur, vertiginosi sunt
ibid.
Flumina quo magis aqua abundant dum in
mare procurrunt, viam & canale in
maris fundo sibi faciunt t.2.p.220.
Flumina quo magis lente in mare currunt
plus arenæ deponunt ibid.
Fluminis subterranei, unde hi fontes emer-
gant, opinio omnino improbabilis t.
1.p.198.
Fluxum & refluxum cur non patiantur isti
fontes, si a mari habent originem t.1.
p.216.
Famineus sexus quare minus aptus ad Chi-
næ Chinæ beneficia quam virilis t.1.
p.172.
phlebotomia quando infelix t.1.p.139.
Factor oris ex carniū esu t.2.p.163.
Fontium Mutinensium admiranda scaturi-
go t.2.p.130.131.
Fontes Mutinenses, tam in constitutioni-
bus siccis, quam humidis, semper ii-
dem t.1.p.218.
qui a pluviis originem ducunt augu-
mentum & decrementum, patiuntur
t.1.p.211.
varii referuntur in eodem semper aquæ
tenore t.1.p.212.
isti supra planum non multum assar-
gunt, unde fluxu temporum aquæ
stagnabunt t.1.p.216.
Fontium origo a mari controversa t.1.p.
212.
Fontium ipsorum aquæ, cura mari potius
quam a fluviis educantur, ratio affer-
tur t.1.p.211.
Fontium omnium eadem est bonitas, &
aquæ puritas t.1.p.191.
Fontes isti sine situs delectu tam extra, quā
intra Urbem possunt haberi t.1.p.186.
Fons abyssus prope Ducale Palatium præ-
ceteris commendatur, cujus aqua cre-
tam usque delata, ad nativum fontem
incorrupta revelata est, quod aquæ
Nucerianæ non contingit t.1.p.191.
Fontium Mutinensium aquæ facile perme-
ant, & per urinā redduntur t.1.p.221.
Foricarii omnes pene cæci t.2.p.30.
Fossoribus si mense maio puteos excavare ve-
lint pene suffocantur t.1.p.218.
hujus rei redditur ratio ibid.
Fossorum vestes in chalcanthi fodinis in
pulverem solvuntur t.2.p.8.
Fossorum in fodinis quanta sit cura habenda
ibid.
Fossorum morbis remedia ibid.

Fos-

RERUM, & MATERIARUM.

Fossoria imago ex Pignorio t. 2. p. 6.
Fossor a damunculis percussus cito intereunt t. 2. p. 8.
Francisci Patritii narratio de statu antediluviano a Philosopho Abyssino credito t. 1. p. 203. & 204.
Fransiscus Tonanus laudatur, ac testis adducitur t. 1. p. 180.
Frigoris virtus t. 1. p. 150.
Frigus non confert ad adscensum vel descensum mercurii in barometro t. 1. p. 270.
Fructus parce comedendi sunt t. 2. p. 154 horaei quid? ibid.
Fragilis cibus sanitati convenit t. 1. t. 19.
Frugum pulvis pulmonibus quam noxius t. 2. p. 72.
Fruent in lolium credita conversio t. 1. p. 115.
Fullones vestes sordidas an iquitus purgabant & dealbabant t. 2. p. 33.
Fullones pedagra non laborant ibid.
Fullones urina veteri utuntur ad oleum e pannis expugandum ibid.
Fullorum epidemica constitutio t. 2. p. 34.
Fullo Mutinensi populo gladiatorum spectaculum exhibuit t. 2. p. 36.
Fulmen Agricola percussit mirabili effectu t. 1. p. 150.
Fumus ex oleo nucum exspirans caput laedit t. 2. p. 38. 39.
Fumus ex lixivio pulmonibus noxius t. 2. p. 75.
Fungi voluptuosum venenum dicuntur t. 2. p. 205.

G

Galenus artem Medicam ornavit & auxit t. 1. p. 7.
Galenus in calcianti fodinas descendit t. 2. p. 7.
Galenus palaestra se exercens, humeri luxationem passus est t. 2. p. 94.
Galeni comma contra Q. Serenum circa urinarum iudicium t. 2. p. 33.
Galenus vitae sobria fuit observantissimus, & raro agrotavit t. 2. p. 106.
Galeni Liber de consuetudine, est inter ea quae desiderantur t. 2. p. 200.
Galliam Cisalpinam maris Adriatici sedem fuisse, ex his quae reperiuntur in puteis Mutinensibus, probabilis opinio t. 1. p. 207.
Gallia Transpadana status antiquus ibid. t.

1. p. 109.

Gallina vinacea calida comedentes tenuitate fiunt t. 2. p. 60.
Gasparis Bartholini de fontium a solis pluviis origine opinio improbat t. 1. p. 212.
Genus popularis felicius curatur a Medicis quam Principes Viri t. 1. p. 17. & seq.
Germanicus Romano populo perquam charus fuit t. 1. p. 148. 149.
Glarea, quae ab his fontibus erumpit, non a montibus descendit, sed generatur in hac planitie t. 1. p. 210.
Gravidis mulieribus, & eo magis si vicinae sint partui salubrius est Chinae Chinae usus t. 1. p. 173.
Guajaci decoctum noxas a mercurio illatas emendat t. 2. p. 12.
Gypsaci ut plurimum anhelosi ac tabidi t. 2. p. 24.
Gypsi admiranda vis elastica t. 2. p. 25.
Gypsi natura calci contraria ibid.
Gypsum in loco humido marcescit, in sicco fere aeternum ibid.

H

Habitatio circa loca pratensia insalubris t. 2. p. 100.
 prope muros civitatis morbos accersit t. 2. p. 39.
Harmonica proportio in omnibus corporis partibus in ipsis etiam pudendis est admiranda t. 2. p. 210.
Hercules Auctor circulationis sanguinis, cujus tamen prima rudimenta hausit Patavii ab Aquapendente t. 2. p. 223.
Heremitola olim longevitatem a sola sobrietate acceptam referebant ibid.
Hellmontius a carbonibus accensis male mulctatus fuit t. 2. p. 223.
Hellmontii opinio de statu mundi antediluviano t. 1. p. 206.
Hemorrhoidum ex tabaci infessu provocatio t. 2. p. 42.
Hemoptoici in Aegyptum olim mittebantur t. 2. p. 97.
Hepatis structura detegitur t. 1. p. 1.
Herodicus a Platone irrisus, quod Artificibus dieteticae regulas praescriberet t. 2. p. 102.
Hippuris apud Hippocratem morbus ex equitatione t. 1. p. 89.
Hypochondriaca affectio Literatis familiaris t. 2. p. 110.

I N D E X

Hippocrates de boum morbis verba fecit
t.1. p.86.
Hippocrates fuit primus artis Medicæ con-
ditor t.1. p.10.
Histericis affectibus nutrices persæpe ob-
noxia t.2. p.50.
Hipocausta & angustæ cellæ Literatis elu-
cubrantibus noxiæ t.2. p.117.
Horatii Augenii opinio, quod aqua quo
lucerior sit, minus utilis t.1. p.233.
Hortorum cultores cachectici, ac hydropi
obnoxii sunt t.2. p.100.
Humorum maturatio impeditur ab usu
China China t.1. p.179.
Hydrophylacium unde hi fontes originem
ducunt in Appennini radicibus esse
creditur t.1. p.214.
Hydratrica legibus non repugnat hu-
jusmodi aquas esse mobiles, & ulte-
rius progredi, ac eodem tempore per
hos puteos in altum ascendere t.1. p.
144.
Hyeme meracius, ætate dilutius bibendum
t.2. p.206.
Hyemis anni 1709. constitutio algidissima
t.1. p.62. & seq.
Hyems tota serena t.1. p.153.
Mitissimis frigoribus *ibid.*
Hygeia & *Panacea* *Æsculapii* filia t.1. p.
168.

I

J *Jacobus* Carpus unctionis mercurialis
Auctor t.2. p.13.
Jacobus de Grandis nunquam scripsit de
his fontibus Mutinensibus, sed solam
mentionem habuit t.1. p.219.
Jatraliptarum morbi t.2. p.14.
Jejunantibus cur ora graveoleant t.1. p.216.
Jejunia picrocolis adversa *ibid.*
Ignis febrilis ad humores concoquendos
efficacia t.1. p.179.
Ignis non semper venenorum domitor t.2.
p.13.
Ignis non semper rerum corruptor, sed
interdum etiam auctor t.1. p.20.
Inauratores omnes fere vertiginosi & pa-
ralytici t.2. p.10.
Inauratores sine febris vestigio pereunt
t.2. p.11.
Incohibilitas leguminum potius solo, in
quo fuerint, quam aquis tribuenda t.
1. p.233.
Infibulatio Athletis fieri solita, ne venere
solverentur t.2. p.94.
Inflammati non indicat majorem ad par-

tem humorum influxum t.1. p.137.
humores non feruntur majori impetu
ad partem inflammata *ibid.*
curatur per laxantia non per adstria-
gentia t.2. p.126.
In *Puteorum* fossione multa res curiosa ac
scitu digna observantur t.1. p.191.
Insula natantes in Comaclensi *Æstuario*
observata t.1. p.280.
Intercipientia revellentia reprobantur t.1.
p.139.
Joannis Baptistæ Aleotti de Argenta opinio
de Pado, qui flumina supra Placenti-
nam Urbem reciperet, non autem
qua infra t.1. p.207.
Iræ phaenomena t.2. p.177.
Italica mensæ lautiores sunt t.2. p.164.
Judæi antiquitus Romæ in Transtiberina
regione habitabant t.2. p.40.
Judaica gens quibus morbis obnoxia t.2.
p.84
Jurisperiti & principum ministrifere
semper valetudinarii t.2. p.113.
Juvenalis ignem cur luteum appellavit t.2.
p.23.
Juvenum consortia vitam protrahunt t.2.
p.186.

L

L Ac asininum magis ad purgandum, he-
bulum ad reficiendum laudatur t.2. p.
57.
Lac coctione dulcedinem acquirit, mel
autem perdidit t.1. p.151.
Lassantes mulieres num arcendæ a virili
concubitu t.2. p.53.
Lassantes mulieres quibus morbis obno-
xia t.2. p.51.
Lactis generatio in puerperis a ventris
compressione t.2. p.54.
Lactis generatio juxta leges mechanicas
controversa t.2. p.53.
Lacus varii cum mari communicantes
t.1. p.212.
Lacus Vulsiniensium immensæ profundi-
tatis, quomodo cum mari habeat
commercium *ibid.*
Lacus Albanus ex improvviso in ma-
gnum tumorem elatus, cum antea
nullæ cecidissent pluviae *ibid.*
Lana Mutinenses a Columella laudatæ
t.2. p.38.
Lepicida calculis pulmonum obnoxii t.2.
p.74.
Laudani virtus t.1. p.160.

RERUM, & MATERIARUM.

Laterarii quibus morbis obnoxii t. 2. p. 129.
Legio pedestris febre castrensi correpta, & a Chirurgo China China potio-
 nata tota fere hydropica facta t. 1.
 p. 178. 179.

Lepturgi temporis progressu t. 2. p. 94.
 & 95.

Leucophlegmatia sale, & sole curatur
 t. 1. p. 126.

Levitas aquæ non est argumentum suffi-
 ciens ad ejus bonitatem probandam
 t. 1. p. 230. & 231.

Levitas aquæ dignoscitur ex corporum
 in eadem immersione *ibid.*

Lienis structura detegitur t. 1. p. 13.

Linguarum cultura Principibus necessa-
 ria t. 2. d. 182. 183.

Literati vitæ statariæ incommodis obno-
 xii t. 2. p. 110.

quibus morbis teneri soleant t. 2. p.
 110. 111.

Literati cur melancholici *ibid.*

ut plurimum myopes fiunt *ibid.*

Literati in hypocautis & museolis ope-
 rantes, graves noxas sibi accersunt
 t. 2. p. 117.

Literati ut plurimum arthritici & ne-
 phritici t. 2. p. 111.

Literati ventriculi imbecillitate labo-
 rant t. 2. p. 111.

Lochiorum suppressio mensum suppre-
 sione deterior t. 2. p. 48.

Lolium tritici soboles corrupta, quare
 magis longæum quam triticum t. 2.
 p. 73.

Longævitæ & experientia sunt potissi-
 mum Scientiarum omnium funda-
 mentum t. 2. p. 226.

Lotrices dyspnææ & hydropisii obnoxie
 t. 2. p. 74. & 75.

Lucanus finxit hydrophylacium in vi-
 sceribus Appennini, unde omnia
 flumina fluere in mare superum
 & inferum t. 1. p. 215.

Lussa inter acidum stomachi, & alkali
 fixum China t. 1. p. 181.

Ludi seculares quid t. 1. p. 9.

Lues venerea facilius curatur in gente
 rusticana quam in Viris nobilibus
 t. 1. p. 23.

Lumbricos in aqua ubi dissolutum fuerit
 mel & saccharum citius mori, quam
 in amarissimis, quorundam opinio
 t. 1. p. 131.

Luna descretentia quare infirmis oblit
 t. 1. p. 168.

Lympha detegitur t. 1. p. 12.

M

M *Achinea* spirales ab Arigola descri-
 ptæ ad aerem in fodinis recensenden-
 dam t. 1. p. 218.

Magliabechius Vir celeberrimus laudatur
 t. 1. p. 214.

Malpighius satis moderatus in usu China
 t. 1. p. 180.

Mammæarum cum utero mirus consensus,
 sed modus adhuc ignotus t. 2. p. 56.

Mammæarum contrectatio veneris irrita-
 mentum t. 2. p. 57.

Mammæ cur ante partum & post partum
 lacte turgeant t. 2. p. 53. 54.

Marasmus togatis & Principum ministris
 familiaris t. 2. p. 113.

Martiani opinio de permittendo nutrici-
 bus virili concubitu t. 2. p. 53.

Martirum corpora antiquitus sola con-
 debantur in sacris ædibus t. 2. p. 46.

Massinissa Rex parvos pueros alebat in
 sua Aula, quos postea ad suas do-
 mos remittebat ubi triennium exe-
 gissent t. 2. p. 221.

Maturatio humorum impeditur ab usu
 China China t. 1. p. 179.

Mechanica structuræ potestas Hippocrati
 non ignota t. 2. p. 54.

Medica ars navigatoriæ arti est similis
 t. 1. p. 32.

Medicamentorum copia noxiâ t. 1. p. 21.

Medici munus plebejos curantis est in-
 terrogare quas artes exerceant t. 2.
 p. 5.

Medici Mutinenses olim temperati in
 usu China China t. 1. p. 179.

Medici tyrannis in Principem t. 2. p. 152.

Medicina infusoria t. 1. p. 13.

Medicus antiquitatis & novitatis studio
 perficitur t. 1. p. 44.

Medicus Practicus noscere debet com-
 munem hominum de se opinionem
 t. 1. p. 39.

Medicus avarus t. 2. p. 152.

Medicus num fortunatus potius quam eru-
 ditus sit eligendus? t. 2. p. 151.

Medicus perfectus sui ipsius quilibet esse
 potest, si observet quæ profunt, quæ
 noceant t. 2. p. 211.

Medicus familiaris utilior est quam ex-
 transeus

I N D E X

- transiens ibid.*
- Medici indocti & rudes empirici cur vulgo magis placeant, quam docti t. 2. p. 212.*
- Medici priorum temporum cum rationem reddere nescirent, ad occultas proprietates & siderum influxum confugiebant t. 2. p. 226.*
- Medicamenta aliquando magis exasperant morbos, sicuti & venæ sectiones, præsertim quando mala aeris diathesis morbum alit t. 1. p. 126.*
- Medicamenta amethysta ea sunt quæ a crapula præservant, vel factam discutunt t. 2. p. 201.*
- Medicamenta per os assumpta varias mutationes subeunt juxta varias conditiones ventriculi t. 1. p. 131.*
- Medicorum auctoritas apud Reges Gothorum t. 2. p. 151.*
- Medicorum error, qui in vulneribus, luxationibus, aliisque casibus externis semper venæ sectionem fieri volunt t. 2. p. 208.*
- Medicorum multitudo noxia t. 1. p. 20.*
- Medicina incrementum t. 2. p. 149.*
- Medicinae progressus seculo decimo septimo t. 1. p. 10. & seq.*
- Medicina Theorica supra Practicam dominatum affectare non debet t. 1. p. 56. & seq.*
- Medico futuro peregrinatio necessaria est t. 1. p. 107. & seq.*
- Melancholici cur ingeniosi t. 2. p. 202.*
- Melancholici ingeniosi, & ingeniosi melancholici fiunt t. 2. p. 110.*
- Melancholicis temperamentis usus Chinae Chinae parum salubris t. 1. p. 173.*
- Mensarum secundarum noxa t. 2. p. 164.*
- Menstruus sanguis num qualitate peccet t. 2. p. 47. 48.*
- Menstruus sanguis floris nomine ab Hippocrate appellatur ibid.*
- Mercurii altitudo in barometro eadem pene est sub zona torrida ac sub zonis temperatis t. 1. p. 283.*
- Mercurius in barometro circa æquinoctia modo adscendit modo descendit t. 1. p. 270. & 281.*
- Mercurio inest aliqua aquæ portio ex sua naturali constitutione t. 1. p. 280.*
- Mercurius inauratoribus quas noxas pariat t. 2. p. 11.*
- Mercurius quare febrem non solum excitet, sed potius sopiat ibid.*
- Mercuriales purgationes ad febrile miasma tollendum salutare ibid.*
- Mercurius infusus, vel in aqua decoctus veres exterminat t. 2. p. 12.*
- Mercurius an quid febrifugi contineat t. 2. p. 11.*
- Metallurgia cerebro, pulmonibus insensibilissima t. 2. p. 10.*
- Metalla in metallurgorum cadaveribus reperta t. 2. p. 7.*
- Metallurgi effigies ab Hippocrate descripta t. 2. p. 10.*
- Mixtio rerum quantum possit ex pulveris pyrii compositione dignoscitur t. 1. p. 181.*
- Mixtura rerum quantæ efficaciam, & quam facile incautis imponat t. 2. p. 20.*
- Monachos divitiis, & bonis secularibus affluentes arguit D. Hieronymus t. 2. p. 224.*
- Monialibus cur raro salubris Chinae Chinae usus t. 1. p. 172.*
- Montes prope Mutinam flammam cum strepitu eructantes, de quibus mentionem habuit Plinius t. 1. p. 214.*
- Montes, maria, flumina ante diluvium nulla fuisse finxit Thomas Burnetius t. 1. p. 203.*
- Morbi, Apoplexiæ, Pleuritides, Peripneumoniæ, catarrhi suffocativi, Anginæ, Erysipelata t. 1. p. 136. causæ talium morborum ibid.*
- Morbi castrenses semper quid divini in se habent t. 2. p. 106.*
- Morbos castrenses cognoscere, cuilibet Professori necessarium t. 2. p. 107.*
- Morbi omnes tam continui, quam intermittentes circa vespertas exacerbari solent t. 1. p. 81.*
- Morbi peculiare sua habent tempora t. 1. p. 27.*
- Morbus per sapientiam mori ex Plinio quid sit t. 2. p. 112.*
- Morbus frugum rubigalis dictus quid sit t. 1. p. 106.*
- varia circa hoc dictum Scriptorum interpretationes t. 2. p. 112.*
- M. Antonium & Farsam in obsidione Mutinensi inter harundineta & paludes pugnasse refert Appianus Alexandrinus t. 1. pag. 208.*
- Mors subita obesorum unde? t. 2. p. 188.*
- Motus tonicus musculorum non est causa defatigationis, sed actio continuata t. 2.*

RERUM, & MATERIARUM.

t. 2. pag. 81.

Motus corporis sanitati conducit t. 2. p. 167.

utilitas t. 2. p. 167. 168.

regimen in senibus t. 2. p. 185.

Mulieres pica & malacia laborantes ex vi consuetudinis res absurdas concoquunt ac dissolvunt t. 2. p. 200.

Mulieres rusticanae rectius nutriunt lactentes filios, quam urbanae t. 2. p. 59.

Mulieres prope loca, ubi candela sebaeae fabricantur, habitantes, de uterinis affectibus conqueruntur t. 2. p. 41.

Mulieres textrices facile abortiunt ex nimio labore t. 2. p. 124.

Mulieres textrices menstruas purgationes habent faciles t. 2. p. 125.

Murmuris, quod in horum puteorum fundo persentitur, causa est expansio aquarum per sabulosam planitiam t. 1. p. 220.

Munditie vestium spiritus animales exhilarantur t. 2. p. 35.

Mutationem in victu ex octo anno 40. necessariam esse ad vitam longævam t. 2. p. 226.

Mutinam antiquam multo profundior quam in statu praesenti, ex stratis viarum & tabernis dignoscitur t. 1. p. 208.

Mutina Urbs antiquissima Populi Romani colonia t. 1. p. 186.

Mutinæ situs antiquus longe depressior quam nunc sit t. 1. p. 191.

Mutinenfis agri encomium t. 2. p. 166.

Mutinenfis quisque civis potest pauca impensa in propria domo fabricari sibi fontes aquae purissimæ t. 1. p. 187.

Myopia quid t. 2. p. 95.

Myopia obnoxii ut plurimum sunt literati t. 2. p. 111.

Myopia senibus familiaris *ibid.*

N

Natator cur per lineam rectam vult ad fundum descendere, certo quodam motu manuum utitur, ac alio contrario, quando per eandem lineam vult ascendere t. 1. p. 195.

Natura in homine incrementum usque ad 40. annum solet esse, reliquum tempus vitae ad descensum vergit

t. 2. p. 226.

Navigantes in mari sunt edaciores, & alvi stypticitate laborant t. 2. p. 133.

Navigantibus remedia debent exhiberi validiora quam iis, qui sunt in terra t. 2. p. 122.

Nautarum morbi qui *ibid.*

Nauticus panis fluxus remedium t. 2. p. 133.

Navis ante usum magnetis cur ars esset labriofior t. 2. p. 132.

Navigatio salubris est prope littus 437.

Nervosus latex detegitur t. 1. p. 55.

Nephritides artes statarias exercentibus familiares t. 2. p. 81.

Nicotianæ fumus, masticatio, & pluvius improbatur t. 2. p. 167.

Nili donum Ægyptus t. 1. p. 207.

Nilum per arenas discurrere Plinii opinio t. 1. p. 208.

Nitrum lippitudinis remedium t. 2. p. 9.

Nives labentes mercurium in barometro deprimunt t. 1. p. 272. 281.

Nivis usus in potationibus t. 2. p. 164. 165.

Nobilibus Viris, ac Principibus febre laborantibus non admodum tutum remedium China t. 1. p. 172.

Nobilium vivendi ratio plurimum ad eorum morbos confert t. 1. p. 22.

Nosce te ipsum, quomodo ex Platone sit intelligendum t. 2. p. 31.

Nubes ac nebulae qua ratione effingantur t. 1. p. 278.

Nucis cortex, suaeque virtus t. 1. p. 126.

Numisma Adriani Imperatoris Mutinae in pedum Romanorum 18. profunditate repertum t. 1. p. 208.

Nutrices ut plurimum scabiosae t. 2. p. 50. 51.

Nutrices facilius purgationes tolerant, quam venae sectiones t. 2. p. 51. 52.

Nutrices ob nimiam lactationem ad talem interdum deducuntur t. 2. p. 50.

Nutrices in suos alumnos corporis atque animi vitia transferunt t. 2. p. 58.

Nutricum officium in nuptiis apud veteres t. 2. p. 53.

Nutrices tam frequenti lactatione se ipsas & infantes perdunt t. 1. p. 59.

Nutrices num a virili concubitu arcere expediat t. 2. p. 52.

O *Bellum* cur infæcundi? t. 2. p. 189.
Obeſorum aſthma unde? t. 2. p. 188. 189.
 mortes ſubitæ unde? *ibid.*
Obſetricum morbi t. 2. p. 49.
Oſavius Ferrarius diſſertationem ſcripſit de bonæ ſenectutis t. 2. p. 203.
Oculi ſtructura quæ laudabilior t. 2. p. 95.
Odor roſarum nonnullis valde infæſtus, & lipothymias infert t. 2. p. 28.
Odores aromatum conſternationem inafſuetis interdum inducunt *ibid.*
Odorum hiſtoria naturalis deſideratur t. 2. p. 45.
Oenopæi licet abſtemii, temulentia obnoxii t. 2. p. 60.
Oeſophagi paralyſis in virgine moniali t. 1. p. 144. & 145.
Oſſa Helmontiana quid & quomodo pareretur t. 2. p. 61.
Olearum cachectici, & aſthmatici t. 2. p. 39.
Olei e nucibus & ſeminibus lini ſunus valde noxius t. 2. p. 39. 40.
Oleum mitigat utramque acrimoniam, tã acidam, quam alkalinã t. 2. p. 138.
Oleum affectionis cholericae remedium *ibid.*
Opera literatorum facta in ſenectute ſunt ingenioſiora t. 2. p. 212.
Operoſis mulieribus tutius exhibetur China China t. 2. p. 273.
Operum Auctores inter literatos magis morbis obnoxii t. 2. p. 111.
Operarii qui ſaccharo condiunt plantarum ſemina quibus morbis obnoxii t. 2. p. 123.
Ophthalmia graves ex fumis metallicis t. 2. p. 9.
Opinio Auctoris dicentis falſum eſſe dictum illud *quod ſapit nutrit*, non omnino improbanda t. 2. p. 205.
Opinio Falloppii de ſtratorum in motibus generatione t. 1. p. 219.
Opinio Helmontii de mundi ſtatu ante diluvium t. 1. p. 206.
Opinio quod ignis omnia purget ac luſtret improbat t. 2. p. 13.
Opium Chinae Chinae comparatur, ſed illius virtus ephemera eſt t. 1. p. 171.
Opium num ſomnum inducat figendo ſpiritus & humores, vel liquando t. 2. p. 63.
Origo fontium Mutinenſium a mari con-

troverſa t. 1. p. 212.
Opus D. Guntheri Chriſtoph. Schelhameri de humani animi affectibus laudatur t. 2. p. 220.

P

P *Alatiorum* conditio pro Principibus t. 2. p. 154. 155.
Paludum exſiccatio ſæpe magnarum inundationum eſt cauſa t. 2. p. 219.
Palus Pontina olim a Romanis exſiccata in gratiam præcipue ſalubrioris aeris *ibid.*
Pancreaticus ſuccus detectus t. 1. p. 12.
Parotides t. 1. p. 131.
Panacea & Hygeia Aſculapii filia t. 2. p. 158.
Panis eſus commendatus t. 2. p. 167.
Partium corporis humani harmonia & conſenſus t. 2. p. 148.
Partus faciliores eſſe in lectis, quam ſuper ſellas t. 2. p. 49.
Pentaculorum imaginaria virtus ad pavorem diſcutiendum t. 2. p. 108.
Peregrinatio Medico futuro neceſſaria eſt t. 1. p. 107. & ſeq.
Perſecti numeri conditio qualis t. 2. p. 217.
Peſtem bovinam aliquando ſecuta eſt hominum peſtilentia t. 1. p. 90.
Peſtis Vienneniſis diſſertatio t. 1. p. 101. & ſeq.
Peſtis Vienneniſis fuit febris purpurata t. 1. p. 104.
Peſtis Vienneniſis cur ab Auctore maligna myſoptocha appelletur *ibid.*
Pepicularum natura t. 1. p. 165.
Pharmacopæorum morbi t. 2. p. 27. 28.
Philadelphus Aegypti Rex Berenicem filiam Antiocho Aſſyriae Regi deſponſatam aquam Nili ſecum deferre voluit t. 1. p. 230.
Phonaſci & cantores vaſorum in pulmonibus ruptionibus obnoxii t. 2. p. 98.
Phitriaſis frugum molitoribus familiaris t. 2. p. 216.
Piſtores ut plurimum valetudinarii, & cachectici t. 2. p. 20. 21.
Picrocolis jejunia adverſa t. 2. p. 216.
Pila parvæ ludus a Principibus exercitus t. 2. p. 170.
Pillula Aleophaſinae inter medicamenta acrepala laudantur t. 2. p. 202.
Piper cur minus caleſciat quam cinnamomum

RERUM, & MATERIARUM.

- monum t. 2. p. 226.
Piscatorum morbi t. 2. p. 103.
Piscatoribus ulcera fiunt in cruribus.
ibid.
Pisces majori vi motrice indigent ad natatum, quam aves ad volatum t. 1. p. 195.
Pisces meliores qui t. 1. p. 121.
Pisces quando abundant t. 1. p. 114.
Agricolis quare noxii t. 1. p. 121.
Piscium esus plus panis exigit t. 2. p. 103.
Pistrinis antiqui utebantur ad fruges terendas t. 2. p. 69.
Pistores tussi, raucedini, & lippitudini obnoxii t. 2. p. 66. & 67.
Pistores nocturni Artifices t. 2. p. 66.
Pistores pororum cutis adstrictionibus obnoxii t. 2. p. 67.
Pistores ut plurimum valgi fiunt *ibid.*
Pistoribus os sudario obvelandi mos perantiquus *ibid.*
Platum unde scaturiunt hi fontes non multum distare a superficie maris Adriatici ostenditur t. 1. p. 209.
Plebs cur facilius peste corripiatur, quam *Viri Principes* t. 1. p. 86.
Plinii locus de insulis natantibus in Mutinensi agro t. 1. p. 208.
Plinius aquas pluviales improbat t. 1. p. 229.
 & fontanas præfert *ibid.*
Plumbi aqua macerati halitus Figulos paralyticos reddunt t. 2. p. 16.
Pluvia ultra decem pedes terram non penetrat t. 1. p. 211.
Podagræ verum remedium vitæ sobrietas exemplo Francisci Pechii ostenditur t. 2. p. 204.
Podagra ex vini abusu t. 2. p. 204.
 rusticos & opifices raro invadit t. 2. p. 102. 193.
Podagricis minus noxia vina generosa modice sumpta, quam tenuia t. 2. p. 116.
Polypi plurimi in cadaveribus, & unde? t. 1. p. 142. 143.
A Pomorum esu noxæ t. 2. p. 102.
Populi ex solis piscibus victitantes t. 2. p. 102.
Forculi lactantis caro hæmoptoicis salutaris t. 2. p. 90.
Præcautiones ad pestem arcendâ t. 1. p. 105. 106.
Pressio lateralis aquæ non potest æquare pressionem lateralem aeris t. 1. p. 195.
Principes ut polymathiam acquirant t. 2. p. 182.
 quo vino utantur t. 2. p. 166.
 a vino abstinenter t. 2. p. 165.
 arthritidi, calculo, & colicæ potissimum sunt obnoxii t. 2. p. 191.
 Literis imbuti sint t. 2. p. 179.
 eruditi parum fortunati t. 2. p. 181.
 vino abutentes t. 2. p. 165.
 Medicos tanquam familiares considerant t. 2. p. 151.
 habeant barometros, hygrometros, & anemometros t. 2. p. 156. 157.
Principibus febre laborantibus China non est tutum remedium t. 1. p. 172.
 Pro *Principis* sanitate vota publica sunt nuncupanda t. 2. p. 148.
Principis valetudo singulariter custodienda est t. 2. p. 147. 148.
 quantum faciat ad publicam felicitatem *ibid.*
Principum corpulentiâ unde? t. 2. p. 187. 188.
 victus sanitati adversatur t. 2. p. 158.
Problema mechanicum cur bajuli curvi incedant, cum pondus aliquod super humeros gerunt t. 2. p. 92.
Prophylaxis in genere quænam vera sit t. 1. p. 182.
Proportio altitudinis aquæ adscendentis in fistula perpendiculari, alteri horizontali inserta ad suum hydrophylacium, per figuram tertiam investigatur t. 1. p. 221.
Proverbium castrense qui patriam quærit, mortem invenit t. 2. p. 107.
Pudendi inflammatio ex ari contactu t. 2. p. 28.
Pueri magno numero extincti t. 1. p. 118.
 hujus rei ratio t. 1. pag. 132.
Puerperia virulentiam aliquam semper adjunctam habent t. 2. p. 48.
Pulmonares epidemiæ a rusticana gente exordiri solent t. 2. p. 99.
Pulmonum structura detegitur t. 1. p. 12.
Pulsus obscuratio cur magis in morbis stomachi & intestinorum quam pectoris t. 1. p. 160. 161.
Purgationes præservatoriæ t. 2. p. 193.
Purgationes in quibus periculosa t. 1. p. 145.
Purgationes leves salutares ab initio in quibusdam febribus t. 1. p. 168.
Putei aquæ salis e quibus sal elicitur in agro Placentino t. 2. p. 79.
Putei Petrolei in agro Mutinensi duorum generum t. 2. p. 130.

I N D E X

Putei in quibus repositæ fuerint fruges auram venenatam expirant t. 2. p. 72.
Putei cum exstruuntur, in summa profunditate calorem habent æqualem hypocaustis t. 1. p. 189.
Putei isti non tam facile fieri possunt estate quam hyeme *ibid.*
Puteorum profunditas est usque ad pedes Romanos 63. ubi in strato arenoso facta perforatione aqua magno impetu erumpit t. 1. p. 137.
Puteorum fossiores quos morbos patiantur t. 2. p. 130.

Q

Qualis sit numeri perfecti conditio t. 2. p. 216. 217.
 Quæ comoda antiquitus ex balneis perciperent artifices t. 2. p. 129.
Quartana febris cur pomeridianis horis accessiones habeat t. 1. p. 177.
Quilibet sui ipsius Medicus perfectus esse non potest t. 2. p. 211.
Qui phlebotomos & novaculas ad eodem acunt quibus morbis obnoxii t. 2. p. 128.
Qui saccharo apud aromatarios condiunt plataram semina quibus morbis obnoxii t. 2. p. 144.

R

Radix Chinæ Indiæ Orientalis olim in magno pretio t. 1. p. 180.
Ramazzini responsio ad primam Epistolam Schelhameri de motu mercurii in tubo Torricelliano t. 1. p. 293.
Raucedo cantoribus familiaris t. 2. p. 96. 97.
Regionibus humidis minus securus Chinæ Chinæ usus, quam montanis t. 1. p. 174.
Regnum minerale varia præbet remedia t. 1. p. 14.
Religiosi Viri, & monachi cur plurimum variis morbis obnoxii t. 2. p. 223.
Remedia habent sua fata, ut radix Chinæ Indiæ Orientalis, cujus usus pene obsolevit t. 1. p. 180.
Remedia simplicia, remediis operosæ compositionis anteponenda sunt t. 1. p. 50. & seq.
Remedium quo ad vermes t. 1. p. 131.
Remedium vini quo ad febres t. 1. p. 117.
Remedia calida utilia etiam in morbis in

quibus symptomata caloris apparent t. 1. p. 149.
Renum & lumborum dolores Artificibus statariis familiares t. 2. p. 81.
Revulsiones impugnata t. 1. p. 139.
Rex Mailinissa parvos pueros alebat in sua Aula, quos postea ad suas domos remittebat, ubi triennium exegissent t. 2. p. 222.
Rhenus Bononiensis ab Hercule primo Ferraria Duce permissus Padum ingredi, sub Hercule secundo aggeres dirupit, & in Padum ingressus denegatur t. 1. p. 208.
Richardus Lover, & Schort aulo post assumptam Chinam Chinam mortui sunt t. 1. p. 178.
Romani populi pietas erga Germanicum t. 2. p. 148.
 aeris conditio *ibid.*
Romani togis albis utebantur, quas Fullo-nibus emaculandas tradebant t. 2. p. 32.
Romani veteres nolvere Tyberis ramos præscindi t. 2. p. 219.
Roris natura & virtus t. 1. p. 123.
Rubigo a rodendo vel quasi urendo *ibid.*
 a quo oriatur, & quo tempore *ibid.*
 quid sit & quomodo operetur *ibid.*
Rubigo in foliis mororum apparens, sterilitatis prodroma t. 1. p. 153.
Rustici quibusdam morbis minus subiecti t. 1. p. 146.

S

Sabulum terram originalem, & aquæ sedem vocat Helmontius t. 1. p. 210.
Saltationis utilitas t. 2. p. 169. 170.
Sal urinae nullum habet salem sibi similem t. 2. p. 37.
Salem fabricantes quibus morbis obnoxii t. 2. p. 78.
Sal quare calcem arrodit, iis in locis, ubi asservatur t. 2. p. 79.
Sanguinis circulatio genuinam morborum theoriam & praxin docuit t. 1. p. 14.
Sanguinis circulatio ab Harveio Anglo detecta t. 1. p. 11. 12.
Sanguinis circulatio vetustati ignota, ab Harveio detecta t. 2. p. 223.
Sanguinis missio tertianam simplicem in duplicem convertebat t. 1. p. 116.
Sanguinis transfusio t. 1. p. 13.
Sanguis arteriosus solus est qui nutrit partes, venosus autem nequaquam; residuus

RERUM, & MATERIARUM.

- duus est enim a nutritione t. 2. p. 223.
Sapilas in commodatione quadam inter
 animum & corpus posita est t. 1. p.
 112.
Sapo Antiquis cognitus t. 2. p. 137.
Saponaria herba luis venereae remedium t.
 2. p. 138.
Saponaria medicamentorum virtus in quo
 consistat *ibid.*
Saponarii acutis morbis ob constipationem
 cutis obnoxii *ibid.*
Saponis Veneti compositio artificiosa t. 2.
 p. 137.
Scabies copiosa quo tempore t. 1. p. 146.
 quid sit, curatio ejus *ibid.*
Scaturiginem horum fontium a mundi pri-
 mordiis non exstitisse probabile est,
 cum inibi reperiantur arbores t. 1. p.
 215.
Scaturigo ista non nisi post magnas illuvio-
 nes potuit habere initium *ibid.*
Scaturigo harum aquarum ad 4. millia pas-
 sum extenditur, longitudo ad 7. t. 1. p.
 216.
Schelhameri Epistolae de motu mercurii in
 tubo Torricelliano t. 1. p. 286. 303.
 Opus de humani animi affectibus lau-
 datur t. 2. p. 200.
Schola Bononiensis laudatur t. 1. p. 180.
Scribarum & Notariorum morbi t. 2. p.
 121.
Scriptores de morbis metallurgorum t. 2. p.
 6.
Sebum cum oleo epotum inediae facilem
 tolerantiam reddit t. 2. p. 41.
Sedentarii artifices quibus morbis obnoxii
 t. 2. p. 82. 83.
Scissio venae non confert, quando ab acido
 morbus est t. 1. p. 127.
 quando conferat & pateat t. 1. p. 128.
 quando infelix t. 1. p. 143.
Semina contagiosa facile sobolescent
 t. 1. p. 87.
Senibus praesertim t. 1. p. 142.
Senectus in sano corpore melior vitae fru-
 ctus est t. 2. p. 210.
Senectus num scæx vitae dici possit *ibid.*
Senectutis regimen in Principe t. 2. p. 182.
Senes decrepiti cur sæpius & liberalius
 prandere debeant quam coenare t. 2. p.
 211.
Senes morbos a Reipub. administratione
 removendi t. 2. p. 212. *seq.*
Senes pestilentia raro laborant t. 2. p. 213.
Senes quando de repente moriebantur t. 2.
 p. 136.
 Pestem difficiliter sentiunt t. 1. p. 166.
Senarius numerus primus numerus perfe-
 ctionis in centenario, & radix aliorum
 numerorum qui perfecti dicuntur t. 2.
 p. 217.
Servi & rustici cur difficiliter ferant ma-
 gna remedia, quam gens libera & ur-
 bana t. 2. p. 101.
Servi, & servae ad pistrina, & molas trusa-
 tiles olim erant addicti t. 2. p. 69.
Servi pistrinis addicti, ut a vertigine mi-
 nus infestentur, solebant excacari
ibid.
Similitudines parere errorem etiam bonis
 non sic causam t. 1. p. 127.
 in siccitatibus omnia meliora t. 1. p.
 113. 114.
Sobrietas vitae leges nimis arctae ad bonum
 Reipub. non conferunt t. 2. p. 209.
Socrates cum pueris saltabat, ludebat, obser-
 vans illorum genium t. 2. p. 222.
Socrates per totam diem naturalem stabat
 immotus t. 2. p. 81.
Sol febricitantes sublevebat t. 1. p. 116.
Solis occasus malus, ac ortus bonus in qui-
 busdam febribus t. 1. p. 126.
Somni necessitas unde? t. 2. p. 173.
 comoda *ibid.*
 & vigiliarum ordo inversus est in Anla
 t. 2. p. 171.
 regimen in senibus t. 2. p. 186.
Somnus in amplo & frigido conclavi uti-
 lis t. 1. p. 51.
Somnus quamdiu capiendus t. 2. p. 173.
 in frigore cooperto Hippocrati quid?
 t. 2. p. 174.
Specularii non secus ac isauratores paraly-
 tici, & apoplectici sunt t. 2. p. 20.
Spero Speronius sobriam vitam variis ra-
 tionibus improbare contendit t. 2. p.
 204.
Spiritus volatiles de caelo defluunt, a terra
 utpote succis mineralibus referta
 continuo acidæ particulae efferuntur
 t. 1. p. 120.
Statarias artes qui morbi cemitentur t. 2.
 p. 80. 81.
Statio brevis quare majorem defatigatio-
 nem inferat, quam ambulatio longa,
 & cursuatio t. 2. p. 81.
Statio longa sanguinis ad superiora recur-
 sum remorando varices inducit *ibid.*
Stellarum influxus incerti sunt, quia incer-
 tum est, qua ratione materia subjecta
 influ-

I N D E X

influxum recipiat t. 1. p. 122.
Sterilitas in obesis unde? t. 2. p. 189.
Sterilitatis signa t. 1. p. 153.
Studia animi ægritudines propulsant t. 1. p. 2.
Studiorum intemperantia quantum noceat? t. 2. p. 180.
Studioli legendo ac scribendo, ventriculum & pancreas sibi comprimunt t. 2. p. 111.
Strata varia alternatim reperiuntur modo cretacea, modo paludosa cum foliis arborum t. 1. p. 192.
Sublimati fabrica in Finalensi oppido magnæ litis causa propter vitrioli exhalationem t. 2. p. 15.
Subterranea temperies varia est pro diversitate salium mineralium t. 1. p. 217.
Sudoris provocatio c. strensuum morborum remedium polychrestum t. 2. p. 106.
Sulphu rarii artifices ut plurimum lippi & anhelosi t. 2. p. 22.
Sulphur pulmonum balsamum, si suo acido fuerit spoliatum t. 2. p. 23.
Suppuratio tollit timorem recidivæ t. 1. p. 179.
Syracusana & Italica mensæ lautiores sunt t. 2. p. 164.

T

T *Abaci* masticati usu peregrinantes famem & lassitudinem non sentiunt t. 2. p. 43.
Tabacopæi vertiginosi t. 2. p. 42.
Tabaci fumus pulmones exsiccat, & ad marasimum deducit t. 2. p. 43.
Tabacum hæmorrhoidas provocat t. 2. p. 42.
Tabaci decoctum ad empyematicos sanandos salutare compertum t. 2. p. 43.
Tabaci masticatio nimiam salivam eliciendo marasimum inducit t. 2. p. 43-44.
Tabes ex nimia lactatione t. 2. p. 57.
Tempestas humida lutulenta t. 1. p. 114.
 sicca frigida t. 1. p. 135.
Temperamentis melancholicis, pituitosis China China insalubris t. 1. p. 173.
Temperamentis biliosis tutior China Chinae usus t. 1. p. 174.
Temporum mutationes observandæ ut in illis nec medicamenta, nec venæ sectiones celebrentur t. 1. p. 122.
 sic Solstitia, Equinoctia, Canis, Arcturixortus, Plejadum occasus: istis temporibus morbi maxime judicantur, alii perimunt, aut in speciem aliam con-

vertuntur *ibid.*

Temulentia num a parte vini acida an alkalica & sulphurea, opiniones variae t. 2. p. 61.
 pro parte sulphurea decernitur *ibid.*
Terræmotus interdum novos fontes producit, & veteres obstruunt t. 1. p. 215.
Terræmotus pravæ exhalationes inferunt, quæ aerem inficiunt t. 1. p. 121.
Tertiana simplex in duplicem conversa, & quare t. 1. p. 128.
Tertianam, & quartanam febrem majori visciditate differre, quorundam opinio t. 2. p. 120.
Tertianæ intermittentes malignæ Hippocrati nothæ t. 1. p. 176.
Thæa infusum ad corpulentiam prodest. t. 2. p. 190.
Thalesi opinio de mari, quod sit fons interioris oceani in centro terræ t. 1. p. 211.
Thomæ Burnetii Angli de statu mundo anteluviano, & terræ intra cavernas scissione opinio t. 1. p. 203.
Tibicines hæmoptoici facile fiunt t. 2. p. 98.
Transpiratio ut consideranda in senibus t. 2. p. 185.
 insensibilis saniores, sed debiliores reddit homines t. 2. p. 173-174.
Transiberina regio antiquitus habebat officinas sordidiores t. 2. p. 40.
Tributum super urinam quares Vespasiano impositum t. 2. p. 26.
Triticum cur pulverem semper a se dimittat t. 2. p. 72.
Triticum non adeo longævum ut aliæ fruges t. 2. p. 72.
Triumviri in Insula Labinii fluminis prope Mutinam horrendam proscriptionem firmarunt t. 1. p. 208.
Typographi imbecillitati visus obnoxii t. 2. p. 120.
Typographi qui ad torcular exercentur in pleuritides, peripneumonias facile incurrunt t. 2. p. 121.

V

V *Valentinarius* ad negotia publica ineptus est t. 2. p. 148.
Valetudinis conservandæ regulæ quibus scriptæ t. 2. p. 149.
Vallis Padusa a mari Placentiam usque exporrigebatur t. 1. p. 207.
Vallis Padusa a M. Scauro in uberrimos campos

RERUM, & MATERIARUM:

- campos traducta t. 1. p. 208.
- Vapores*, seu vaporosa effluvia num aerem leviozem reddant inquiritur t. 1. pag. 274.
- Varia* strata in puteorum profunditate varias eluvione, diversis temporibus significant, nequaquam vero cataclysmum t. 1. p. 209.
- Varia* ac diversa strata in montibus observantur t. 1. p. 219.
- Variola* ex sanguinis stagnatione ab acido luxuriante t. 1. p. 125.
- Variola* post ingentem ætatis calorem erumpere solent t. 1. pag. 152.
- Venatio* & aucupium exercitii genus laboriosum t. 2. p. 135.
- Venatio* exercitium inæquale *ibid.*
- Venatio* Principibus olim familiaris t. 2. p. 158.
- Venationis* utilitas *ibid.*
- Venatio* varia morborum genera sibi adisciscit t. 2. p. 136.
- Venatoribus* qui ex arte quæstum sibi procurant caute magna remedia administranda *ibid.*
- Vena lactea* ab Asellio inventa t. 1. p. 11.
- Vena sectio* agricolis repetita parum felix t. 2. p. 100.
- Vena sectio* in morbis castrensis suspecta t. 2. p. 106.
- Vena sectio* quando infelix t. 1. p. 136.
- Vena sectiones* præservatoriae t. 2. p. 193.
- Veneris* usus commoda t. 2. p. 170. 171.
- Veneris* usus sit modicus *ibid.*
- Venena* num particularem habeant cum variis corporis partibus antipathiam t. 2. p. 30.
- Venter* artium magister in *Præf.* t. 2. p. 3.
- Venti* australes mercurium in barometro deprimunt t. 1. p. 271. 283.
- Venti* australes & boreales quid præstent t. 1. pag. 154.
- Venti* boreales mercurium in barometro attollunt t. 1. p. 271. 283.
- Venti* solis radios hebetant, nec discutuntur vapores terrei; hinc aer inficitur t. 1. p. 120.
- Venti* propriis qualitatibus aerem afficiunt t. 1. p. 128.
- Ventriculus* mari similis t. 2. p. 215.
- Verminationis* causa t. 1. p. 131.
- curatio per Chinam Chinam *ibid.*
- Vermes* quandoque excitant singultum t. 1. p. 116.
- Vespillones* malignis febribus obnoxii t. 2. p. 46.
- Vespillonibus* parca sanguis detrahendus t. 2. p. 47.
- Vespillones* raro senescunt t. 2. p. 46.
- Vesuvius* mons eodem tempore duos torrentes peperit, unum ignis, alterum aquæ t. 1. p. 215.
- Vetus* simplicitas vitam longam efficit t. 2. p. 160.
- regimen in senio t. 2. p. 183.
- Principii sanitati adversatur t. 2. p. 159.
- Vigilia* nocturnæ nocent t. 2. p. 172.
- Vinacea* multum spiritus ardentis continent t. 2. p. 60.
- Vina* cur autumnò facile acefcant t. 1. p. 128.
- Vini* abusus vitandus t. 2. p. 165. 166.
- Vini* spiritus in paralyfi t. 1. p. 145.
- Vini* spiritus rectificatio sine distillatione per alkalia infusa t. 2. p. 61.
- demonstrat temulentiam fieri a vini parte sulphurea t. 2. p. 63.
- Vina* recentia magis diuretica, quam vetera t. 2. p. 64.
- Vina* generosa modice sumpta arthriticis minus noxia, quam vina tenuia largè epota t. 2. p. 62.
- Vini* spiritus sanguini recenti permixtus non semper ebullitionem excitat t. 2. p. 61.
- Vino* quid percolatio conferat? t. 2. p. 166.
- abutentes Principes *ibid.*
- Vinorum* varietas vitanda t. 2. p. 159.
- Vinum* sanat eas dispositiones quas facit t. 2. p. 64.
- Vinum* ethicum Aristoteli quid t. 2. p. 166.
- Vinum* magnum cardiacum, & remedium in quibusdam febribus t. 1. p. 117.
- Vinum* in febribus ab acido optimum remedium t. 1. p. 129.
- Vinum* recens cur interdum quosdam recreet a vino veteri afflictos t. 2. p. 227.
- Vinum* sanguis terræ t. 2. p. 64.
- Vinum* tenue acorem induit, ideo non bonum t. 1. p. 129.
- Vinum* vetus Auctori vitæ sobriæ erat valde hostile æstivis mensibus, novum vero valde salubre t. 2. p. 228.
- Viperina* medicamenta quando utilia t. 2. p. 149.
- Vipera* temperies *ibid.*
- Virginitatis* signum t. 2. p. 171.
- Vis* consuetudinis ad ipsas quoque plantas

I N D E X

tas extenditur t.2.p.200.
Vita longa a victus simplicitate t.2.p.160.
Vita sobria hominum præservat ab ani-
 mi passionibus t.2.p.206.
Vita sobrietas observari solita interdū vi-
 caria venæ sectionis t.2.p.207.208.
Vitra colorata suos artifices necant t.2.
 p.19.
Vitrarij soli sapientes, qui ubi 40. an-
 num attigerint artem suam dese-
 runt ibid.
Ulcibus piscatorum aqua marina reme-
 dio est & quam ob causam t.2.p.103.
Vocis exercitatio quos morbos pariat
 t.2.p.96.
Vocis exercitatio uti cantus, lectio, quo-
 modo ex Hippocrate animum mo-
 veant t.2.p.97.
Vocis asperatæ remedia t.2.p.98.
Vomitur sanat febres intermittentes t.1.
 p.127.128.
Vota publica pro Principibus de sanita-
 te sunt nuncupanda t.2.p.148.

Vox acuta unde t.1.p.144.
Urbes nullæ, nec oppida erant prope Pa-
 dum usque ad mare infra Brixillum
 cum apud Scriptores nulla sit men-
 tio t.1.p.209.
Urbs Venetiarum sola nunquam vidit
 truces hostium vultus, uti aliæ urbes
 t.2.p.219.220.
Urinator in fundo maris cur aquæ pres-
 sionem non sentiat t.1.p.196.
Urinæ veteris usus ad purpureum colo-
 rem lanis conciliandum t.2.p.33.
Urina epota mulieribus menses revocat
 t.2.p.36.
Ustrina cadaverum prope ædes alienas
 vetita t.2.p.46.
Usus Chinæ Chinæ in larga dosi in Ger-
 mania adhibitus t.1.p.180.
Vulnera in castris malignum aliquid ha-
 bent adjunctum t.2.p.107.
Vulnera parva percussiones leves in cor-
 pore impuro persape lethales t.2.
 p.208.

F I N I S.

long

et

Livingston 28 Nov 1861

49. Royal Albert

Plantagenet ad 2 1/2

Secher. Schenck. 3 1/2

Mesur. Tule. 8. 1/2. 5

